Respicit nos Deus, hoc est, facit, vt nos ipsos respiciamus. 123. D. & sequen.

S

Acramenta nouæ legis quid conferant, & quid contineant. 213.

213.F.& sequen.
Sacramentum Eucharistię statim cõ fert gratiam suscipienti disposito. 214.A
Sacramentum Eucharistiæ suscipientem dispositum non modo Deo reconciliat, sed etiam omnes alios, pro quibus offertur, dummodo tamen non habeant obicem. ibid.
Sacramentum Eucharistiæ continet realiter Christum. 213.G
Sacrificia veteris legis non continebant realiter Christum. ibid.
Salomon erga Reginam Saba liberalis extitit. 23.A
Salomon quantas vxores, & concubinas habuit. 197.F.G
Salomonis cor ꝓpter mulieres quantum deprauatum. ibid.
Salomon quot annis regnauit. ibid.
Salomon de sede Regni quomodo depositus. 198.A.B
Salomon quot modis Deum offendit. ibid. & seq.
Sancti sic gaudent de alienis bonis, sicut de proprijs. 58.A
Sancti Dei imaginem in se illæsam conseruare quantum studebant. 74.A
Sancti vnde habebãt, quod plus aut minus Dei imaginem in se ipsis referebant. 75.c.& seq.
Sancti suis virtutibus memoriam, & laudem consequuntur. 134.A
Sanctitas quid sit. 149.G
Sanctificati in vtero licet mortaliter nunquàm peccarent, tamen venialia peccata nonnunquam committebant. 88.F
Sanson quàm fortis. 122.A
Sapientia Patris, & Spiritus sancti filius est. 167.F
Saul quare duobus solum annis regnasse dicitur. 196.d.& seq.
Saul superbi factus potentia. ibid.
Saul quare à Deo interfectus. ibid.
Saulus quid significet. 192.B
Scriptura sancta quare nõ dicat Mariam vidisse diuinam essentiam. 96.c.& seq.
Scriptura sacra nihil superfluum habet. 147.F
Scripturarum intelligẽtia quibus reuelatur. 182.B
Scripturarum intelligentiam quare Deus à superbis abscondit. ibid.
Semen Abrahæ fuit duplex, carnale vnum, & spirituale alterum. 240.D.& seq.
Semen Abrahæ qui dicantur. ibid.
Serpens an collo, & capite erecto, an vero humi reptans locutus fuerit ad mulierem 6.F
Simeon senex à Maria didicit decantare nunc dimittis seruum tuũ Domine &c. 63.F.& seq.
Simeon senex quare non volebat. 98.D
Spiritui sancto quãta cura fuit in admonendo Mariam non esse Deũ. 77.F.& seq.
Spiritus sanctus pulchritudo Patris, & filii. 167.F
Spinea corona, cuius coronæ præparatoria. 171.G
Sole Maria quomodo amicta. 71. B

Spiritus

Spiritus ſanctus, niſi immundũ aduerteret Mariam non eſſe Deum, ipſa non tantùm in Iudęa, ſed etiã in toto terrarum orbe pro Deo haberetur, 78. B. & ſeq.
Subditorum peccata clementia potius, quàm ſeueritate curãda ſunt. 201. H
Sudor Chriſti ſanguineus, quid portendebat. 180. H
Sudoris Chriſti ſanguinei quale miraculum. ibid.
Superbus quare paruum Deum in ſe ipſo repræſentet. 80. E. & ſeq.
Superbi in oculis Dei quàm parui ſunt. 128. H
Superbia Demoniacæ diſperſionis cauſa fuit. 167. E
Superborum curam cur Deus totaliter non deſerat. 184. H
Superbus humilietur, vt Deus iterũ ſui recordetur. 186. A
Suſcipere ſignificat, ſiue ſurſum erigere, ſiue ſurſum accipere. 230. B

T

TAbor in monte præ glorię ſuauitate Petrus manſit à ratione alienus. 94. F
Terram promiſſionis Ioſuæ, & Caleb quare intrauerunt. 243. H. & ſequen.
Terræ nomẽ, chaos in principio Geneſis deſignat. 189. G
In terra nihil eſt, quod amare debeamus. 106. A
Teſtitudo quam aliqui cum alis, aut velis pro particulari ſuo inſigni effingunt, quid ſignificet. 13. B
Timoris genera quatuor. 157. D. & ſequen.
Timor ſeruilis, & filialis quomodo differant. ibid.
Timor quomodo remaneat in patria 160. A
Timor filialis habet duos actus. ibidem. B
Timere Deum in gratia, & extra gratiam debemus. ibid. B
Timoris mater Maria. ibid. F
Tres ſunt ſtatus perſonarum, in quibus Deus videtur. 80. B
Tres ſunt horti, quos Chriſtus intrauit, vt hominem in horto paradiſi perditum recuperaret. 229. F
Tria Iſraelis nomine in ſcriptura ſignificantur, & quæ. 230. d
Tribus modis vti ſolemus, vt ea, quę volumus memoria retineamus. 233. A. & ſeq.
Trinitatis imago in homine quomodo ſpectatur. 53. d
Trinitas ſancta ipſa eſt magnitudo, ſapientia, & pulchritudo. 167. F
Triumphus Dei magnus de vno peccatore qualis eſt. 125. F
Triumphus Dei magnus de Maria, qualis fuit. 125. H. 126. A

V

VAs, quod iuxta dictum Apoſtoli habemus in fictilibus, in religione bene conſeruatur. 139. H. & ſequen.
Verbum magnifico in ſcriptura ſancta, quibus modis accipiatur. 67. c
Victoriam angelorum quis perfecit. 209. B. & ſeq.

Videre

Videre Dei,& eius respicere, accipitur pro eo,quod est,uidere nos facere.123.F
Videre Dei per gratiam quid sit. 112.H
Videre Dei, & respicere quomodo inter se differant.113.A
Vindictam quare Deus sibi reseruauit.86.C
Vir, qui luctabatur cùm Iacob Christum significauit. 298.d.& seq.
Viri diuitiarum qui sint. 216.G
Virginitas homines angelos facit, & ipsis angelis excellentiores. 26. A. & sequen.
Virginitas in hominibus ab angelis maxime venerata. 25.H
Vitam nostram tenemur ponere, pro Christo, qui pro nobis posuit, & suam. 90.F
Vitæ Christi, & nostræ, quæ differentia.ibid.
Voluntas diuina immutabilis est in se ipsa.245.G.& seq.
Voluntas diuina quoad nos aliquando mutabilis videtur, sed falso. ibidem.
Vox Mariæ, vide Marię vox.
Vox interdum animi affectum significat.83.G

Z

ZAcharię domum Maria sua musica impleuit.63.D
Zacharias à Maria didicit decantare benedictus Dominus deus Israel ibid. F
Zacharias puerum Iesum quomodo suscepit.225.C

Finis Indicis Rerum,& Verborum memorabilium.





IN DVOS LIBROS

DE VERBIS DOMINAE AD ANGELVM INTRODVCTIO.



CVM Tempus ante omnia sæcula constitutum aduenisset, quo corruptum peccatis originalibus, & actualibus mundum, ipsius mundi C conditor per mysterium. Verbi incarnati uoluit reparare, vt eo ipso Verbo, quo de nihilo cuncta creauerat, ea, quæ perdita fuerant, reformaret, vnum ex cœlestibus sedibus in ciuitatē, Galileæ misit Angelum Gabrielem, in ciuitatem, inquam, cui nomen Nazareth. Nec immerito: Vbi enim totius castitatis, & munditiæ mater (de Maria loquor) nisi in Nazareth habitare debebat, quæ flos, vel munditia interpretatur? In hanc ciuitatem à Deo ad Virginem missus est nō homo, sed Gabriel Angelus, & hoc his duabus de causis. Primo quia in hoc negotio homo se etiā D habebat loco recipientis, & ideo Nuntios esse non debebat, cum beatitudo illa, quæ immediate Virgini annunciabatur in ipsa, & per ipsam annunciaretur toti generi humano. Secundo quia officium hominum est recipere, & Angelorum nunciare.

Solus vero Gabriel à Deo missus perhibetur, & non multi Angeli cum eo missi narrantur, propter mysterij secretum, quod non est, vbi illud, quod agitur multis est cognitum. Atque etiam quia (sicut super missus est cap. 16. dicit Albertus) non est familiariter, & amicabiliter intimatum, quod prius est multitudini reuelatum.

Nec est hoc loco prætereűdum, quòd nominatim Angelus Gabriel E
missus perhibetur, & non aliquis alius de alijs superioribus Angelorũ ordinibus, propter maiorem Virginis ad quam mittebatur commendationem, quia si quis de superioribus Angelis mitteretur, ab ipso illuminari Virgo crederetur. Et ideo de minoribus mittitur, vt ostendatur quòd Angelus tantum est negotij minister, & exterior delator: Deus vero per seipsum est negotij inuentor, salutationis dictator, Intelligentiæ inspirator, mentis ad consensum inclinator, ac modi executionis expositor: His, & alijs de causis à Deo missus est Gabriel, vt nouum filii sui conceptum Virgini annunciaret.

Sed quali, quæso, Virgini? Equidem non qualicunque Virgini: sed F
Virgini non solum carne, sed mente: Virgini professione: Virgini de-
1.Cor.7. nique tali, qualem ipse describit Apostolus: mente, & corpore sanctæ: nec nouiter, aut fortuito inuentæ, sed à sæculo electæ, ab Altissimo prę cognitæ, & sibi soli præparatæ, ab Angelis seruatę, à Patribus præfiguratæ, à prophetis promissæ, & Ioseph viro iusto, & sancto, ac virgini, iam antea desponsatæ.

Ad hanc Virginem, Virginem admirandam, & super omnes alias fœminas meritò venerandam, ac intra sui cubiculi (sicut puto) penetralia clauso super se ostio, in abscondito orantem ingressus est Angelus: Non quidem in specie serpentina, sicut Diabolus ad Virginem G
Euam ingressus fuerat. Nec tn specie columbina, sicut nonnulli ex cõgruentia, videntur asserere velle, dicentes quòd contraria, contrarijs
Simile. curantur, ac proinde quòd sicut deceptio fuerat per calliditatem serpentinam: ita curatio debuit fieri per simplicitatem columbinam: sed in forma humana, in qua, ipsa scriptura teste, omnes aliæ Angelorum apparitiones fieri solebant: Et ætate non quidem puerili, aut senili, quarum illa nõdum perfectè vtitur discretione sensum: ista vero deficit secundum sensum: Sed in ætate iuuenili, quæ dicit quandam nouitatem cùm perfectione. Et ideo cum Angelus aduenisset, vt illum H
annunciaret, qui nouus erat secundum humanitatem, & perfectus secundum diuinitatem, in forma iuuenili id debuit efficere.

In hac forma ad Mariam ingressus Angelus: Aue, inquit, gratia plena, Dominus tecum. Hoc est, non tantùm ò Virgo Dominus filius tecum, quem carne tua induis: Sed etiam Dominus Spiritus sanctus, de quo concipis, & Dominus Pater, qui genuit, quem tu ipsa concipis. Pater, inquam, tecum, qui filium suum fecit & tuum. Filius tecum, qui ad condendum in te mirabile sacramentum miro modo, & tibi reserat genitale secretum, & tibi seruat virginale signaculum. Spiritus sanctus

A ctus tecum, qui cum Patre, & Filio tuum sanctificat uterum: Benedicta tu in mulieribus. Et bene in mulieribus benedicta per quã mulieribus benedictio datur, & mundus à maledictionibus liberatur. Bene in mulieribus benedicta, quæ illam generalem maledictionem euasisti, de qua dicitur: In tristitia paries filios. Et nihilominus illam quæ secutum est: Maledicta sterilis in Israel: & tam singularem consecuta es benedictionem, ut nec sterilis maneas, nec in dolore parias. Genes. 3.

Talia Virgo cùm audisset turbata est in sermone Angeli, & cogitabat qualis esset illa salutatio. Nam (ut melliflui Patris Bernardi uerbis vtar) solent uirgines, quæ veræ uirgines sunt semper timentes, & semper pauidæ, & nunquam esse securæ: & ut caueant timenda,
B etiam secura pertimescere, scientes se in uasis fictilibus thesaurum portare pretiosum, & minus arduum esse uiuere angelicè inter homines, & in terris more cœlestium conuersari, & in carne cœlibem agere uitam. Ac proinde quidquid nouum, quidquid subitum fuerit, totum suspectas habent insidias, totum contra se existimant machinatum.

Idcirco & Maria turbata est in sermone Angeli. Verum turbata, sed non perturbata. Turbatus sum, & non sum locutus, sed cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui, dicebat Propheta. Eodem modo Maria turbata est, & non est locuta: sed cogitabat qualis esset illa salutatio. Quòd turbata est Virgo, virginalis uerecundiæ fuit, quòd non perturbata, fortitudinis: quòd tacuit, & cogitauit prudentiæ. Psal. 76.

Tunc Angelus intuitus Virginem, & varias eam secum uoluere cogitationes deprehendens, familiariter eam uocans ex nomine, benignè ne timeat, persuadet. Ne timeas, inquit, Maria: inuenisti gratiam apud Deum. Ac si diceret, nihil in mea legatione doli, nihil in tua annunciatione fallaciæ est. Nullam circumuentionem, nullas hic suspiceris insidias. Non sum homo, sed spiritus, & Dei Angelus, nõ satanæ. Ideo Virgo ne timeas: inuenisti gratiam apud Deum. Inuenisti, quod quærebas: inuenisti, quod nemo ante te potuit inuenire, Inuenisti Dei, & hominum pacem, mortis destructionem, &
D uitæ reparationem. Et huius à te inuentæ gratiæ apud Deum hoc tibi signum sit, Ecce concipies in utero, & paries filium, & uocabis nomen eius Iesum. Abscedat Virgo timor, cesset cogitatio, esto secura, nulla sollicitudine mouearis propter hoc, quod tibi dicere uenio, quia hoc non est timoris, sed gaudij, non est tristitiæ, sed lætitiæ. Paries enim filium, non vtique alium, nisi omnium creatorem, &

Dominum. Creator tuus erit filius tuus, qui fecit te, nascetur ex te. E
Philipp. 2. Et vocabis nomen eius Iesum. Nomen super omne nomen, Nomen in quo omne genu flectetur cælestium, terrestrium, & infernorum.
Ioan. 16. Nomen in quo si quis aliquid petierit à Patre, statim dabitur ei. Nomen in quo quicunque inuocauerit saluus erit.

Hic erit magnus, & filius altissimi uocabitur. Erit magnus, sed nō eo modo magnus, quo & Ioannem, patri suo Zachariæ, ego magnū futurum esse prædixi. Nam Ioannes magnus, quasi homo magnus, tuus verò filius magnus quasi Deus magnus. Ioannes magnus, sed non dominus, sed coram Domino: iste uerò magnus Dominus, quia filius altissimi uocabitur. F

Sed quomodo hoc erit ò Angele Dei? Edisseras, precor, ò sancte Gabriel, quare hic ex uerbis tuis erit, & non potius est magnus, qui semper æqualiter magnus non habet quo crescat, nec maior post conceptum futurus sit, quàm ante uel sit, uel fuerit. Cum hęc te minime fugiant ò sancte Gabriel, credo quòd propterea dicis, erit magnus, quia qui magnus Deus erat, magnus homo futurus sit. Si sic intelligis bene utique intelligis: si sic dicis bene planè dicis, cum dicis, hic erit magnus: nempe magnus homo, magnus doctor, magnus Propheta.
Luc. 7. Sic enim de eo in Euangelio dicitur: Quia propheta magnus surrexit in nobis. Et à minori quodam propheta magnus iidem propheta venturus promittitur. Ecce inquit, veniet propheta magnus, & ipse renouabit Ierusalem. Taliter ego magnum eum futurum dico, inquit Gabriel, & non solū magnum hominem, magnum doctorem, magnum prophetam: Sed magnum etiam Regem. G

Dabit enim illi Deus sedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob in ęternum, & Regni eius non erit finis. Dabit, inquam, illi non sedem Dauid temporalem, sed ęternam: non sensibilem, sed spiritualem: non terrenam, sed cœlestem: Sedem, quę in Dauidis sede fuit adumbrata, & ipsi pro suo semine tunc promissa, quando H
Psal. 131. à Domino ei dictum fuit: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Istam sedem Dauidis, ego ideo esse perhibeo, quia illa in qua ipse temporaliter sedit istius sedis, de qua ego tibi loquor ò Virgo gessit imaginem.

Et regnabit in domo Iacob in ęternum: in domo Iacob non temporali. Quomodo enim in illa, quę ęterna non est, in ęternum regnaturus est? Regnabit in domo Iacob non illa, quę domus exasperans est, quę impie eum abnegabit, & insipienter respuet ante faciem
Ioan. 19. Pilati, quando eo perhibente: Regem vestrum crucifigam? Vno ore accla-

A acclamabit non habemus Regem, nisi Cęsarem: sed regnabit in domo Iacob spirituali, regnabit in cordibus credentium, qui vel de patriarcharum sorte fuerint nati, vel de oleastro incisi in oliuam bonā fuerint inserti.

Ad hęc; vbi Virgo respondit, & respondendo quęsiuit: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Angelus statim addidit. Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus. Altissimi obumbrabit tibi. Ac si diceret hic est modus pariendi, ita concipies ita paries: iam nihil est, quod vlterius te interrogare opporteat. Spiritus enim sanctus amplexabitur te, & vndique circu ndabit te, totam
B que intus, & extra muniet te.

Ideoque, & quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius Dei, quod nascetur ex te sanctum per Spiritus sanctificationem, & Verbi assumptionem vocabitur filius Dei. Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua. Non solùm in te, sic virtutis miracula operabitur Dominus: Verumetiam in Elisabeth cognata tua. Hæc enim licet vetula sit, & sterilis tamen concepit filium in senectute sua; & iam hic mensis est sextus illi, quæ vocatur sterilis, quia non erit impossibile apud Deum omne verbum, Quale enim illi verbum impossibile poterit esse, qui omnia fecit in
C Verbo?

His auditis Maria mòx assensum præbuit, & præbendo in suo vtero Dei filium concepit. Vbi enim protulit: Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum: statim in suo vtero concepit filium Dei, & suum.

Hæc Mariæ verba tàm illa, quibus Angelo assensit: quàm illa, quibus eum interrogauit, quia duobus sequentibus libris, Deo volēte, explicare conamur, ideo à Virgine ipsa enixè precamur, vt pro sua benignitate nobis à suo, Deique filio impetrare dignetur, non solum, vt conatum nostrum bene fortunet: Sed etiam vt illa, quæ su-
D per reliqua ipsius Virginis verba, ad eius, ac sui filij laudem, & gloriam, in alijs tredecim libris dicere intendimus non tantum faustum habeant initium, sed etiam successum optatum, & euentum prosperum, ac fœlicem.

A per contigerat, vt mentem eius, ad credendum prouocaret.

Græcum autorem D. Chrysostomum, sequitur etiã græcus autor Euthymius super hunc locũ Lucæ sic inquiens. Et hæc itaq; nõ credidit sicut Zacharias: non tñ incredulitatis admonita est per pęnam, ille siquidem multa habuit exempla susceptionis liberorum, Sarrã, Rebecam, Rachel, Annam: Virgo autem nullum. Nulla enim Virgo ad illud vsque tempus sine viro conceperat, & pepererat. Et quod magis est, eodem ferè modo loquitur D. Augustinus lib. quæstionũ noui, & veteris testamenti quæstione 51. quo loco sic dicit. Ambigenti Mariæ de cõceptu possibilitatem Angelus prædicat: tales sunt B supradictorum Patrum sententię. Euthy. D. August.

Verum ꝙ ad Chrysostomum quidem attinet, & Euthymium, ipsi pie explicandi sunt. Dubitationem. n. siue incredulitatẽ vocant prudentem interrogationẽ, & aliqualẽ fortasse moram in credendo: nõ tñ culpabilem, sed cordatã. Vel certe non loquuntur de dubitatione circa rem reuelatam: Sed solum circa modum, quem Virgo cupiebat ediscere, sicut ex aliorum Patrum sententijs mox patebit.

Ad locum uero Augustini, uel dicendum est librum illũ nõ esse Augustini, cum ipse alio loco contrariam habeat opinionẽ à nobis statim allegandam. Vel quòd uerba eius sunt explicanda eo modo, C quo explicantur à D. Thoma 3. p. qõ. 30. ar. 4. ad 2. Vbi dicit quòd dubitatio Virginis, magis fuit admirationis, quàm incredulitatis. Nec immeritò Augustini verba ita explicanda sunt. Quis enim credat D. Augustinum in ea fuisse sententia, vt crederet, quòd Virgo electa ad generandum Dei filium, fuisse videatur incredula? Maximè cum non dicam Augustinus, sed minus sapiens aliquis optime cognoscat, quòd sicut Virgini pręrogatiua maior fuit reseruata, ita etiam ei maior fides debuit reseruari. D. Thom.

His ego adductus, adduci sanè non possum, ut credam, D. Augustinũ vnquam habuisse opinionẽ, ei contrariam, quam habuit lib. 3. D cap. 2. de miraculis sacrę scripturæ, quo loco ita inquit: Quibus verbis auditis (loquitur de verbis Angeli) orans Virgo accomodata fide, sine vllo incredulitatis, aut inobedientię obiecto consensit. Et D. Ambrosius lib. 2. in Lucam de eadem Virgine sic ait. Etenim cum dicit: Quomodo fiet istud? non de effectu dubitauit, sed qualitatem ipsius quæsiuit effectus. Et paulo post clarius. Quanto temperantior, inquit, est Mariæ responsio, quàm verba sacerdotis? Hęc ait: Quomodo fiet istud? Ille respondet. Vnde hoc sciam? Negat ille se credere, qui negat se scire: ista se facere profitetur, D. August. D. Ambr.

nec dubitat esse faciendum, quod quomodo fieri possit, inquirit. E

D. Bern. De hac etiam re melifluus Pater D. Bernardus hom. 4. supermissus est, nobis sic scriptum reliquit. Non dubitat de facto, sed modū requirit & ordinem: nec enim quærit: an fiet istud? Sed quomodo? D. Ambrosij, & D. Bernardi sententiæ valde consonant ea, quæ in primum caput Lucæ hunc etiam in modum tradit Venerabilis

Beda. Beda. Non ait quomodo hoc sciam? Sed quomodo fiet, inquit: ordinem videlicet, cui subdatur inquirens, non autem signum, cui credat flagitans: nec enim decebat electam generando Deo Virginē, dubiam diffidentia, sed prudentia cautam existere.

Præterea superiorum Patrum sententijs, quibus nostræ Virginis F fides, ab omni incredulitatis nota clarissimè liberatur merito ēt ad-

Euse. Emi. Theophy. dendæ sunt D. Eusebij Emisseni, & sapiētissimi Theophylacti sniæ, quorum Eusebius sermone 4. feriæ ante 4. Dominicam aduentus super hæc eadem Mariæ verba, sic inquit. Non dubitat fieri, quod Angelus fieri promittit: interrogat tantū, qūo fiet? Qm̄ quamuis aliqn̄ Virginem parituram audierat: qūo tn̄ pareret, non audierat. Dicit enim Isaias: Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, qūo tn̄ pariet, non dicit. Quia igitur Virgo est, & virum nō cognoscit, qūo pariat, & virgo maneat, interrogat, quia nulli adhuc reuelatum erat. Quod vero attinet ad Theophylactum, is super hunc eundem Euangelistę G locum multò sanè dissimilius sentit, quàm sensere Chrysostomus, & Euthymius. Et quòd hac in re valde minor illud est, quòd cùm sapiētissimus Theophylactus opinionum D. Chrysostomi maximus semper sectator extiterit, in hoc tn̄ eius opinionem minimè secutus fuit, fortè existimans: non quidem id, quod nonnulli perperam iudicant, nempe D. Chrysostomum, sua ptè natura fœmineis moribus infensum, non potuisse se cohibere, quin aliquid muliebre, etiam nostræ Virgini tribueret: Sed illam opinionem non fuisse D. Chrysostomi, sed alicuius potius indocti, aut hæretici, qui eius operibus eā inseruit. Præsertim cùm ipse D. Chrysost. inter cæteras Mariæ vir- H tutes, eius etiam fidem miris vbique laudibus celebrare consueuerit. Sapientissimi Theophylacti de D. Chrysostomo, ita fortè existimantis sententia, talis est.

Theophy. Non quasi discredēs dixit: Quomodo erit mihi istud? Sed vt prudens, vt intelligens, vt discat modum inquirit, non enim prius tale quidam factum est, nec posthac fier. Ideo & ignoscit ei Angelis, & non condemnat, vt Zachariam, sed magis modum docet. Nam Zacharias meritò condemnatur, habuit enim exempla multa, qn̄quidē

& mul-

A & multæ steriles pepererunt: Virgini autem nullum exemplũ erat.

Taliter supracitati à nobis Patres Mariæ ad Angelum prima verba exponunt, taliter eius interrogationem ab omni incredulitate liberam omnino esse uolunt.

CAP. II.

Mariæ interrogatio Iudæorum interrogationibus quantum dissimilis. Ipsius Mariæ fides ad verba Angeli, ita inconcussa permansit, vt ex sententia Alberti, nec de facto, nec de modo Virgo dubitauerit.

B Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Luc. 1.



POst allatas Patrum sententias, quibus Mariæ ad Angelum facta interrogatio, ab omni prorsus diffidentiæ suspicione liberatur: Videndum restat, quàm dissimilis in sua interrogatione Virgo fuerit incredulis Iudæis. Neque immerito hoc nobis in præsentiarum videndum est, quia licet à Iudęorum stirpe Maria originem duxerit, nullam tamen (nec minimam C illam quidem) ab illis incredulitatis maculam contraxit.

Increduli Iudęi quoties cum Christo loquentes, aut ipsum audiẽtes, hac interrogatione, quõ, vtebantur, toties suam maximã diffidentiam ostendebant, & Christi doctrinã, in malum cõuertebant. Sicut Simile. enim mare dulces fluminũ aquas in amaras statim conuertit: ita in suorum peccatorũ cęcitate, & amaritudine viuentes Iudęi salutiferã Christi doctrinã, in amaritudinẽ illicò conuertebant. Dicebat illis Christus se esse panẽ viuum, qui de cœlo descenderat: ipsi verò murmurãtes dicebant. Nonne hic est filius Ioseph, cuius nouimus pa- Ioan. 6. trem, & matrem? Quõ ergo dicit hic, quia de cœlo descẽdi? Rursus D dicebat illis Christus: Panis quẽ ego dabo caro mea est pro mundi vita. Ipsi verò litigabant dicẽtes. Quõ põt hic nobis carnẽ suã dare ad Ioan. 6. manducandũ? Deniq; ascẽdebat Christus in templũ, ibiq; docebat; Iudęi aũt mirabantur dicentes: Quõ hic literas scit cũ nõ didiscerit? Ioan. 7.

Hoc verò totum tale erat, ac si in prędictis omnibus Iudęi dicerent. Non potest omnino verum esse, quòd iste de cœlo descẽderit: incredibile est, quod nobis carnem suam dare possit, ad manducandũ: impossibile est, ꝙ literas sciat, cũ nullis in scholis fuerit versatus.

O' stultos, & nimium tardos corde ad credendũ Iudęos? O' corda prorsus obnubilata, & omniũ vitiorum sorde polluta. Sicut enim illi Simile. omnino stulti dicẽdi essent, qui solem noctu aspicere uellẽt. Et sicut

etiam

Simile. etiam cæci, meritò insensati dicerentur, si ex eo quòd solem nunquã E
viderunt, eum in mundo esse negarent: sic etiam omnino stolidi, & amentes dicendi sunt Iudæi, siquidem in suæ infidelitatis nocte remanentes ea, quæ Christus prædicabat cognoscere nolebãt: & ex eo quòd pre infidelitate ea, quæ ab ipso Christo dicebantur, non intelligebant, ea prorsus impossibilia esse, credebant. Et sicut etiam speculum, si pollutum illud sit, nullas potest in se imaginum impressiones suscipere: ita Iudęorum corda tanta vitiorum diuersitate polluta, & carnalis sensus affectionibus obtemperata veritatem, quã Christus prædicabat, capere non valebant: Sed in sua diffidentia, ita immobilia persistebant, vt ea omnia crederent esse impossibilia, quę à F
summa veritate dicebantur. Longè aliter sanè Maria se habuit, in sua interrogatione erga Angelum, quæ quidem de illis, quæ ab eo dicebantur, minimè dubitauit, sed modum, quo illa fierent, solum interrogauit. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?

Ioan. 3. Euangelicus ille Nicodemus, cùm Dominus ei diceret. Amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuò, non potest videre regnum Dei: statim in hunc modum interrogauit. Quomodo potest homo nasci cùm sit senex? Hoc autẽ sicut placet doctissimo Cornelio Iansenio (licet D. Chrysostomus, & Euthymius in eundem locum aliter opinentur) non ex diffidentia dixit: sed solum ex desiderio sciendi modum, quo fieri possent ea, quę à Christo dicebantur. Eodem etiam modo, imò multò perfectiori modo, & ab omni incredulitatis suspicione magis, alieno cum Virgo beatissima ab Angelo interrogat: Quomodo fiet istud? Non quasi diffidens interrogat, sed solũ ut modum discat.

(Iansen. D. Chrys. Euthy.) G

Et quorsum? Vel quomodo, de verbis Angeli Maria dubitaret, quæ in prima sua sanctificatione, ita fuit in bono cõfirmata, & tale gratię donum, tàm singulare ipsius Dei auxilium accepit, vt nec leuissimam culpam posset committere? Non ea sanè erat nostra Virgo, sed quæ infallibilem perseuerandi donum, statim à prima sua sanctificatione acceperat, intrepide oĩum vitiorum inquinamenta à se longissimè propulsabat. Quemadmodum is, qui supra excelsam petram stat, fluctus maris ridet, dum uidet ipsos in ipsam petram irruere, & protinus in spumam solui: ita Maria Virgo sanctissima, ac purissima in firmissima gratię petra constituta, nullum prorsus nocumentum, nec ab incredulitate, nec à uitijs cæteris ferre formidabat, sed semper animo quieta, & tranquilla existebat. H

Simile.

Adeo inconcussa: ẽt circa verba Angeli fuit Mariæ fides. vt Albertus

A bertus magnus supermissus est cap. 259. Postquàm adduxit nonnul lorum Patrum sñias, quæ ostendunt Virginem non dubitasse de facto, sed de modo, dicat, idque rationibus cõprobare omnino cõtendat, ꝙ ipsa Virgo, nec de facto, nec de modo dubitauit. Quòd ex hoc (inquit eo in loco Albertus) quòd quæsiuit non sequatur aliqua dubitatio, nec de facto, nec de modo, patet ex hoc, ꝙ nõ omnis quęstio est propter dubitationem. Dominus enim in Euangelijs sæpe plura quæsiuit, & tamen de nullis vnquàm dubitauit. Item Ioannes cum audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? Quod nõ propter se, sed propter discipulos quæsiuit: similiter videtur quòd etiam beata Virgo quæsiuit non sibi, sed nobis. Alber. Matt. 11.

B

Et deinde volens, idem Albertus probare, quod nec de facto, nec de modo Virgo dubitauerit: quod factum quidem sic probat. Legerat Viginem parituram, ergo sciuit per fidem, & ei modo dicitur, ꝙ ipsa sit illa Virgo, ergo credit se Virginem parituram. Quoad modũ autem sic: Ipsa credidit articulum de incaminatione: Sed de substãtia ipsius articuli est credere Virginem Deum concipere, & eripere: ergo non dubitauit, vtrum manens virgo, esset conceptura, & paritura.

C His, & alijs similibus in huius rei confirmationem sic adductis, tandem concludit illo in loco Albertus, Virginem prudentissimã, & fidelissimam, nec de facto, nec de modo dubitasse, ac proinde q̃stionem, quam fecit, non propter dubitationem fecisse, sed (sicut ille ait) propter materiæ pleniorem descriptionem, propter ueritatis maioré expressionem, propter errorum dubitationem, opinionum exclusionem, & denique propter nostram ædificationem.

CAP. III.

Humilissima Virgo cum bono Angelo, superba matri Euæ cum malo, quam dissimilis.

D

Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Luc. 1.



Rimæ matris nostrę Euę factum, si diligenter volumus considerare, sanè reperiemus, quod superbia, per quam propriam potestatem, & excellentiam appetiji, in causa fuit, miserandæ illius iacturę, quam fecit. Versabatur prima illa mulier

A Sed hoc non contentus apud mulierem, Deum ipsum cœpit incusare, tanquam inuidum opificem: vt vel sic supplantata muliere posset, propositum suum implere.

Talibus verborum lænociniis à diabolo decepta mulier in tantam venit intemperantiam, vt Dei spreto mandato, statim acciperet de fructu arboris illius, & comederit, dederitq; viro suo, qui comedit. O lachrymandam mulieris imprudentiam. O inconsiderationem sanè dolendam. Debebat mulier ad serpentis verba expauescere: debebat videre ea esse pernitioso veneno plena. Sed ea lætifera esse videre noluit, poterat enim si voluisset.

B Et si verba serpentis illi placebāt ex eo, quòd ęqualitatem cū Deo ei promittebant, saltem tanquam bene cordata, & prudens mulier poterat, non diabolum, qui prorsus ei suspectus esse debebat. Sed saltē maritum interrogare de modo, quo ad promissam sibi altitudinem posset peruenire, vt vel sic impossibilitatem promissorum deprehenderet. Si verò hoc nolebat interrogare, ad minus debebat cogitare, qualia essent dęmonis verba quàm fallacia, & quàm pernitiosa. Debebat deniq; se metiri in se, & hinc paruitatem suam, inde verò Dei altitudinem considerare, & sic humiliari, & non tàm vana diuinitatis spe inflari.

C Verum nihil horum mulier fecit, quia tanta prudentia, & humilitas non Euæ, sed Mariæ soli reseruabatur. Hæc sola ad angelicæ salutationis vocem expauescit: hæc sola turbatur non ex aspectu angelico quasi insolito, iugiter enim ab Angelis visitari Virgo solebat, sed propter excellentiam diuini promissi, quod propria merita excedere videbatur. Hæc sola cogitat qualis sit Angeli illa salutatio. Hæc sola absque leuitate credit non diabolo per serpentem loquenti, vt Eua; Sed Deo ad ipsam angelum mittenti. Hæc denique sola tanquam humillima, & prudentissima nihil interim dubitans de facto solū quærit de modo, quo facienda sint ea, quæ sibi ab angelo dicuntur. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?

D Verè maxima, & fructuosissima res humilitas, quæ semper multo minus sibi tribuit, quàm habet: contra vero superbia omnia sibi deberi existimat. Non terrenis Regnis, nec imperijs nouit esse contenta, sed ad cœlestia adhuc aspirans diuino honore dignam se esse iudicat. Tale quid nostra mater Eua passa esse videtur, etiam antequā à Diabolo tentaretur. Et ideo D. Augustinus lib. 11. super Gen. ad literam cap. 3. & D. Eucherius in Gen. cap. 24. existimant Euam nullo modo fidem serpenti adhibituram, nisi antea iam inesset menti il- D. August. D. Euche.

lius

ius amor quidam propriæ potestatis, & quædam de se superbæ præ- E
sumptio.

Neque immerito, si enim Eua non esset superbiæ morbo iam infecta, nequaquam Diabolus tam facile eam decipere potuisset. Sicut enim ignis, magnæ licet sit actiuitatis, tamen formam suam non intro ducit, nisi in materiam bene dispositam: ita Diabolus licet magnam habeat vim ad decipiendum, tamen non tam facile Euam in fraudē induceret, nisi in eius animo superbiæ fomitem inuenisset, vbi ignita sua verba sic statim adhęserunt. Namque Diabolo audito mulier sibi persuasit, absque vllo prorsus dubio in se omnia illa adimplenda esse, quæ diabolus promittebat. Et quid mirum si promissæ dignitatis, ac diuinitatis spe falleretur, si iam antea propter superbiam tan F ta secum concipiebat?

Simile.

Verum quia quidquid erat, ex Deo esse mulier non agnouit, sed supra se ita se extulit, vt æqualis Deo esse vellet, ideo occultam mentis eius superbiam, per manifestam ipsius ruinam puniuit Deus. Ipse namque multoties permittit eos, quos interius elatos, & superbos esse nouit, exterius in peccata ruere, vt hoc modo confusi humilientur. Sicut enim cum seruus sordidam, & laceratam habet vestem, nec tamen curat eam lauare, aut consuere ex eo, quia suapte natura piger est, & immundus: tunc dominus permittit alteri seruo, vt maiorem illi in veste faciat maculam, aut scissuram, vt negligens, & sordidus seruus, sic tandem confusus se resarciat, & lauet: sic Deus occulte G animo superbientes, in maiorem sæpe culpam permittit ruere, vt tali modo confusi, ea, quæ antea negligebant, emendent, & curent. Et in hoc sensu exponunt nonnulli illud apocalipsis: Qui in sordibus est sordescat adhuc. hoc est: Qui in minimis sordidus ea non curat, in maiora ruens, resipiscat.

Simile.

Apoc. 22.

Tali modo Deus Euam superbiæ morbo laborantem curauit, vt sic disceret non quidem extollere se supra se, per superbiam: sed ponere se intra se, & infra se per humilitatem. Id, quod nos Virginem beatissimam clarissimè fecisse videmus, quæ ex vna parte singula cœlestis nuntij verba animo reuoluebat: ex alia vero in semetipsam oculos conuertebat, se discutiebat, se inspiciebat, se quærebat. Et cum H propter suam humilitatem nihil tanto oraculo dignum in se inueniret, nec intra se: ideo exterius ab Angelo quærebat: Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?

Hoc vero tale est, ac si diceret Virgo beatissima, simul & humillima: Cùm meritis multò maiora promittas, dic modū quo ipsa

in

A in me adimplenda sint. Ego enim quantum ad me attinet nihil prorsus in me inesse cerno, vnde à te tam abundè laudari, & à Deo ad tantum honorem merear assumi. Quare edisseras, precor, ò sancte Gabriel: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?

CAP. IIII.

Dignitates, & honores Virginis exemplo quàm formidandi sunt, & timendi.

B

Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Luc. 1.

PRofundissimæ suæ humilitatis ingentem abyssum, his verbis Maria mundo declarat. Offerebat ei Angelus Dei nomine, offerebat ei honorem matris filij sui: ipsa vero (id quod summæ eius humilitati tribuendum est) quasi impossibilia esse credebat ea, quę ab Angelo dicebantur. Non quidē ex parte Dei, quem id facere posse firmissimè Virgo credebat: sed ex parte sui, quia humillima erat, & de se suisque meritis parum con
C fidebat. Consueuit namque humilitas, sicut semper stare sub se, ita difficile fidem accommodare ijs, quæ supra se fore censentur.

Si magnus aliquis Rex, mulierem aliquam, infimo loco natam, sibi in vxorem assumere volens, ad ipsam mitteret vnum ex suis, qui ei nuntiaret, ipsum Regem velle, eam in coniugem accipere, meritò talis mulier circa hoc anceps, & dubia remaneret, meritò interrogaret, quomodo id fieri posset. Non quòd crederet, Regem id facere non posse, sed quòd cum sit ita infima, & abiecta, in se nihil videret, vnde Regis vxor esse posset. Pari etiam modo, cùm Deus beatissimam Virginem in matrem filij sui elegisset, misit ad eam Angelum,
D qui ei nuntiaret filij sui ipsam matrem mox futuram. Sed Virgo audito tali nuntio turbata est, & cùm in se nihil tanto honore dignum reperisset, statim interrogauit. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?

In hoc nostræ Virginis facto, illud etiam considerare nos decet: Nempè quanta discussione opus sit, in acceptandis honoribus, & dignitatibus, quæ quidem ab hominibus non minus timeri debent, quàm maxima onera. Quid enim aliud sunt honores, quàm onera? Significant hoc clarissimè Centurionis verba, quibus ait.

Nam

Matt.8. Nam & ego homo sum sub potestate constitutus. Vbi non in potestate, sed sub potestate se esse dicit, ad denotandum quòd sua illa potestas nihil aliud erat quàm grauissimum onus, quod supra se habebat. E

Et quid dico, potestatem esse onus? Verè est maxima crux. Et
Esaie.11. ideo Isaias de Christi loquens principatu. Et factus est, inquit, principatus super humerum eius. Quæ verba exponens glossa interlinearis, pro principatu, crucem interpretatur. Id quod magno mysterio non caret, si quidem id, quod propheta vocat principatum, hoc glossa crucem nominat, ad insinuandum, quòd gloria, honor, dignitas, principatus, & huiusmodi alia, nihil aliud sunt, quā crux, F
quæ hominibus super humeros imponitur.

Et ideo talia (meo quidem iudicio) non solum formidanda sunt cum habentur, aut offeruntur: sed etiam eorum sola imaginatio hominibus formidini esse debet. D. Paulus aperte docet Christum Dominum inquantum hominem, honorem, & exaltationem suam
Philipp.2. obtinuisse à Patre per passionem, & mortem crucis. Propter quod, inquit, & Deus exaltauit illum. Et quia Christus hanc gloriam, & exaltationem valde desiderabat, hinc erat quòd mortis horam, ho-
Ioan.17. ram suam vocabat: hinc denique erat quod Patrem sic orabat. Pater venit hora clarifica filium tuum. G

Verum ex alia parte quando de morte cogitabat, per quam istam exaltationem consequi debebat, calicem illum à se transferri postulabat. Et quamuis tunc temporis ab Angelo confortabatur, tamen
Luc.22. dicit Euangelista, quod positus est in agonia, & quod factus est sudor eius, tanquam guttæ sanguinis decurrentis in terram. Proh Deus immortalis, quid hoc est? Gloriam, & exaltationem, quam Christus tantopere desiderabat per mortem crucis consecuturus erat: in sua erat passione à Patre clarificandus, imprimis per signa diuinitus ostensa, cuiusmodi sunt solis obscuratio terremotusq́; veli templi scissio, & alia, quibus visis gentilis centurio dixit. Verè filius Dei erat H
Matt.27. iste: Deniq; per sui corporis gloriam, & exaltationem, quam in sua passione meruit, & pręterea per notitiam totius mundi, in quam venturus erat, per gentium credulitatem: ac denique per titulum super
Ioan.19. eius caput imponendum, per quem erat nominandus; Iesus Nazarenus Rex Iudęorum.

Et nihilominus cùm mortis recordatur, quæ erat medium, per quod hæc omnia assequenda erant, ita timet, vt opus sit quòd ab Angelo confortetur: id, quod adhuc non sufficit, sed in agoniam venit,

& san-

A & sanguinis guttas sudat, videns peruenicudum sibi esse ad illũ honorem, ad illam gloriam per acerbissima tormenta, & per mortem durissimę crucis, in qua affigendus erat.

Sed ad quid hoc? Sanè vt hominibus suo mostraret exemplo, honores, & gloriam mũdi nihil aliud esse, quàm crucem: & quòd illa tanquàm crucem debent formidare. Hoc autem quanta ratione faciendum sit nobis etiam nostra Virgo indicauit, quæ ad tantam excellentiam, & dignitatem cum eligeretur, sic turbata remansit, vt opus foret quòd ab Angelo confortaretur. Nè timeas, inquit, Maria. Quo non contenta adhuc Virgo interrogat: Quo-
B modo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Quasi diceret video quod nuntias, considero excellentiam dignitatis, quam promittis, & quia eam meis humeris imparẽ esse conspicio, cum tã vilis sim, & abiecta, ideo turbor, ideo timeo. Sed siquidẽ, nè timeã, hortaris, dicas modum, quo ego ad tantum honorem sim peruentura.

Postquam autem Angelus in eam, super venturum spiritũ sanctum esse respondit: tunc Virgo statim assensum præbuit, tunc oblatum honorem humiliter acceptauit, nimirum vt hoc modo ostenderet, non omnium quidem esse honores acceptare, sed illo-
C rum solùm, qui à Deo vocantur. Id etiam Paulo Apostolo sic attestante; ac dicente, Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aron, Hebr. 5.

CAP. V.

Mariæ Virginis in seruanda Deo promissa Virginitate, constantia fuit per quam maxima.

Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Luc. 1.

D

SPonsæ laudes proferens sponsus, de ipsa inter cætera sic ait. Vna est columba mea, perfecta mea. Quæ verba explicans Theodoretus super cantica, hanc vnam perfectam columbam, dicit esse Mariam, quæ puritate quidem Cherubin, & Seraphin antecellit. Ibi ergo Spiritus Sanctus ex sententia Theodoreti, iam tunc de beatissima Virgine loquens, eam non solùm columbam suam perfectam appel- Cant. 6. Theod.

B lat.

lat: Sed etiam eam vnam esse dicit. Ostendens eam ita esse vnam, E
vt præter illam, nulla sit alia, quę sanctos omnes longissimo intervallo antecellat.

Veruntamen licet in hoc sensu, sensu supradicto Maria vna rectissimè dici possit: tamen à vero (sicut ego quidem existimo) nō longe aberrabimus si dixerimus, quòd Spiritus Sanctus, cùm de Maria dicit: Vna est columba mea: apertissime uoluit significare, quòd ipsa semper fuit vna: hoc est, nunquàm in diuersa mutata. Sed ꝙ vna, & eadem existens, in eadē gratia, in eadem perfectione, in eodemq́; boni proposito semper stabiliter, & immutabiliter permansit. An non ita Maria vna, quæ ad tantam sibi oblatā F
dignitatem inconcussa permanens, de promissa Deo virginitate solum sollicita requirit: Quomodo fiet istud, quoniam virum nō cognosco?

Videbat fidelissima Virgo: Videbat, inquam, ex vna parte irrefragabile suæ mentis propositum: ex alia uero cognoscebat, Gabrielem talia nuntiantem, nullo modo posse mentiri. Vnde prolatam Angeli sententiam, & animi sui propositum, inter se opposita esse sciens, non dubietatis causa, modum, miraculumq́ue tanti pręsagij audire desiderans, inquit: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Ex quibus verbis liquidissime apparet: G
quàm meritò hanc laudem, & hunc vnitatis titulum Spiritus Sanctus soli Mariæ tribuat, cùm de ipsa dicit: Vna est columba mea.

Hominis instabilitatem, & inconstantiam considerans patientissimus Iob, de ipso in hunc modum dicit: fugit velut vmbra, & nunquàm in eodem statu permanet: Vbi non soli, sed vmbræ hominem comparauit: tùm quia homo amisso amore Dei calorem cordis perdidit, & in frigore iniquitatis permansit: tùm etiam, quia sicut arboris vmbra iuxta solis cursum, & eleuationem ita au fugit ex vna parte in aliam, quòd si ad illam ingentis caloris tempore sedere volueris, opus est quòd sæpe locum mutes: ita etiam homo nunquàm in eodem statu permanet, sed sæpe à virtutis, ac boni proposito ita mutatur, vt nullo modo de illo dici possit, qđ vnus sit, sed multiplex. H

Iob. 14.

Simile.

Et hinc sane esse existimo, quòd hominis vultum, nunc iratum, & tristem, postea uerò mansuetum, & humilem intueamur. Hinc quòd ipsum hominem nunc de rebus diuinis, & de æternæ

uitæ

A uitæ rebus consulentem, postmodum uerò uel quę ad auaritiam, uel quæ ad mundi gloriam pertinent, molientem conspiciamus. Et sic tot in misero, & mutabili homine personę esse videntur, quot in eo mores esse conspiciuntur.

De Camęleonte dicunt naturales, quòd ad colores, quos videt facillima conuersione variatur. Quis hominem non ita affectũ esse dicat? Nam homo in tantas quotidie formas mutatur, quot sunt res, quarum desiderio flagrat: Stultus sicut Luna mutatur, dicit scriptura. Sicut enim Luna, licet una sit per substantiæ immutationem: tamen sicut ex ipsa constat, à semetipsa sic semper B alia est, atque diuersa, quòd non vna sit, sed multiplex: sic miser homo, cùm semper sententiam mutet, & de bono in malum, de desiderio in desiderium, & de peccato in peccatum sępe prolabatur, vnus dici non potest, quia in multiplices quotidie formas variatur. Simile. Eccles. 27. Simile.

Non talis equidem fuit Maria, sed vna, atque eadem continuò existens, semper in eodem boni proposito stabilis permansit: hac vna inre, sicut & in cęteris Deum vnum uerissimè imitata, de quo dicitur. Audi Israel: Dominus Deus noster, Deus vnus est. Deut. 6. Quibus verbis (meo quidem iudicio) Deus non tantum vnus nu- C mero designatur, qui supra omnem numerum esse, credendus est: Sed per hoc, etiam vnus dici intelligendus est, quòd nunquàm à semetipso alter efficiatur, nunquam mutetur, nunquàm in aliud vertatur. Tu autem idem ipse es: dicit de Deo regius propheta. Psal. 101. Sed illud etiam in hũc sensum respicit: Ego sum Dominus Deus Mala. 3. vester, & non mutor. Immutabilis igitur est Deus, & per hoc etiam unus dicitur, quòd non mutatur.

Ad hunc etiam modum, (sed multò differentiorem modum) imitatrix Dei Maria ab ipso Deo vna columba, & perfecta appellatur, quia nunquàm in diuersa fuit dispersa, neque diuisa, sed in D virtutis summa, atque in promissæ Deo uirginitatis proposito consistens, ita una, & eadem semper apparuit, quòd Angelo responderit: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?

Hanc Marię constantiam considerans D. Laurentius Iustinianus sermone de annunciatione, hunc in modum exclamat. O' fides inconcussa super humilitatis petram fundata. Et mellifluus Pater D. Bernardus sermone quodam de beata Virgine super verbis Apocalypsis non aliunde petit autoritatem, qua osten- Lau. Iust.

dat Mariæ inuiolabilem in promissa Deo virginitate cõstantiam, E
quàm ex sua hac responsione ad Angelum. Probat enim (inquit deuotissimus Bernardus) propositi inuiolabile fundamentũ, quòd tàm constanter promittenti filium Angelo respondit: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?

CAP. VI.

Maria Virgo primis parentibus, & malis Angelis se se valdè dissimilem præbuit. Ipsa non tàm bonorum operum principium: Sed finem etiam, id, quod in nobis Deus maxime desiderat, ipsi Deo obtulit. F

Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Luc. 1.

IN omnibus, primis illis parentibus Adamo, & Euæ, Maria sese valde dissimilem præbuit: tàm exiguum enim fuit tẽporis spatium, in quo in bono primi parentes permanserunt, ut de Adamo loquens hom. 60. in 18. cap. Mat. dicat D. Chrysostomus, ꝙ breui tempore, nec die fortasse integra, in paradiso deliciarum viuens, vnum præceptum seruare non potuerit. Et magnæ autoritatis vir Honorius Augustudunensis lib. 5. de ætatibus G mundi rem istã sub dubio minimè relinquẽs, (sicut fecit D. Chrysostomus) de Adamo definiens in hũc modum exorditur. Adam primus homo ad imaginem Dei in Hebron formatus in paradiso cùm Eua horis septem commoratus, ob mandati transgressionem huius mundi exilium subijt.

D. Chrys. Hon. Aug.

Iam verò de malis Angelis quid dicemus? Isti namq; non per septem horas in bono permanserunt, sed statim post primũ instãs suę creationis peccauerunt. Licet enim à nobis supracitatus Honorius de ipsis Angelis malis sic dicat: Sathael (ita enim appellat Luciferũ) primus Archangelus signaculũ similitudinis Dei cre- H ditus, plenus sapientia, & perfectus decore in delicijs cœlestis paradisi, non plenã horam mãsit. Licèt, inquam, Honorius sic dicat, existimetq; aliquã moram, quã dicit non plene horę fuisse, inter eorũ creationẽ, & lapsum: & licet etiam pręter Honoriũ, hoc alij quoq; opinentur: tñ, sicut 1. p. q. 63. ar. 6. docet D. Tho. probabilius est, & sanctorum dictis magis consonans, quòd Diabolus, & Angeli eius statim post primũ instans suæ creationis peccauerũt.

D. Thom.

Fuerunt

A Fuerunt in primo illo instanti Angeli omnes in gratia creati à Deo, qui simul in eis, & naturam condidit, & gratiam cõtulit. Sed post primum illud instans, boni Angeli in laudem Dei sunt conuersi: mali verò in semetipsis remanentes, & per superbiam in tumescentes, in peccatum ceciderunt. O inconstantiam sanè dolendam? Vno solo instanti in gratia permanent Angeli: & per septem tantum horas, aut fortasse minus, iuxta allatas Patrum opiniones, in bono perseuerat homo. Non sic sanè Maria nõ sic, quę nec ab amore Deo debito recessit, vt Angeli, nec ipsius Dei præceptum fregit vt homo. Sed quod magis est, cùm nullum præceB ptum, sed neque consilium, neque exemplum haberet virginitatis, prima inter fœminas gratissimum Deo virginitatis munus obtulit, & toto amore, totoque studio suo ad hoc solum intenta, corpus, & animam suam virginitate perpetua Deo consecrauit. Et hinc erat quod tàm constanter Angelo respondebat: quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?

Hoc vero tale erat, ac si Virgo diceret: Non diffido verbis tuis o Gabriel, quem in dubium, & diuinæ voluntatis fidum interpretem esse video: illud solum miror, quod dicis, me tanti filij matrem futuram. Licet enim sponso Ioseph iuncta sim, tamen ab hac C cura, & cogitatione vt mater fiam, sum prorsus aliena. cùm viri consuetudinem iam antea mihi pęnitus interdixerim. Vnde expli ces, precor, ò sanctæ Gabriel, quomodo fiet istud, vt & ego promissam Deo virginitatem conseruem, & tuum simul nuntium, Deique decretum, de nascituro ex me, vt dicis, filio, perficiatur.

Itaque Virgo sanctissima, quia in castimonia virginitatis, totam vitam consummare disposuerat, ideo Angelum interrogat: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco: Quibus verbis firmissimum sui animi propositum rectissimè declarauit. CoD gnoscebat Virgo beatissima: cognoscebat virgo fidelissima quantum Deo placeret perseuerantia in bono, & ideo in illis, quę animo secum statuerat, tàm immobilis permanebat.

In lege antiqua, Deus sibi primitias, & decimas reseruauit. Exod. 34. Primitias quidem quando dixit. Primitias frugum terræ tuę offeres, in domo Domini Dei tui. Decimas vero cùm similiter dixit. Leuit. 27. Omnes decimæ terræ siue de pomis arborum, siue de frugibus, Domini sunt, & illi sanctificantur: & quod attinet ad primitias: Glossa interlinearis locũ Exodi sic exponit: principia omniũ

bonorum ascribe Deo, non tibi, hebraicam ueritatē forte secuta, E
quę ubi nos dicimus primitias frugum, habet, principium primi-
Similiter. tiuorum. Similiter etiam de decimis dicere possumus, quod ideo
scriptura sacra, eas Domini esse, declarauit: quia quemadmodū
boni operis principium, & inchoatio: ita eius complementum,
& perfectio Deo sunt attribuenda, quia sine diuina gratia nullum
Philip. 2. bonum opus perficitur, aut completur. Ipse enim Dominus (te-
2. Cor. 3. ste Apostolo) operatur in nobis uelle, & perficere, nec sumus suf-
ficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficien-
tia nostra ex Deo est.

Quamquā aūt talis sit istorum locorum sensus: tamen à uero, F
sicut credo, non multum aberrabimus, si supracitata scripturæ lo
ca sic exponamus, dicamusque Deum optimum maximum, ideo
sibi primitias, & decimas offerri pręcepisse, ut ostēderet se uelle,
non solùm nostrorum operum principium, sed etiam finem. Nō
vult Deus ut initia quędam honestæ uitæ solùm auspicemus:
Simile. sed uult ut ulterius progrediamur, uult ut ambulemus. Sicut enim
nobis nihil prodest, si sata uiridantia in herbis, spem messis nobis
ostendant, & postea nos sub ipso falcis tempore subita, uel aeris
intemperie, uel pluuiarum inundatione decipiant. Et sicut etiā
nobis nihil prodest si uinea spem omnem nobis in flore promit- G
tat, & postea uel ferarum incursio, uel uastitas grandinis spem
omnem in consumationem subducat: ita etiam nobis nihil pro-
dest si ut Deo placeamus, sola bonorum operū initia habeamus:
sed opus est, ut ea ipsa bona opera ad finem debitū perducamus.
Ipse enim ut nobis ostenderet hoc ita esse faciendum, ideo primi-
tias, & decimas in lege sibi offerri pcepit: per primitias quidē bo-
norum operum primordia: & initia: per decimas uero perseueran
tiam usque in finem perfectionis, uolens intelligere. Primitias er-
go, & decimas Deo tunc offerimus, quando opus, quod bene se- H
mel incepimus, usque ad finem perducimus.

Sed heù, & iterum heù heù, miserorū mortaliū incōstantia, qui
Mat. 27. tanquam arūdines uento agitatę, ab incepto bono, & uirtute tàm
facile dimouentur. O Dei offensam non minus quàm iudaicam.
De Christi crucifixoribus dicit Euangelista, quòd arundinem in
dextera eius posuerunt, & genuflexo ante eum, illudebant ei, di-
centes. Aue Rex Iudęorum. Verùm hic honor licet esset per ir-
risionem Christo exhibitus, tn̄ tàm parum durauit, ut statim illam
arundinem acceperint, eaquę uenerandum Iesu caput percusse-
rint.

A rint. Quid quæso aliud per arundinem melius significatur, quàm instabilitas, & inconstantia? Quoties ergo voluntatem nostram Deo offerimus, & paulopost eam illi auferimus, toties velut Iudæi Christo illudimus, & arundinem in eius dextera ponimus, quam postea accipientes sanctissimum redemptoris nostri caput ipsa percutimus.

Vnde si Christum tanta iniuria afficere, nosque ipsos perdere nolumus, opus nobis est, vt non solis virtutum principijs, & initijs cõtenti simus: sed etiam quod semper proficere studeamus in melius. Non vult enim Deus, ꝙ solũ virtutis florem, & initium illi ostendamus, sed quod simul fructum faciamus. Omnis arbor, Matth. 7.
B quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur, dicebat Christus. Non dixit, quæ non facit florem, sed quæ non facit fructum. Vt ostendat quòd ad effugiendum miseram illam excisionem, & in ignem missionem, non sufficit nobis quòd pulchros bonorum operum flores, & principia ostẽdamus, Sed opus esse quòd vsque in finem in ipsis bonis operibus perseueremus. Nõ enim qui inceperit, sed qui perseuerauerit (sicut dicebat Christus) vsque in finem, hic saluus erit. Matth. 10.

Quid ergo faciemus? Imitemur Virginis nostræ constantiam, quæ quia virginitatem perpetuò se conseruaturã disposuerat, ideo Angelo constantissime respondit: Quomodo fiet istud, quoniam
C virum non cognosco? Quibus verbis se perpetuò virum non cognoscituram Virgo asserit, licet enim de præsenti locuta fuerit, tamen id fecit more hebræorum, qui vna, atque eadẽ uoce & præsens, & futurum tempus sæpe designant. Et ideo Petrus Galatinus lib. 7. de arcanis catholicæ veritatis cap. 14. sic inquit. Hebræa si quidem ipsa (de Maria loquitur) existens non cognosco, pro non cognoscam, dixit. Pet. Galat.

Consonat huic Petri Galatini sententiæ D. Bonauentura super hunc locum, qui hæc eadem Mariæ verba futuro etiam tempori accommodat. Nec solum in Lucam in hac sententia persistit D. Bonauentura, sed etiam de meditationibus vitę Christi ad vir- D. Bonau.
D ginem sanctimonialem cap. 4. D. Bonauenturæ, & Petri Galatini sententiæ non parum suffragatur Venerabilis Beda in eundẽ sensum verba ista exponens: Quomodo, inquit, fieri potest, vt concipiam pariamque filium, quæ in castimonia virginitatis vitam cõsumare disposui? Beda.

Nec immeritò hoc modo isti patres hunc locum sic exponunt. Namque si rem istam paulò altius velimus perscrutari, planè reperiemus, quod ab hac Patrum expositione, non procul discedit communis noster loquendi vsus, quo sæpe præsens tempus pro futuro vsurpamus. Dicimus enim hoc anno Romam non vado, pro non vadam: Rem istam non facio, pro non faciam: & cum carnes non comedere, aut vitam in Religione perpetuo agere promittimus, carnes non comedo, proprium non possideo, voluntatem meam nõ facio, dicimus, quo sermone non pręsens tantum tempus, sed futurum significare, intendimus. E

Pari etiam modo cum purissima Virgo, dixit: Virum non cognosco. Minimè præterito, aut præsenti tantum tempori sermonem accõmodauit: sed perpetuò intentionis proposito, quod quia in præteritum transiturum non erat, sed in æternum permãsurum immobile, ideo ipsa Virgo præsenti tempore significantissime vsa est, dicens: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? F

CAP. VII.

Tardo Mariæ ad Angelum responso, in consiliandis rebus tarditas, & in consiliatis exequendis, celeritas admonetur. G

Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Luc. 1.

CVm vera pro falsis approbare non nunquàm homines soleant, ideo in omnibus operibus suis magno semper consilio illis opus est, nè facili credulitate citò ad falsa prolabantur: vbi verò rebus optimè pensatis, & matura consideratione discussis de ipsarum veritate, aut vtilitate constiterit, absque omni prorsus cunctatione debent executioni debitę demandari. Docet hoc nos diuina scriptura, quę facilem imprimis credulitatem obiurgans, de illo, qui in consulto, & absque consideratione in rebus persuadetur sic dicit: qui citò credit leuis est corde. Et deinde celeritatem in rebus consideratis commendans. In omnibus, inquit, operibus tuis esto velox. Quibus in locis apertissimè scriptura significat, in principio res esse optimè examinandas, vbi verò bene fuerint examinatæ, & ponderatæ, H

Eccles. 19.
Eccles. 31.

cùm

A cùm festinatione esse perficiendas. Alioquin quomodo contradictione, & repugnantia carerent loca ista? Videretur enim scriptura sibi cõtradicere, cum vno in loco celeritatem vituperet, & alio eam commendet. Cùm igitur scriptura leuitatem in citò credendo reprehendit, apertè docet, quòd consiliari debemus morosè: & cùm velocitatem in omnibus operibus commendet, planè insinuat quòd bene consiliata velociter exequi debemus.

Nautę cùm magnam aliquam nauigationem facere volunt, non statim è portu soluunt: sed tempus prius benè considerant, & iterum atque iterum altos montes conscendũt, vt inde ventorum flatus speculentur, quos cùm suę nauigationi prosperos esse cognoscunt, tunc vela faciunt, & se nauigationi committunt. Simile.
B Eodem modo cum aliquod arduum negotium est à nobis peragendum, nõ illico res ipsa est executioni committenda, sed prius satis superque consideranda, & tùnc cùm satis à nobis fuerit considerata, tùnc velociter eam exequamur, & ad hoc sanè allusisse iudico nonnullos principes, qui præter propria suæ familię arma, & insignia, pro peculiari suo insigni testudinem cùm alis, aut velis sibi effinxerunt: Volentes vt credo, per testudinem, morositatem, tarditatemque in consulendo: per alas verò, aut vela, velo-
C citatem in exequendo significare.

Sed ad quid multa cùm vtrumque nobis Virgo suo exemplo demonstrauerit? Cum enim esset Virgo prudentissima non subito promissam sibi ab Angelo dignitatem acceptauit, sed prius de modo interrogauit; Quomodo, inquit, fiet istud quoniam virum non cognosco? Prius Maria rem ipsam tacita secum considerauit, & postquam rem optimè considerauit tùnc assensum præbuit. O Virginis factum singulariter venerandum? O admirandum exemplum, quo nos ipsa Virgo hortatur, ne in actionibus nostris simus, aut nimium tardi, aut tantùm celeres quòd
D præcipitanter curramus: sed tales quòd in consilio, & consideratione nostra tarditas, in executione verò celeritas cognoscatur.

CA-

E

CAP. VIII.

Diaboli caput quomodo Maria contriuit ipsa nos docuit tentationum initia cogitare, & in ipsis inimicum Diabolum statim excludere, & ad aliorum auxilium confugere, quando id proprijs viribus efficere non poterimus.

Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Luc. 1.



DIximus superiori capite in consiliandis rebus tarditatem, in exequendis verò celeritatem esse adhibendam. Verum quia aliquis fortasse credet, hoc in omnibus humanis actionibus esse obseruandum, præsenti capite admonendum esse duximus, hoc non in omnibus ita esse faciendam. Sunt enim permulta, in quibus in consulendo celeritas, in exequendo autem maxima tarditas est adhibenda: id, quod tùnc est à nobis maximè obseruandum, quando cùm inimico diabolo nobis agendũ est. Hic enim cùm sit totius doli nequissimus artifex multotiens sub amicitiæ, & pacis specie cruentum nobis bellum
Simile. inferre parat. Piratæ, qui depredationis gratia huc atque illùc per mare discurrunt, cum nauem aliquam vident, vt eam facilius capiant, statim eius vexillum obseruãt, quo obseruato, suũ vexillum in aliud simile cõmutant, nè illi, qui in naui sunt propius accedere vereãtur, quos cùm iuxta se esse vident, ferreis manibus, & vncis nauim statim affigentes, eam capiunt. Pari etiam modo, diabolus cùm sit multo peior, quàm omnes mũdi piratæ, & cum ardentissimo desiderio flagret depredãdi hominum animas, discurrit,
1. Pet. 4. & circuit per hoc mundi mare, circuit, inquam teste Petro Apostolo, quærens quem deuoret. Et vt hoc facilius faciat suum vexillum, quod est peccatum, in vexillum Christi, quod est virtus, immutat, quãdam solam virtutis speciem, ac similitudinem ostendendo, vt hoc modo non solum hominum animas depredetur, sed vt eas in profundum inferni detrudat. Nè igitur nobis noceat malignissimus insidiator, sed vt confusus à nobis prorsus aufu-
1. Pet. 4. giat, fortiter illi est in fide resistendum, cui resistite fortes in fide,
Iacob. 4. dicit idem Apostolus. Vnde etiam per Iacobum sic dicitur: Resistite diabolo, & fugiet à vobis.

F G H

Sed

A Sed vt fugiat à nobis diabolus, quādo illi resistendum est? Statim in ipso suæ tentationis, & suggestionis initio. Sic enim eũ non solum effugamus, sed eius caput conterimus, quod illi per Mariā conterendũ esse, iam olim in ipso statim mundi principio à Deo promissum est. Ipsa conteret, inquit, caput tuum. Quæ verba exponentes multi ex sanctis Patribus, per caput Diaboli, intelligũt initium suggestionis. Ac si nihil aliud sit diaboli caput conterere, quā ei in principio tētationis resistere. Hinc D. Gregorius lib. 20. moralium sic dicit: Caput serpentis conterere, est initia suggestionis manu sollicitæ considerationis à cordis aditu extirpare. Et B D. Eucherius Lib. 1. in Genesim cap. 19. dicit, quòd caput serpentis cōterimus, si eũ in ipso initio malæ suggestionis excludimus. Gen. 3. D. Greg. D. Euche.

Tali modo Mariam serpentis caput contriuisse asserit mellifluus Pater D. Bernardus hom. 2. super Missus est, quo loco de Maria sic loquitur. Ipsa proculdubio caput contriuit venenatum, quę omnimodam maligni suggestionem, tàm de carnis illecebra, quàm de mentis superbia, deduxit ad nihilum. Et D. Cyprianus Lib. Testimoniorum aduersus Iudæos cap. 9. Ponam (inquit Dei nomine cùm diabolo loquens) inimicitias inter te, & mulierē, quę repudiata facilitate credēdi, non solum te nō audiat: sed ipso etiā C Gabriele deferente verbum, rationē de promissionis exigat nouitate dicendo: Quomodo fiet istud quoniā virum non cognosco? D. Ber. D. Cyp.

Tantæ igitur Viginis exemplo diaboli caput conteramus, eiq; in principio suę tentationis statim resistamus. Ad hoc enim prudentissima Virgo interrogauit: Quomodo fiet istud? Ad hoc de Angeli salutatione cogitauit, vt nos doceret, ita nobis esse faciendum, & multo iustius faciendum cùm malo Angelo, quemadmodum ipsa fecit cùm bono.

Euthymius super illa Lucæ verba: Et cogitabat qualis esset illa salutatio, dicit beatā Virginē cogitasse vtrũ illa salutatio esset diui D na, an à dęmone, quę Euthymij sentētia rationi parũ satis cōgruere videtur, præsertim cũ verisimilius sit, & sanctorũ Patrum dictis conformius quod ipsa Virgo Gabrielē nuntium agnouerit, qui vt auctor est D. Ambrosius Lib. 2. de Virginibus, Mariā vbi reuisere solebat, inuenit. Et si hac in re ex Euāgelio etiā coniecturā facere nobis licet, Virgo nostra nō quidē ꝓpter personā Gabrielis sibi ignotā, sed ꝓpter salutationē eius inusitatā, cũ oblatas eius laudes nō agnosceret, nōnihil turbata est. Et ideo in Euāgelio nō dicitur Euthy. Luc. 1. D. Amb.

quòd

quòd turbata fuerit de visione Angeli, sed in sermone eius, propter E
quē cogitabat qualis esset illa salutatio. Perceperat enim Maria auribꝰ, qd Angelus proferebat in voce, & ita corde cogitabat, quod audiendo perceperat, ad suæ humilitatis, & prudentiæ cōmendationē, & nostræ etiam vtilitatis instructionem Nam ideo de Angelica salutatione ante omnia Maria cogitabat, vt nos tentationum initia cogitemus, in ipsisq; inimicum statim excludere curemus.

Simile. Quemadmodū cùm ciuitas aliqua sub obsidione tenetur, illi, qui intus sunt statim in portis hostes ipsos arcere parant, antequā intrent: ita etiam nos, qui continua ipsius inimici obsidione premimur, nè confusi remaneamus in ipso suæ suggestionis aditu, in F
Psal. 126. ipso tentationis principio, in ipsa porta illi resistere debemus. Beatus vir, qui impleuit desiderium suum ex ipsis, non confundetur, cùm loquetur inimicis suis in porta: dicebat regius propheta. Vt enim ostenderet quòd nō sufficit in portis tantùm inimicis loqui, nisi simul simus virtutibꝰ bene armati, vt possimus sustinere: ideo dicit, & prius dicit: Beatus vir, qui impleuit desideriū suū ex ipsis.

Sed ex quibus? Sanè ex sagittis de quibus in antecedenti versiculo mentio fit; id, quod clare docet hębraica veritas, quę pro eo, quod nos dicimus: Beatus vir, qui impleuit desiderium suum ex ipsis: sic habet. Beatitudines viri, qui implenit pharetram suam ex G
ipsis nempe sagittis. Sed quid est desiderium siue pharetram sagittis implere? Profectò cor, & animam nostram virtutibus implere, easque tanquàm sagittas ibi recondere, ac reponere vt nō confundamur cum locuti fuerimus inimicis nostris, non in penetralibus, sed in porta. Hoc est in principio illicitæ suggestionis.

Pallad. In vita Abbatis Eliæ narrat Palladius, quòd quotidie docebat ornari virtutibus, & machinas diaboli in cogitationibus, in principio protinus propulsare, quia contrito (sicut illę dicebat) capite serpentis totum corpus est emortuum. Si verò serpentis caput in principio emortuum, & contritum non fuerit cum lubricus ille H
sit, totus statim illabitur. Ipse enim sicut ait D. Ambrosius Lib. de
D. Amb. Salomone cap. 3. Sensus tenuiter illabendo tentat, quos si conuicerit, medullis se hominum implicat, & immergit. Et ideo contra illum virtutum sagittis armari oportet. Talibus sagittis Maria plena erat. An non plena cui ab Angelo dicebatur: Aue gratia plena? Et quia his virtutum sagittis pharetra, siue animus Virginis plenus erat, ideo cùm inimico loquens non confundebatur. Sed cum

in

A in porta: hoc est, in principio tentationis statim profligabat, vt nos suo exemplo doceret, quòd ibi eius caput conteramus.

Quando verò propter ipsius inimici astutiam, id proprijs viribus efficere non poterimus, tunc ad alienum auxilium confugiendum est, tunc est aliorum consilium adhibendum, tunc denique quęrendum, Quomodo fiet istud? Sed à quibus tale est consiliũ postulandum? Sane non à quibuscunque, sed ab illis solùm, quos prudentiam suam alienã à uitijs nouerimus custodire. Quis enim in cœno fontem requirat? Quis è turbida aqua potum petat? Quis vtilem causę alienę iudicet, quem uidet inutilem uitę suę? Certè
B non est idoneus putandus, qui in alijs det consilium, qui non dat sibi. Itaque probi, & sancti uiri ad hoc negotium admittẽdi sunt exemplo nostrę Virginis, quę ait: Quomodo fiet istud? Non ad quemcunque, sed ad Angelum, vt hinc discamus probos uiros conuenire, quorum consilio hostis insidias deuitare possimus.

CAP. IX.

Humanæ Christi generationis modum intellectu satis per difficilem, & non tam sanctis, quàm etiam ipsis Angelis absconditum, Maria perfectissime cognouit.
C

Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Luc. 1.



Difficillimam quæstionem his suis verbis Maria proponit, & talem, qualem non ita facile quispiam poterit enodare. Si enim in sola humani corporis structura, non facile quis dicit, aut percipit, quomodo omnes ipsius corporis partes dispona(n)tur, quis, quæso, aut dicet, aut intelliget
D hoc, quod his verbis Virgo proponit, & proponẽdo quęrit: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?

Non hic agitur de sola humani corporis structura: non interrogatur, quomodo ipsa anima humano infundatur corpori: Sed id quæritur, quod multo maius facessit negotium: quæritur, inquã, quomodo Dei filius ante sæcula genitus, & æterno Patri sempiterna, & consubstantiali æqualitate coæternus, humanæ in tem

pore

pore sit carni veniendus. O rem ineffabilem: O mysterium in- E
Isa. 55. dicibile? Quis ad hoc inuenietur idoneus? Generationē eius quis enarrabit? Dicebat propheta hac ipsa de re loquens.

O Hier. Licèt vero D. Hieronymus in primum cap. Mat. de sola diuinitatis generatione hæc ipsa verba exponat: tamen nonnulli sunt minimè contemnendæ autoritatis Patres, qui ea etiam ad generationem humanitatis accommodāt. Inter eos vero vnum solum re

O Leo Papa. feremus beatissimum Papam Leonem, qui sermone tertio de Natiuitate: Non enim, inquit, ad illud tantummodo Sacramentum, quo filius Dei cōsempiternus est Patri, sed etiam ad hunc ortum, quo Verbum caro factum est, credimus pertinere, quod dictum F est: generationem eius quis enarrabit?

Tanta igitur est huius humanæ Christi generationis difficultas, quòd vt eam Propheta insinuaret, dixerit: generationem eius quis enarrabit? Quibus verbis haud obscure, satis ostendit Propheta quanta sit huius generationis difficultas, ad quam enarrandam asserit, neminem idoneum posse reperiri.

D. Chry. D. Chrysostomus Hom. 2. in Symbolum Apostolorum hac de re agens in hunc modum dicit, tantæ rei rationē reddere esse omnino impossibile. Homines nati (inquit Chrysostomus) de masculo & fœmina si interrogemur quomodo coagulati sunt in secreto G matris, quomodo ossa durata sunt, omnis cōpago membrorum, artusq; omnes ordinati sunt, in harmonia corporis disposita: quis ex inde rationem reddit? Si ergo de Natiuitate, quæ semper in isto fluuio sæculi venit, & transit rationem non reddis, de singulari Na

D. Petri Chry. tiuitate Christi rationem reddes? Et D. Petrus Chysologus Sermone 141. huius rei difficultatem etiam sub his verbis ostendit. Vnde, inquit, o homo his admonitus exemplis æstima quis sis, quantus sis, qualis sis: & tunc demum cogita vtrum possis Dominicæ Natiuitatis penetrare secretum, vtrum merearis ad illius pectoris cubiculum peruenire, vbi tota superni Regis, tota diuinita- H tis requiescit magestas: vtrum debeas humanis oculis, corporeis sensibus conceptū Virginis temerarius discussor attendere: vtrum possis ipsas Dei manus operantes sibi corporis templum, intra aluum genetricis audax, & curiosus arbiter intueri: conspectibus tuis, absconditum sæculis nudare mysterium, reuelare tibi, ipsis Angelis inuisibile sacramentum, & ita cœlesti fabricæ pręsidere, vt deprehendas liquido tu, quomodo Deus penetrale clausæ carnis

A nis intrauerit: quemadmodum Sacri Corporis in illo venerabili vtero, præter Virginis conſcientiam lineamenta pinxerit: quomodo præter concipientis ſenſum, manſura ſæculis oſſa ſolidauerit: qualiter præter hominis ordinem, hominis veram produxerit formam: quemadmodum præter carnis ſollicitudinē, totam carnis aſſumpſerit veritatem: qua ratione præter naturam noſtrę carnis integram ſuſceperit qualitatem: & ſi ad hæc tibi liber non perpatuerit acceſſus iam Deus ex carne nūnc aſſumere nō potuit, quod in principio aſſumpſit ex limo? Immo quia totum Deo eſt poſſibile, & tibi nec ad minima quidem operum Dei poſſibile eſt per-
B uenire, cōceptum Virginis noli diſcutere, ſed crede. Taliter D. Petrus Chryſologus huius myſterij difficultatē inſinuat, taliter hoc myſterium curioſe inquirendum minimè eſſe docet. Neq; immeritò, nihil enim ibi eſt curioſe inquirendum, vbi nihil de ratione conſtat: ſed totum conſiſtit ex fide: vbi totum conſiſtit de ratione Dei; & non de ratione hominis: Hominis inquam, qui huius myſterij rationem minimè reddet, quando ille, quo inter natos mulierum maior nemo ſurrexit ſe ad aperiendum tanti myſterij arcanum, ſub his verbis indignum eſſe profitetur: Venit fortior me, Mar. 1.
C poſt me, cuius non ſum dignus procumbens ſoluere corrigiam calciamentorum eius.

Sed quid, inquies, huic rei, de qua agitur, cum his Ioannis verbis commune eſt? Multum ſanè per omnem modum. Hoc verò quantum ſit, aperiet nobis beatiſſimus Papa Gregorius Hom. 4. D. Greg. Dominicę Aduentus Domini, quo loco ſic dicit. Quis enim neſciat quod calciamenta ex mortuis animalibus fiunt? Incarnatus enim Dominus veniens, quaſi calciatus apparuit, qui in diuinitate ſua morticina noſtræ corruptionis aſſumpſit. Vnde etiam per prophetam dicit: In Idumæam extendam calciamentum meum. Per Idumæam quippe gentilitas, per calciamentum verò aſſum- Pſal. 59.
D pta mortalitas deſignatur. In Idumęā vero Dominus calciamentum ſuum ſe extendere aſſerit, quia dum per carnem gentibus innotuit, quaſi calciata ad nos diuinitas venit: ſed huius incarnationis myſterium humanus oculus penetrare non ſufficit. Inueſtigari etenim nullatenus poteſt quomodo ſummus, & viuificator ſpiritus intra vterum matris animatur, quomodo is, qui initium non habet etiam exiſtit, & concipitur. Corrigia ergo calciamenti eſt ligatura myſterij. Ioannes itaque ſoluere corrigiam calciamenti

eius

eius non valet, quia incarnationis mysterium, neque ipse inuesti- E
gare sufficit, qui hoc per prophetiæ spiritum agnouit. Quid est ergo dicere non sum dignus soluere corrigiam calciamenti eius, nisi aperte, & humiliter suam ignorantiam profiteri? Ac si aperte dicat. Quid mirum si mihi ille prælatus est, quē post me quidem natum considero, sed natiuitatis eius mysterium non apprehendo? Ecce Ioannes prophetiæ spiritu impletus mira scientia emicat, & tamen illud de se insinuat quod ignorat.

Sic D. Gregorius nobis aperit, neque ipsum Domini præcursorem, & Baptistam Ioannem tanti mysterij ligaturam dissoluere potuisse. Verum hoc nemini mirum esse debet, cùm ipse cœlestis F
nuntius Gabriel à nostra Virgine interrogatus de modo, quo hęc diuini Verbi incarnatio facienda foret, tanti, tamque arcani mysterij ligaturam, & nodum nequaquā dissoluit. Et ideo Gabriel
Luc. 1. Virgine ipsa interrogante: Quomodo fiet istud? Velut aperte ꝑfitens se omnino nescire, Virginem ad Spiritum sanctum remisit, sic dicens: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Ac si diceret: Quid à me Virgo quæris quod in te mox experieris? scies, scies, & fęliciter scies, attamen nō me, sed illo doctore, quo & auctore. Ego enim solum ad hoc missus sum, vt diuinum conceptum tibi annuntiarem: non vero vt modum, G
quo ille fieret, enarrarem, quia is nec potest doceri, nisi à donante, nec disci, nisi à suscipiente.

Hoc vero quanto consilio, quantaque ratione ductus Angelus Mariæ responderit, nemo, vt credo, est, qui non videat. Nam inter multa, & varia ipsius Virginis priuilegia, hoc vnum enumera-
Alb. mag. tur à multis, & præsertim ab Alberto magno supermissus est cap. 149. quòd Virgo beatissima perfectam habuit cognitionem mysterij incarnationis, & quòd talem cognitionem habuerit per gratiam, & singularem experientiam.

Neque huic Mariæ cognitioni obstare videtur allegata à nobis H
Isa. 55. prophetæ Isaiæ autoritas, nempe; generationē eius quis enarrabit? Quia in illa ipsius prophetæ mens, & consilium fortassis non fuit, vt significaret, quòd huius generationis enarratio omnibus esset omnino impossibilis, sed quòd nullus aut rarus, eam posset
Haymo. enarrare. Id, quod ego propter vnum Haymonem dixerim, qui hom. 4. Dominicæ Aduentus, ad dictam ipsius prophetæ Isaiæ quæstionem, nempe: generationem eius quis enarrabit? Sic respondet:

A ſpondet: Aut nullus, aut rarus. Et cùm hoc ita ſit planè non video, cui meliori iure talis cognitio deferatur, quàm noſtræ Virgini, cuius ſanctiſſima anima tàm ſingulari, & eminenti ſcientia fuit repleta, vt ſuper miſſus eſt cap. 149. idem dicat Albertus, quod ſicut anima Chriſti ſciuit omnia, quæ Deus, nõ tamen eſt ei æqualis in ſcientia propter modum ſciendi: & quod ſicut anima Chriſti immediatè ſe habuit ad Deum: ita anima ipſius Virginis ad animam Chriſti, & ex conſequenti quòd ſciuit omnia, quæ anima Chriſti, ſed imperfectiori modo. Alb. mag.

Pro hac etiam magis confirmanda, & approbanda ſententia,
B non parum facit melliflui Patris D. Bernardi perſpicua authoritas, quæ habetur Homel. 4. ſuper miſſus eſt, quo loco ſic inquit. Quis enim excepta fortaſſis illa, quæ hæc ſola in ſe fœliciſſime meruit experiri, intellectu capere, ratione diſcernere poſſit, qualiter ſplendor ille inacceſſibilis virgineis ſe ſe viſceribus infuderit? Et paucis interiectis: Et forte, inquit, propter hoc maxime dictum eſt, obumbrabit: quia res nimirum erat in ſacramento, & quod ſola per ſe trinitas in ſola, & cum ſola Virgine voluit operari. Soli enim datum eſt noſſe, cui ſoli datum eſt experiri. Hoc autem quid clarius dici poſſet à mellifluo patre, vt perfectã D. Ber.
C Mariæ cognitionem circa diuinum incarnationis myſterium oſtẽderet? Meritò ſanè vir ſanctiſſimus talibus verbis Mariam prædicat: meritò ſingularem eius cognitionem circa tantum myſterium extollit, cognitionem, inquam, quæ in Virgine fuit tàm eximia, ut neque de facto, neque de modo dubitauerit, ſicut ex Alberto magno à nobis in ſuperioribus oſtenſum eſt.

Neque in contrarium ſanè eſt, ipſius Virginis ſub his verbis Angelo facta interrogatio: Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? tum quia dicere poſſumus, quòd admirando potius, propter ſuam humilitatem, quàm de facto, aut modo dubi-
D tando interrogauit: tum etiam, quia ſicut loco citato iam diximus, non omnis interrogatio eſt propter dubitationem. Quis enim ſanę mentis dicat, Chriſtum Dominum de facto, aut modo dubitaſſe, quando Philippum interrogauit: Vnde emendi eſſent panes, vt ipſum ſequentes manducarent: pręſertim cùm ipſe Euangeliſta dicat: Ipſe enim ſciebat quid eſſet facturus? Pari ergo ratione cum Maria interrogauit: Quomodo fiet iſtud? Neque de facto, neque de modo dubitauit, ſed ſolum ad noſtram Ioan.6.

C instru-

instructionem quæ fuit, sicut iam superiori loco ostensum est, & E
in sequentibus (Deo volente) vberius ostendetur.

CAP. X.

Maria cum esset Angelo multò superior, tamen ab eo consilium petere non dedignatur: & quare.

F

Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Luc. 1.

D. Clem. Mar. Erem. Beda.

IGnorantia, quam D. Clemens 2. lib. recognitionum, Dæmonem pessimum: & Sanctus Marcus Eremita lib. de lege spirituali, omnium malorum ducem esse dicit: sicut docet Venerabilis Beda sup. 2. cap. Epistolæ ad Romanos, ex peccato in hominibus causata fuit. Neque immeritò; cum enim peccatum primi hominis causatum fuerit ex effrenato appetitu plus sapiendi, quàm oportuit sapere, iuste satis Deus hominem ipsum G
Sap. 11. puniuit, per ignorantiam eorum, quæ ipsi homini scire necessariũ erat. Sicut enim dicit scriptura: per ea per quæ quis peccat, per hęc punietur.

Ex ista ignorantia, sic per peccatum causata fit, quòd pueri, qui ex vtero prodeunt materno, statim plus ignorantes nascantur, quàm bruta animalia, inter quę sunt aliqua, quæ mox nata, videntur habere naturalis industrię vsum; agnus enim statim non solũ matrem sequitur, & vbera quęrit: Sed etiam lupum fugit: id, quod minime faciunt pueri, qui absque omni prorsus industria, & scientia nascuntur. H

Quamuis in statu innocentię, pueri in scientia perfecti minime nascerentur, quia hoc solùm fuit indiuiduale accidens primi hominis, inquantum scilicet, ipse instituebatur, vt pater, & instructor totius humani generis, & ideo quantum ad hoc non generabat filios sibi similes, sed solùm quantum ad accidentia naturalia, vel gratuita totius naturę: tamen tales pueri in illo innocentię statu habuissent sufficientem scientiã, ad dirigendũ eos in

opo-

A operibus iustitię, in quibus homines diriguntur, & habuissent etiã scientiam omnium illorum, quæ illos scire oporteret, secundum tempus illud: id, quod totum in illis post peccatum, & per peccatum fuit impeditum. Et hinc sanè est, quod ita ignorantes nascuntur.

Verum cum hoc ita sit, & verissimum quidem sit, quòd omnes à natiuitate cæci, & ignorantes sumus, nihilominus tamen erubescimus aliorum consilio nostram vincere ignorantiam. Et cum videamus Virginem in omnibus, quæ sibi necessaria erant peritissimam propter nostram instructionem, & eruditionem ab Angelo, qui ea inferior existebat, inferior, inquam, non
B naturæ conditione, sed dignitate ad quam Virgo eligebatur, consilium petere, ac petendo dicere: Quomodo fiet istud? tamen de hoc nihil curamus, neque Virginem nostram pro nostra vtilitate imitari procuramus. Luc. 1.

Interrogat Virgo beatissima, quomodo fiet istud? Angelus verò respondet: Spiritus sanctus superueniet in te. Ac si apertius dicat: Cur me Virgo interrogas, quasi meum in hoc negotio velis consilium petere? Non est meum tibi consilium dare, quia ego seruus, & tu domina non solum mea, sed omnium etiam Angelorum consortium, & conciuium meorum. Vnde
C tibi consulere non est meum, neque est mihi concessum: Sed excellentiori, & vni ex tribus sanctissimæ trinitatis personæ reseruatur. Spiritus sanctus superueniet in te. Ac si diceret Angelus: Iste, quem ego tibi Virgo nomino, iste cui ego huius mysterij operationem, non ideo tribuo, quia ipse solus sine Patre, & filio eam facturus sit, sed propter hoc, & ex hoc solùm, quia ipse est charitas, & donum Patris, & filij, quibus hęc omnia, quæ tibi annuntio facienda sunt, iste, inquam, tibi consulet, & non ego.

O profundissimam sanctissimæ Virginis humilitatem, An-
D gelo superior erat, & tamen ipsum interrogat. Quomodo fiet istud? Quorsum hoc? Planè ut suo Virgo hominibus monstraret exemplo, inferiorum consilia non esse vsquequaque respuenda. Magnus ille Israelitici populi Dux, & Propheta Moyses, licet esset Deo plenus, & cum eo facie ad faciem loqueretur: consilium tamen accipiebat à Iethro cognato suo Sacerdote Madiam, quo audito omnia (sicut ipsa ait scriptura) faciebat, quæ Exod. 17.

ille suggerebat. Non dicebat vir ille Deo valdè familiaris, non E
dicebat, quomodo ab homine consilium accipiam, & ab homine gentili alieno à populo Dei? Magna profectò humilitas, sed beatissimæ Virginis multo maior, siquidem cùm esset tanto excellentior Angelo effecta, quanto differentiora præ illo dona accepit, neque ob id, tamen dedignatur, ab illo quærere: quomodo fiet istud?

Ab æterno Virgo erat electa in matrem Domini, templum erat Dei vini, sacrarium Spiritus sancti, Regina cœlorum, & totius mundi Domina: & tamen quasi tantarum esset oblita dignitatum, pro nostra instructione ab Angelo cupiens edoceri, dicit: F
Quomodo fiet istud? Quis, quæso, iam tanto Virginis exemplo admonitus erubescat, à suis inferioribus consilium accipere? Quis iam id facere erubescat, quod Domini sui matrem, & talem matrem fecisse videt? Et quid dico Domini sui matrem? Quis iam erubescat facere id, quod suum Dominum, & Deum fecisse videt? Nam Deus cùm esset hominem formaturus: faciamus,
Genes. 1. inquit, hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.
Hug. Vict. Quæ verba exponens Hugo Victorinus in suis elucidatorijs annotationibus super Genesim. Nec propterea, inquit, consilium inducit, quin æque possit facere, & magna, & parua: G
Sed vt dignitatem creati hominis ostenderet, & vt nos cautos reddat ne dedignemur consilium accipere, & ab æqualibus, & à minoribus, cum ipse ad Angelos, ita loquatur, quorum ministerio forsan, formatum est corpus hominis. Hæc Hugo Victorinus loco citato.

Huius quoque rei gratia Christus Dominus, cùm de quin-
Ioan. 6. que panibus, & duobus piscibus, maximam esset hominum
Mar. 8. saturaturus multitudinem, dixit ad Philippum: Vnde ememus panes, vt manducent hi? Propter hoc etiam cum turba multa esset cum eo, neque haberent quid manducarent, H
conuocatis discipulis suis, ait illis: Misereor super turbam.
Haymo. Quæ verba exponens Haymo: Quare conuocauit, inquit, discipulos suos. Nunquid sine consilio eorum non poterat? Poterat vtique, sed ideo conuocauit, vt daret exemplũ Regibus, comitibus, & episcopis, & cęteris potestatibus huius sæculi, nè despiciant subiectos suos in suo consilio, quia sępe reuelat Dñs iuniori, quod melius est. Sic Haymo, qui monachus benedictinus

cum

A cum esset, vltima hæc suæ sententiæ verba uidetur desumpsisse ex 3.ca. Regulæ sanctissimi Patris nostri D. Benedicti, quo loco (id quod etiam ad præsentis loci institutum non parum attinet) ipse monachorum pater, & Dux Benedictus ordinauit, quòd quoties in monasterio res aliquæ graues peragendæ sunt, toties Abbas cõgregationem conuocet: & deinde huius conuocationis rationem reddens statim subdit: Quia sæpe Dominus reuelat iuniori, quod melius est. Ex his omnibus optime liquet inferiorum consilia nõ esse vllo modo despicienda. D.Bene.

Sed heù hominum insania, qui cùm tam filij, quàm matris de-B berent, & maxime deberent imitari exemplum, & cum etiam legem Dei teneant, neque debeant tumere superbia, sed bona cuiusque consilia libenter amplecti, cùm autoris nomine, spernunt simul & consilia, & quis dicat, aut consulat, & non quid dicatur, aut consulatur, auscultant. Hoc autem quid dici possit stultius planè non video. Sicut enim ille, qui grauissima siti laborat meritò insanus dicendus esset, si iuxta fontem positus optimam eius aquam contemneret, ex eo quia per ductilem fistulam ex plumbo, aut ex aliquo alio infimo metallo, & non ex auro confectam, emitteretur: ita etiam ille, qui bonis aliorum consilijs in-C diget insanus profectò, & stolidus dicendus est, si illa spernat ex eo, quia non exeunt ab ore alicuius magnæ autoritatis viri. Præsertim cùm omnia probare, & quod bonũ est tenere debeamus, quantumuis à paruis, aut magnis illud accipiamus. Simile.

CAP. XI.

Israeliticarum mulierum procreandæ sobolis quantum studium, & quare. Maria sola inter eas ex voto perpetuam virginitatem Deo consecrauit, & sub qua verborum forma, & quando.

D

Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Luc. 1.

CVm verus Messias, & vniuersalis omnium redẽptor Christus, secundum carnem de populo Israelitico esset nasciturus, ideo priscis illis temporibus Israeliticæ mulieres, tantopere desiderabant maritos accipere, & filios procreare. Cum

enim ex illo populo Messiam venturum esse expectarét, vnaquęque in illo partem habere,& si non illius mater, saltem illius consanguinea esse volebat. Et hæc erat causa, ob quam vxor Helca- E
1.Reg.1. næ Anna, sicut sacra Regum historia nobis refert, tanto affectu, & anxietate à Domino filium postulabat, quem postea pariens vocauit Samuel, eo quod à Domino postulasset eum. Hinc etiã erat, quòd filia Iephte cum pater eius eam vellet, in holocaustũ offerre, multis diebus sibi lugendum esse ducebat, non quidem quòd insons, & ætate florenti à patre occideretur: Sed quoniam
Iud.11. absque sobole moreretur. Hoc solum mihi pręsta, inquit, dimitte me, ut duobus mensibus circumeam montes, & plangã virginitatem meam, cum sodalibus meis. Adeo in illo populo nihil F
erat, vel optabilius, vel beatius, quam liberos gignere, & pignoribus abundare. Nulla illis fœminis cura seruandi pudoris, sed ꝓcreandę sobolis studium erat maximum. Et in hoc tantopere excedebant, vt à nonnullis (etiam Hebręorum) dictum sit, (sicut refert Petrus Galatinus lib.7. de Arcanis catholicę ueritatis ca.14.) quòd causa quare Messias non magis accelerauit aduentus sui tẽpus, fuit conscientiarum virginum iudaicarum corruptio, quæ omnes vel per coniuges, vel per alios deflorari cupiebant.

Pet. Galat. Itaque secundum istos (sicut refert Galatinus) quare Messias G
citius non aduenit, hæc causa fuit. Verum huic etiam aliam possumus adiungere, & dicere Dei filium, ideo tali tempore aduenisse, & non ante, nec post, quia neque antea fuerat, neque postea futura erat, nõ solum in populo Israelitico, sed neque in toto mundo, mulier, quæ haberet partes, quas mater eius habere debebat. Fuerunt quidem in populo illo mulieres per multę, & nominis celebritate, & multarum uirtutum gloria, & splendore insignes: Sed nulla earum Domino placuit, ut ab eo in matrem sui filij eligeretur, nisi sola Maria. Et meritò: sicut enim in comparatione
Simile. Dei, nemo bonus inuenitur: ita etiam in comparatione Mariæ H
nulla fęminarum perfecta inuenta fuit, quantumuis uirtutibus eximijs comprobata. Et ideo sola Maria Virgo beatissima in matrem talis filij eligitur, quæ ad tantam corporis, animique puritatem se composuit, vt totum amorem, atque studium suum ad hoc solùm intenderet, vt corpus, & animam suam, Deo virginitate perpetua consecraret.

Hanc Mariæ virginitatem voto firmatã, ex eo colligũt patres, quòd

A quòd ab Angelo ſalutata, & annunciata rñdit: Quomodo fiet iſtud, qm̃ virum non cognoſco? Hinc D. Gregorius Niſſenus hęc Marię verba exponens: Si Maria, inquit, liberorum cauſa ducta fuiſſet à Ioſeph quomodo pariturum Angelo prænuntianti, ſe rẽ nouam, & alienam audire præ ſe tuliſſet, cùm ipſa quoque ſe obſtrinxiſſet naturę lege, vt aliqñ mater eſſet? Verum quia carnem Deo conſecratam, tanquã ſanctum aliquod oblatum munus oportebat intactam, integramque ſeruare, idcirco licet, inquit, Angelus ſis, licet de cœlo venias, licet id, quod oſtẽdis naturam ſuperet humanam: tamen me virum cognoſcere nefas eſt: quomodo ſine viro mater ero? Ioſeph enim ſponſum noui: ſed uirum nõ cognoſco? En nobis Marię carnem ex voto Deo conſecratã ex ipſius verbis refert Gregorius oratione de humana Chriſti generatione. Greg. Niſſ.

B

Et ut hoc loco Auguſtinum, Chryſoſtomum, multoſque alios patres tam gręcos, quàm latinos tacitus prætercam, id ipſum oſtẽdit quoq; Hugo Victorinus hom. 4. de natiuitate, quo loco ſic dicit. Quid eſt, virum non cognoſco? Propoſitum habeo virum nõ cognoſcere: propoſitum habeo virginitatis decus uſque in finem inuiolatum ſeruare: quomodo ſi dixerit quis: vinum non bibo, quia in voto habeo vinum non bibere. Neq; ab iſtorum Patrum ſententijs de Marię uirginitate Deo ex voto conſecrata, diſcedit gloſſa interlinearis, quę ſuper hęc verba: Virum non cognoſco: Ecce, inquit, tangit quod ipſa vouerat caſtitatem. Hug. Vict.

C

Sciebat Virgo ſanctiſſima, ſciebat, inquam, de voto in ſcriptura conſilium dari, ipſa enim ſcriptura dicit: Vouete & reddite Domino Deo ueſtro. Et cum conſilium non detur, niſi de meliori bono, ideo virginitatem, quam Deo perpetuò obſeruare ſtatuerat, tanquam melius bonum, & rem magis Deo placituram, ex voto illi conſecrauit. Hoc uero neceſſarium eſt, vt concedatur, tum quia uniuerſalis Eccleſia tenet Virginem beatiſſimã virginitatem emiſiſſe: tum etiam quia (ſicut dicit D. Auguſtinus lib. de ſancta virginitate cap. 4.) non Angelo Virgo reſpõderet: Quõ fiet iſtud, quoniam uirum non cognoſco? Niſi Deo virginem ſe ante vouiſſet. Quod ergo uirginitatem Maria vouerit, de hoc nulla eſt difficultas: de tempore autem quo id fecerit ſolum dubium eſt. Pſal. 75. D. Auguſt.

D

Circa quod duę ſunt, ſanctorum Patrum opiniones. Gregorius Niſſenus ſermone de Chriſti natiuitate, exiſtimat ipſam Virginẽ de Patris ac matris ſuę licentia, huiuſmodi votum feciſſe antquã Greg. Niſſ.

desponsaretur. Sacerdotesq; de hoc certiores factos, Mariæ quęsiuisse potius suę virginitatis custodem, quàm maritum. Hanc etiã E
D. Epiph. sententiam apud quendam modernum D. Epiphanio attributam reperio, prę sertim hęresi 78. At ego, vt verum fatear apud D.Epi
D. Hiero. phanium eo loco nihil tale inuenio: Sed apud D. Hieronymum, prę sertim in tractatu de beatę Virginis natiuitate, quę ex hebræo transtulit.

Nic. Lyr. Verum Nicolaus de Lyra in primum cap. Mat. super illa uerba inuenta est in utero habens de spiritu sancto, & in primũ etiã caput Lucę super hæc verba: virum non cognosco: & alij, quo-
D. Thom. rum caput est D. Thom. 3.p.q.28.ar.4.tenent, quòd illa iam desponsata, cum consensu, & societate mariti votum emiserit. Et huius rei rationem eo in loco assignat Angelicus doctor, sic dicens: Verum quia tempore legis oportebat generationi insistere, tàm mulieres, quam uiros, quia secundum carnis originem cultus Dei propagabatur, antequam ex illo populo Christus nasceretur, mater Dei non creditur, antequàm desponsaretur Ioseph, absolute virginitatem vouisse. F

Quamuis vero propter hanc D. Thomæ rationem, & autorita-
D. Laur. tem opinio ista probabilior sit: tamen vnus non deest Laurentius Iustinianus, qui sermone de annuntiatione insinuat, Mariam duplex votum fecisse. Ibi enim ipsam Virginem cùm Angelo loquentem introducens, sic ait. Quomodo fiet istud, vt coucipiã in vtero, & filium pariam, quoniam virum nunquam cognoscere me duplici ex voto constrinxi. G

Verum hęc D. Laurentij Iustiniani sententia de duplici Mariæ voto D. Thomę autoritati nequaquam repugnat, prę sertim si dicamus, ipsam Virginem ante desponsationem, non simpliciter, & absolutè, sed sub conditione si Deo placeret; desponsatam verò, vbi iam de diuino beneplacito innotuerat, simpliciter, & absolutè simul cùm marito, virginitatis votum emisisse. H

Si verò in negotio isto vlterius progredi voluerimus, ac cùm D. Laurentio Iustiniano asserere duplex fuisse Marię votum, & post desponsationem, & ante illam, id, quod D. Thomas non concedit propter rationem adductam: Tunc opus est, vt dicamus, quod ipsa Virgo ex speciali Spiritus sancti instinctu etiam ante desponsationem, simpliciter, & absolutè votum emisit,

A quia Deus, qui legis autor Dominusq; existit, in amantissima sua supra legem operari voluit. Sed siue hoc siue illud sit, vnum hoc asseuerare nobis licet, quod Maria Virgo sanctissima virginitatem suam ex voto Deo consecrauit.

Verum quæret aliquis hoc modo. Si Maria Virginitatem vouit, sub qua verborum forma id fecit. Simili quæstioni ex Abdia respondet doctissimus Petrus Canisius de Maria Deipara lib. 2. cap. 4. quo loco dicit hanc Mariæ vouentis fuisse formam: Domine offero tibi virginitatem meam. Hæc eadem verba, ex D. Hieronymo refert D. Bonauentura lib. 1. Pharetræ cap. 5. Hæc prima, inquit, inter fęminas hoc constituit in corde suo, vt diceret Deo: Domine offero tibi virginitatem meam, cum hoc à nullo homine nec verbo didicisset, nec exemplo ad imitationem inuitata fuisset. Pet. Cani. D. Bona. B

O fœminam vere gratia plenam, cui diuino munere collatum est, vt prima inter fęminas gloriosissimum Deo virginitatis munus offerret, virginitatis, inquam, quam mundus irridebat lex non postulabat, vsus ignorabat, populus Israeliticus pro nihilo decebat, & corrupta illarum fęminarum natura non sustinebat. Hãc pijssima Virgo prima inter omnes Deo dicauit: sciebat enim quòd quantò sanctius eam seruaret, tanto sublimius ei, qui omniũ C castissimus est, appropinquaret. Quia igitur Virgo in libertate spiritus posita, & sicut dicit mellifluus Pater D. Bernardus, legis mosaicę decreta transcendens, illibatam Deo corporis simul, & spiritus sanctimoniam vouerat, ideo offerenti sibi Angelo Dei matris honorem, respondit. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?

CAP. XII.

Maria si prophetissa erat, & prophetam de virgine paritura legerat, quare de re, quã sciebat Angelum interrogat. Ipsa non ea spe viuebat, vt aliquando Dei mater futura esset, sed cum nosset, virginem, verum Messiam parituram, eius tempore viuere desiderabat, vt tanti filij matri posset ancillari. D

Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Luc. 1.

HÆc Mariæ interrogatio, quam sub his verbis Angelo factã videmus, occasionem nobis præbet, vt quæramus hoc loco quare

quare ipsa Angelo talem faciat quæstionem. Aut enim Virgo pijssima, simul & sanctissima sciebat ex propheta quod virgo esset conceptura, simul & paritura, aut non. Et quod hoc Maria sciebat, videtur posse abundè probari, tùm ex eo, quia ipsa fuit pro- E
Isa.8. pheta, sicut patet ex illo Isaiæ: Et accessi ad prophetissam, & concepit, & peperit filium: quæ verba Patres omnes de beata Virgine intelligunt: & Glossa etiam interlinearis ea explanans, dicit: Prophetissam istam fuisse illam, quæ prophetauit dicens: Magnificat
D.Aug. anima mea Dominum: tum etiam ex eo, quia D. Augustinus de Tempore Sermone 9. de ipsa Virgine dicit, quòd satis prophetas intelligebat: & quod ad præsens institutum magis attinet D. Am- F
D.Amb. brosius lib. 2. in Lucam aperte docet, quòd Virgo legerat verba
Isa.7. illa Isaiæ: Ecce virgo concipiet, & pariet filium.

Ex quibus colligitur, quòd si Virgo prophetam legerat, sicut inquit Ambrosius, & optimè illum intelligebat sicut dicit Augustinus, quòd frustra, & absque omni prorsus necessitate interrogauit de re, quam tàm bene sciebat. Si verò dicatur quod Virgo fortasse nesciebat, quòd virgo esset cōceptura, simul & paritura. Respondendum est, hoc minus esse dicendum: tum propter Augustinum, & Ambrosium: tùm etiam quia hoc non debebat ignorare Virgo beatissima, cùm præ cęteris maiorem à Christo gratię G plenitudinem obtineret, atque etiam prophetiæ vsum haberet, si-
D.Tho. cut 3. p. q. 27. ar. 5. aperte docet D. Thomas.

Ad hæc igitur omnia respondendo dicimus, Virginem dulcissimam, & prophetissam fuisse, & Isaiam legisse, optimeque illum intellexisse, & non solum illum, sed omnes etiam alios, & vniuersam simul scripturam. Et quomodo totum non intelligeret Virgo prudentissima, quæ se in Regis cellaria fatebatur fuisse intro-
Cant.1. ductam, cum diceba: Introduxit me Rex in cellaria sua. Vbi per
Ruper. ista cellaria ad quæ Virgo à Deo fuit introducta, Tuitiensis Abbas Rupertus lib. 1. super Cantica, mysteria omnia in scripturis H contenta exponit. Et quæ sunt (inquit Rupertus) illa cellaria Regis Dei? Nimirum sacra mysteria, quæcunque continentur in scripturis sanctis. Et paulo post in persona ipsius Virginis loquens, subdit: In cellaria sua Rex non qualiscunque: sed Rex cœli, & terræ me introduxit: nihil enim à me abscondit: sed omni dulcedine sua me inebriauit, qui enim Verbum suum, quod erat, & est in corde suo, mihi totū infudit, quō nō etiā cùm illo, mihi omnia donauit?

Ex

A Ex his omnibus manifeste apparet, quòd Virgo Isaiæ prophetiam, & omnes alias optimè intelligebat. Ad illud autem quod inde colligitur nempe illam frustra Angelum de eo interrogasse, quod tam optimè sciebat; respondent ex directo verba Ambrosij, qui loco à nobis citato: legerat, inquit, quia Virgo cóciperet: non legerat, quemadmodũ virgo generaret: legerat, vt dixi, ecce virgo in vtero accipiet: quomodo autem acciperet, in Euangelio Angelus primus est locutus. Et ibidem rursus in eundem fere modum super eadem Isaiæ verba. Legerat hoc Maria ideò credidit futurum: sed quomodo fieret, ante non legerat, non enim quem-
B admodum fieret, vel prophetæ tanto fuerat reuelatum. D.Amb.

Huic verò D. Ambrosij Sententiæ addere si voluerimus Virginem intellexisse prophetã, tàm quoad factum, quàm quoadmodum, quo Virgo conceptura erat, simul & paritura, nullum exinde sequetur incommodum: neque colligetur ipsam Virginem frustra Angelum interrogasse de re, quam sciebat, cùm non propter se, sed solum propter nostram ædificationem, & instructionem id quæreret, sicut superius ex Magni Alberti sententia iã ostẽdimus.

Sed circa prædicta, illud est hoc loco maxime aduertendum, nempe ex hoc, quod Maria Virgo erat, & Dei matrem, Virginem
C futuram esse cognoscebat, minime esse colligendum, quòd Maria sanctissima in ista fide viuebat, vt ipsa esset, quæ Dei mater futura esset. Nam Virgo licet cognoscebat, & secundum prophetam intelligebat, Dei filium ex virgine esse nasciturum, tamen cum esset valde humilis rem altissimam de se ipsa nequaquam præsumebat.

Neque quisquam moueatur ex verbis Angeli, ipsi Virgini sic dicentis. Inuenisti gratiã apud Deum: quasi Maria hanc gratiam inuenire laborauerit, eâque antea quæsiuerit. Absit enim vt tale quippiam de Virgine nostra, nõ dicam, credamus: sed neq; etiam
D suspicemur. Non hanc gratiã Virgo quærebat; Non propter hanc virgo esse, se cum disposuerat: non propter hoc, vt Dei mater esset, suam virginitatem ipsi Deo consecrauerat: Non ieiunauerat; non vigilijs, & orationibus intenta fuerat: Non denique ex voto aliquid obtulerat, vt talem gratiam inueniret. Nulla mulier à seculo præsumpsisset hoc inquirere, vt parere potuisset hominum Saluatorem, quantò magis Virgo humillima. Absit, absit, vt tale quid de Virgine nostra non solum credatur, sed neque etiam ani- Luc. 1.

mo concipiatur. Genus erat humanum,& non Virgo, quod gratiam istam quærebat,& pro illa indefinenter suspirabat. E

Crediderim tamen Virginem beatissimam, in votis maximè habuisse, non vt Messiæ mater fieret, sed vt venturi Messiæ tempore viuere,& eius matri ancillari aliquando potuisset. Vnde D. Bonauentura de meditationibus vitæ Christi ad Virginem sanctimonialem cap. 3. refert nonnullas reuelationes factas cuidam ipsius Deiparæ Virginis deuotæ,quæ,sicut ipse ibidem ait, creditur fuisse sancta Elisabeth, cui beatissima Virgo reuelauit. quòd dum esset in templo,semper in noctis medio surgebat,& ante ipsius templi Altare pergebat, vbi stans septem petitiones Domino suo offerebat,inter quas hæc vna erat. Quinto petebam (sunt verba Mariæ à D. Bonauentura ibidem adducta) vt faceret me videre tempus in quo, nata esset illa beatissima Virgo, quæ debebat filium Dei parere, & vt conseruaret oculos meos, vt possem eam videre: linguam,vt possem eam laudare: manus,vt possem ei seruire: pedes,vt possem ire ad seruitium suum: genua,vt possem adorare Dei filium in gremio suo. Hunc in modum eo in loco D. Bonauentura. Nec desunt multi, & grauissimi patres qui affirment, Mariam taliter erga virginem illam,fuisse affectam, quę Dei filium esset conceptura, simul & paritura. G

D. Bonau. F

CAP. XIII.

Maria sola legis præcepta seruare non fuit contenta: sed legem ipsam transcendens sine vllo, neque præcepto, neque exemplo, aut consilio sese virginitate perpetua Deo consecrauit.

Quomodo fiet istud,quoniam virum non cognosco? Luc. 1. H

EXimia profecto laude, & gloria immortali digna Maria est,non tantum propter suam Deo dicatam ex voto (sicut diximus)virginitatem: Sed ob id etiam,quod adhuc sub lege viuens Euangelico iam spiritu plena,supra legē ita est philosophata, vt ipsius legis præcepta omnino transcenderet. Hoc autem quantum Deo placuerit, nemo, sicut credo,est, qui non uideat,cùm plus Maria illi obtulerit,quàm ipse ab eo postulabat,

A stulabat, ea in re (sicut & in cæteris) ipsius Dei conditionem maxime imitata, qua ipse hominibus multo maiora semper bona tribuit, quàm ab eo fuerint postulata.

Regis Salomonis liberalitatem erga Reginam Saba commendans scriptura: Rex, inquit, Salomon dedit Reginæ Saba omnia, quæ voluit, & petiuit ab eo, exceptis ijs, quæ vltro obtulerat ei munere regio: Nicolaus de Lyra super hunc locum refert Rabbi Salomonis opinionem, qui dicit, quod per hæc, quæ Regina Saba petiuit notantur solutiones quæstionum, quas ipsa proposuit: id, quod fortassis hæbraicæ veritati non est parum conforme, quæ dicit: & Rex Salomon dedit Reginæ Saba omnem voluntatē suā quam petiuit: ac si diceret satisfecit voluntati eius per solutionem quæstionum, quas proposuit. Sed alij, vt idem ibidem refert Lyra, dicunt quòd hæc, quæ Regina Saba petiuit, fuerunt quædam semina, & consimilia, quæ non habebantur in terra sua, sed in terra Israel abundabant, propterquod Regina Saba talia petiuit absq; rubore, quia non erant magni valoris. 3. Reg. 10. Nic. Lyr. B

Sed siue hoc, siue illud sit, hoc parum refert, & quod ad præsentis loci institutum magis attinet est, quod Rex Salomon non C fuit contentus ea solum dare, quæ ab ipso petebantur, sed præter illa alia etiam multa obtulit munere regio, sicut dicit scriptura. Quis hic per Regem Salomonem, liberalissimum Deum significari non iudicet, qui non solùm, quæ petimus, sed etiam alia multa, quæ humana fragilitas aut nescit, aut omnino non præsumit petere, gratuito munere donat? Existunt nobis huius rei locupletissimi testes non solum oblatus Christo Paraliticus, & surdus, & mutus, sed etiam Centurio: quorum primus cùm Christo offerretur pro obtinenda corporis sanitate, peccatorum etiam remissionem accepit, dicente Domino: Confide fili remittuntur tibi, peccata tua. Secundus cum Christo adduceretur illique, qui eum D adducebant, Dominum deprecarentur, vt manum solum illi imponeret, multo plus accepit. Nam liberalissimus Dominus non solum illi manum imposuit, sed eum de turba seorsum apprehendens, misit digitos in auriculas eius, & expuens tetigit linguā eius, & suspiciens in cœlum ingemuit. Iam vero de tertio quid dicā? Hic cum ad Christum accessisset, & pro pueri sui, qui in domo Paraliticus iacebat, & malè torquebatur, sanitate etiam deprecaretur, ab ipso Domino meruit audire: Ego veniam, & curabo eū. Matt. 9. Matt. 7. Matt. 8.

Quibus

Quibus verbis non solum pueri desideratam sanitatem: Sed diui E
num suum conspectum, & præsentiam etiam, Centurioni promisit.

Sed hoc nemo quidem iam mirari debet, cum hęc sit, & semper fuerit, in ęternumque futura sit liberalissimi Dei conditio. Cum enim sit ipse amor: cum sit ipse charitas, & liberalitas longiores semper manus habere consueuit ad beneficia nobis concedenda, quàm nos habemus os, aut linguam ad ipsa postulanda.
Iacob. 1. Hinc nos vt ab eo petamus Iacobus sanctus inuitans; si quis, inquit, vestrum indiget sapientia postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter. Vbi bene, affluenter, dicit Iacobus, quia ipsius Dei F
dona, vt ibidem adnotauit glossa interlinearis, non sunt ad men-
Ephe. 3. suram. Et doctor gentium Paulus de Deo ipso loquens: qui potens est, inquit, omnia facere super abundâter, quàm petimus, aut intelligimus. Quibus verbis eam esse Dei naturam in beneficijs concedendis optimè Paulus significauit, quam nostrę Virgo, tūc est maximè imitata quando virginitatem, quam ipse minime pręcipiebat, ex tanto cordis affectu illi conseruare disposuit, vt Angelo responderit: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?

Tantus erat erga Deum sanctissimę, ac liberalissimę Virginis G
amor, vt parum illi esset, ea adimplere, quę in lege pręcipiebantur, nisi simul sponte, & ex amore virginitatis donarium Deo offerret. Principum filiorum Israel ex Babilonica captiuitate reuertentium liberalitatem laudans scriptura, dicit, quod cùm ingrede-
Esd. 2. rentur templum Domini, quod est in Ierusalem, sponte, hoc est, pręcepta legis transcendentes (sicut exponit Glossa interlinearis) obtulerunt in domum Dei ad extruendam eam in loco suo. Si ergo ab ipsa scriptura istorum Principum maximè laudatur non attractus seruiliter animus, sed liberaliter & sponte deuotus, quo munera offerebant, ut templum ibi ręędificaretur, ubi antea H
fuerat: quanto magis Virginis nostrę animum laudandum esse putamus, quę vt viui Dei templum officeretur, perpetuę virginitatis munus illi obtulit? Munus inquam, quod nulla lex, nulla iustitia, nulla denique veteris testamenti pagina, non dico, pręcipiebat, sed neque etiam consulebat.
1. Tim. 1. De iusto, inquit Apostolus, iusto non est lex posita. Et quare non est posita? quia iusti, tunc probantur non esse sub lege quan-

do

A do iustitias legis non solum implere: verum etiam sic superare contendunt, vt debitis voluntaria addant. Hinc Abraham ea, quæ Gen. 14. iure victoriæ sibi debebantur, ipso cuius spoglia retulerat suppliciter offerente, noluit accipere. Hinc Dauid se persequentes, inter- 2. Reg. 1. fectos defleuit: Hinc filij Ionadab sicut nobis exponit Glossa ordinaria super 35. cap. Ieremiæ, ab ipsa scriptura tãtopere laudan Ierem. 35. tur, quoniam offerre decimas possessionum non sunt contenti, sed possessiones ipsas respuentes, suas animas Deo obtulerunt.

Verum iis omnibus multo excellentior Maria, quæ legis præ B cepta obseruare nõ est contenta: sed ipsam legem transcendens illibatam sui corporis virginitatem Deo voluit consecrare. Et ideo in Mariæ laudem prorumpens sponsus: Dentes tui, inquit, sicut Cant. 4. greges tonsarum, quæ ascendunt de lauacro omnes gemellis fœtibus. Sed quid causæ est, vt Mariæ dentes sponsus comparet gregibus tonsarum ascendentibus de lauacro gemellis fœtibus? Huius rei, vt ego quidem existimo, hæc causa est, quia nostra Virgo non solum legis præcepta adimpleuit, & custodiuit: Sed etiam super eam de suo etiam addidit, legis præceptum cùm consilio sibi iam tùnc optimè componens. Et hoc est bonum geminum: hæc C est fœcunditas fœtuum gemellorum, quam sponsus in Virgine tantopere ladabat.

Quemadmodum terra non solum semina, quæ illi demandan Simile. tur producit: sed præter illa multos etiam flores germinare consuescit: ita virgo legis præceptis fecisse satis, non fuit contenta: sed factis illa etiam excessit. Id quod in Virgine ex eo maxime mirandum est, quia ad id faciendum nullum ad huc nec præceptum, nec exemplum, nec consilium habebat. Hinc velut stupefactus deuotissimus Pater D. Bernardus Hom. 3. super missus est: Vbi le D. Bern. geras, inquit, beata Virgo de Virginibus quia cantant canticum D nouum? quod nemo alius cantare poterat, & sequuntur agnum Apoca. 14. quocunque ierit? Et postquam multa alia in hunc modum sciscitatur, subiungit: tu vero non dicam præceptum, sed neque consilium, neque exemplum, nisi quod vnctio docebat te de omnibus, ac sermo Dei viuus, & efficax ante tibi factus est magister, quàm filius, prius instruxit mentem, quàm indueerit carnem: Quibus verbis optimè quidem Bernardus insinuat, Mariam ipsam Dei spiritu plenam, suam ipsi Virginitatem obtulisse.

Neque obstat quòd huius rei nec exemplum, nec consilium habuit:

habuit: & quod huius consilij perfectio à Christo, sicut aliqui dicunt, debuit inchoari. Quemadmodum enim gratiæ plenitudo (vt autor est D. Th. 3 p.q. 28.ar.4.) perfectè quidem fuit in Christo,& nihilominus aliqua eius inchoatio in virgine matre præcessit: ita etiam obseruatio consiliorum,quæ per gratiam Dei fit,perfectè quidē in cępit in Christo sed aliquo modo ante fuit inchoata in Virgine. Et inde est, quod omnium prima in carne non carnaliter viuere,sed in terris angelicam ducere vitam, ita firmissimè statuit, vt ab hoc proposito neque per hoc quòd viro fuit desponsata vnquam discesserit; sicut eius ad Angelum verba bene declarant. Cum enim Mariæ desponsatæ Angelus filij Dei cōceptum in eius vtero annuntiaret: ipsa firmissimè respōdit: Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco? Et si enim Ioseph desponsata erat,tamen coniugalis ipsi Ioseph datus consensus,sic nullo modo eius perfectionem minuit: quemadmodum neque ipsius castitatem violauit conceptus, neque virgineam integritatem abstulit partus: quia semper perpetua virgo mansit:& licèt desponsaretur: tamen virginitatis propositum nunquam deseruit,aut mutauit.

D.Tho.

E F

CAP. XIIII.

G

Maria quæ suam virginitatem Deo obtulerat, quare Ioseph fuit desponsata. Virginitas homines Angelis excellentiores facit.

Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Luc. 1.



Vamuis sicut diximus, Maria virgo perpetuo permanere disposuerat, tamen Ioseph,ideo fuit desponsata, quia sic conueniens erat nō solum propter Dei filium, qui ex Virgine nasciturus erat: sed etiam propter ipsam Virginem ex qua ipse nasci dignatus erat. Et quod ad filium attinet conueniens quidem fuit, vt ex Virgine desponsata nasceretur: imprimis nè ab infidelibus tanquàm illegitime natus abijceretur. Deinde vt consueto modo eius genealogia per virum describeretur. Tertio ad tutelam pueri nati, ne diabolus contra eum vehementius nocumenta procuraret. Quarto vt à Ioseph nutriretur, vnde eius pater dictus est,quasi nutritius. Propter matrem etiam, H

hoc

A hoc conueniens fuit, Primo quia per hoc reddebatur immunis à pœna, ne scilicet lapidaretur à Iudæis tanquam adultera. Secundò vt per hoc ab infamia liberaretur. tertio deniq; vt ipse Ioseph ei, sicut & puero ministraret.

Ex his, & alijs multis rationibus, quas hac ipsa de re patres adducunt, & præsertim D. Thomas 3.p.q.29.ar.1. manifestè perspicitur, quòd non ea intentione Maria viro nupsit, vt aliarũ more fœminarum procreandis liberis operam daret. Hoc enim si ita ab ea factum esset, multum illa quidem de proposito, & virginali integritate remisisset, & animo saltem virgo non esset, si tali D.Thom.
B affectu nuptias cùm viro contraxisset. Non talis igitur erat, integerrimæ Virginis animus. Sed credendum est, sicut eo in loco inquit D. Thomas, quòd ipsa ex familiari instinctu Spiritus sancti voluit desponsari confidens de diuino auxilio, quod nunquã ad carnalem copulam perueniret, quod tamen diuino commisit arbitrio, vnde in nullo detrimentum passa est virginitas: Sed corpore, & animo ita semper remansit intacta, vt verissimè de se Anlo dicere posset: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?

Hoc verò tale erat, ac si Virgo diceret: quomodo sine viro ma
C ter ero? & si enim Ioseph sponsum noui, tamen virum nõ cognosco. Quid facis, aut quid dicis Virgo beatissima, quid dicis? Omnes virgines veteris synagogæ, quæ ante te fuerunt tanta virorum, ac liberorum dulcedine capiebantur, & tu dicis, quoniam virum non cognosco? Esto dicit Virgo: filiorum desiderio capiantur reliquæ. adhæreant aliæ viris suis, & in illis spem ponant: mihi autem adhærere Deo bonum est, & ponere in domino Deo spem Psal.72.
meam. O Virginem beatissimam. Erat Virgo singulari Dei spiritu plena. Et ideo in spiritu iam antea videbatur præuidere totũ illud, quod postea D. Paulus erat dicturus nempe, quòd mulier 1.Cor.7.
D sui corporis potestatem non habet, sed vir. & quod mulier innupta, & virgo cogitat, quæ domini sunt, vt sit sancta corpore, & spiritu: quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. Hæc autem & si bene fieri possunt sine culpa, plerunq; tñ rebus cœlestibus impedimẽto sunt, id, quod Maria optime intelligens noluit pro sui amoris obiecto, & suarum curarum fine hominem constituere, hominem inquam, natum de muliere breui viuentem tempore, qui quasi flos egreditur, & conteritur,

& fugit velut vmbra, & nunquam in eodem statu permanet: Nō E
tale ergo voluit esse sui amoris obiectum, sed DEUM: Hic enim
nunquam mutatur, sed semper idem ipse est. Et quòd tale esset
suæ mentis propositum bene Virgo declarauit cum dixit: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?

Introduxerat sponsam suam DEUS in cellam vinariam, in eaque tantam charitatem ordinauerat, ut uerissimè de se dicere posset: Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, vnde Angelo audenter dicit: Quomodo fiet istud, quoniam uirum non cognosco? Ac si diceret quomodo fieri potest, ut ego tanti à te promissi filij mater
fiam? Et si enim Ioseph iuncta sum, tamen uiri consuetudinē mi- F
hi prorsus interdixi, & meam uirginitatem alteri sponso consecraui, quem ita diligit anima mea, ut præter illum nihil mihi sit in cęlo, neque habere uelim super terram.

Non qualiscunque erat nostræ Virginis amor, sed adeo generosus, adeo eximius, ut ad solius Verbi nuptias aspirare, cùm DEO miræ societatis fœdus inire, ac suaue amoris iugum, cum ipso Rege Angelorum ducere auderet, cui soli castissimo amore nupsit.
D. Bern. D. Bernardus serm. 83. super cantica tractans de conformitate, quæ inter DEUM, & animam ex amore generatur, dicit quòd talis
conformitas maritat animam Verbo: & paulopost: Ergo, inquit, G
si perfecte diligit, nupsit: scilicet DEO. Si ergo de quacunque anima DEI amore capta hoc dicebat Bernardus: quid quæso, de beatissima nostræ Virginis anima nobis dicendum erit, in qua continuò existebat uiuacissimum erga DEUM amoris incendium? Verè tanto altius DEO Maria nupsit, quanto cæteris perfectius meruit, & ab ipso DEO diligi, & ipsum diligere, cui se, & suam uirginitatem perpetuò consecrauit, & propter quem in populo illo Israelitico contemptibilis esse, & maledictum sterilitatis incurrere non dubitauit.

Reliquum est ergo, ut omnes, qui Christianos se esse profiten H
tur, hanc in Virgine uirtutem imitētur: uirtutem, inquam, à DEO, à Maria, & à Sanctis omnibus maximè semper adamatam, & ab Angelis, in ipsis etiam hominibus ualde ueneratam, sicut nobis
Apoc. 22. Ioannis Apocalypsis clarissimè ostendit: Vbi Angelus ob id forsan ab ipso Ioanne noluit adorari, quia ipse uirgo erat: Neque ab hoc glossa Lyrensis uidetur dissentire: licet enim ea, quæ interlinearis dicitur apertè ostendat, quòd hoc Angelus Ioannem facere

A cere prohibuit, propter humanam naturam in Christo exaltatã: tamen glossa Lyrensis dicit quòd propter hoc Angelus renuit accipere reuerentiam, quam sibi Ioannes uolebat exhibere, quia ipse adhuc in terra uiuens erat maior homine, & par Angelis: quæ quidem in Ioanne paritas ex uirginitate, ut puto, proueniebat, quæ ex hominibus Angelos facit, & si natura dispares, gratia tamen pares, sed meritis forsan ualde dissimiles.

Et quis Virgines homines, Angelis ipsis dissimiles meritis esse non dicat: Angelis, inquam, dissimiles, quos ipsi homines non solum multipliciori, sed nobiliori, sed utiliori, sed gloriosiori, sed
B denique laudabiliori uirginitate antecellunt. Vnum quodq; istorum uideamus. Antecellunt homines Angelos multipliciori uirginitate, quia homines ipsam uirginitatem habent in carne, & spiritu simul, & non in spiritu tantum ut Angeli: nobiliori quia Angelorum uirginitas, & castitas naturalis est, hominum uero gratuita: utiliori quia hominum uirginitas est meritoria, Angelorũ uero non item, cum sit ipsis naturalis: gloriosiori quia hominum virginitas est cum victoria, & Angelorum sine illa: laudabiliori denique quia hominum virginitas, & castitas est voluntaria, & Angelorum necessaria.

C Quis ergo hanc virtutem neruis omnibus non studeat comparare? Quis tantum thesaurum non procuret possidere: hoc enim non terrenum, sed cœleste regnum acquiritur, vbi illi, qui propter Deum virgines, & steriles esse voluerunt, non qualemcunque locum consequentur, sed illum, quem tantæ uirtuti ab ipso Deo dari æquum est. Dabo eis (dicit Dominus de virginibus, & eunuchis loquens) in domo mea, & in muris meis locũ, & nomen melius à filijs, & filiabus: hoc est, nomen melius, & excellentius illis dabo, quàm si filios, & filias genuissent. Isa. 56.

Verum quia his, quæ à nobis hactenus dicta sunt super primis
D Mariæ verbis huic primo libro iam tandem finis accessit, nihil reliquum est, nisi vt à Virgine ipsa summis precibus postulemus, quod sicut ex toto cordis affectu desideramus, ita in reliquis, quæ dixerimus super alijs ipsius verbis, non solum eam, sed eius simul filium dignè laudare valeamus, ac in vtriusq; laudibus nihil omnino nobis tribuamus, sed soli Patri luminum, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum descendit, omnia referamus. Ad sis ergo tu mihi Virgo Sanctissima, ad sis Virgo pu-

tissima,& fac,vt ego,qui ob tanta tua, tuique filij in me quotidie E collata beneficia per me minus idoneus debitor semper existo, nunc saltem per tuum auxilium idoneus solutor existam, existam, inquam, non modo erga te Dominam meam dulcissimam, & aduocatam meam potentissimam; Sed etiam erga eundem vnicum filium tuum, Vnigenitum Dei Patris, Deum,& Dominum maiestatis, cum quo tu, & ipse cùm eodem Patre, & Spiritu sancto viuit,& regnat per infinita sæculorum sęcula Amen.

FINIS LIBRI PRIMI.



DE VER-



DE VERBIS DOMINAE AD ANGELVM, LIBRI SECVNDI.

CAPVT PRIMVM.

Mariæ erga Deum obedientia per quam maxima: Ipsius Dei amor, totam Mariam in se conuerterat.

Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum. Luc. 1.

C POSTQVAM Egimus de primis illis Mariæ verbis, quibus illa quidem ordinem obsequij, cui subderetur inquisiuit, non autem signum, cui crederet, flagitauit: Nunc de eius assensu tractare propositum est. Compleuerat nuntius supernus omnem legationem, Virginem deuotè salutauerat, ab ipsa procul expulerat omnẽ hæsitationis timorem, modum declarauerat, quo possent diuina humanis, & diuinis humana coniungi, denique rationem dederat, dicens, quia non erit impossibile apud Deum omne verbũ. Luc. 1.

D Vnde nihil iam faciendum supererat ex parte legati, vt Verbum caro fieret. Quod solum restabat, hoc erat, vt respondens Virgo, tàm altæ legationi præstaret assensum, quem ipse Gabriel præstolabatur pendens ab ore Virginis, quæ tota tunc in Deum conuersa, tota nouæ splendore lucis irradiata, tota insolitæ charitatis æstu liquefacta, tota denique syncero piæ deuotionis affectu repleta humillime respondit? Ecce ancilla Domini fiat mihi secundũ verbum tuum.

O verba abbreuiata de nostræ Virginis cellario sub compendio eructata, quàm profunda sunt, quam sancta, quàm dulcia, Simile.

Simile. quàmq; diligentiſſimè meditanda. Nã ſicut thus non redolet, niſi E
ponatur in igne, nec virtus ſinapis ſentitur, niſi conteratur in lapide: ſic pauca hæc noſtræ Virginis verba vim, & profunditaté ſuam non declarabunt, niſi aſſidua cordis noſtri meditatione tra-

Eccle. 26. ctentur. De ſapiente dicit Eccleſiaſticus: Sapiens in verbis producit ſeipſum. talis fuit Virgo ſapientiſsima, paucis ſe ipſam optimè manifeſtauit; non eſt in ſermonis, & verborum ſuperfluitate diffuſa Virgo: Sed in verborum paucitate multas nobis, latentesque diuitias oſtendit, ſi intenta mente omnia conſideremus, & in ipſorum ſolùm ſuperficie perſiſtere contenti non ſimus.

Simile. Sicut enim qui ſenſibiles Theſauros effodere conantur, non in F
terræ ſuperficie tantùm fodiunt, ſed in profundum deſcendunt, & interiores terræ ſinus ſcrutantur: ſic nos non in ſuperficie tantum manentes, multiplicem virtutum theſaurum ſub breuiuſculis Mariæ verbis reconditum reperiemus. Vt ergo ex eo diuitias iam extrahere incipiamus, id, quod ex tanto theſauro imprimis ſeſe nobis offert colligendum, eſt ſummæ obedientię promptitudo, quam erga Deum Maria his ſuis verbis maxime teſtata eſt: Ecce, inquit, ancilla Domini fiat mihi ſecundum verbum tuum. Quod quidem perinde eſt, ac ſi apertius Virgo diceret: Ecce offero me in ancillam Domini mei, paratiſsimã ad omne obſequium eius. G
Vnde O Gabriel non ſolum placet, ſed etiam opto, ac vehementer opto, vt fiat mihi ſecundum verbum tuum.

Theoph. Sapientiſsimus Theophilactus in Lucam, hæc Mariæ verba exponens, & de ipſius Virginis obedientię promptitudine, ſub ipſius Virginis nomine agens, ſic dicit: tabula ſum pictoria pingat pictor, quod voluerit: faciat Deus quod voluerit. Quibus

Simile. verbis abunde ſatis Virginis noſtrę obedientiam Theophylactus manifeſtauit ſignificans, quòd quemadmodum tabula parata eſt, ad recipiendas omnes imagines, & omnes colores, quos pictor in ea ſuperinducere vult: ita etiam Virgo in cuius perſona ipſe lo- H
quebatur, paratiſsima erat ad totum illud, quod Deus de illa facere vellet.

Tanta erat in Virgine beatiſsima, erga Deum flagrantiſsimi amoris vis, vt non pateretur, nec ſineret eam ſui ipſius eſſe, ſed Dei cuius ſe obſequio totam comiſerat: id, quod in Virgine noſtra, nemo iam mirari debet. Hæc enim eſt diuini amoris vis, hæc natura, vt in amante, (ſicut lib. de diuinis nominibus cap. 4. inquit

A inquit D. Dyonisius,)extasim faciat, hoc est, vt amantem, sic extra D. Dyon.
se rapiat, vt iam suus non sit, neq, sibi viuat: Sed illi, quem amat. Galat. 2.
Viuo autem iam nõ ego, viuit vero in me Christus: dicebat Paulus: ac si diceret: ad alia quidem omnia mortuus sum: non sentio, non attendo, non curro: Si quæ vero sunt Christi, hæc me viuum inueniunt, & paratum. Si Christi amor hoc efficiebat in Paulo: quid per Deum immortalem in Virgine non effecisset? in Virgine, inquam, quę multò excellentius quam Paulus, & omnes alij sancti à terrenorum cura ita fuit separata, vt soli Dei, voluntati se conformaret.

B Sicut enim si alicui ex arboribus rami omnes amputentur, & Simile.
illorum loco alij nobilioris arboris ramusculi illi arbori inserantur, arbor illa iam non producit flores, nec frondes, nec etiam fructus, nisi illius arboris, à qua ramusculi sunt assumpti: Ita etiam Virgo beatissima sic Dei obsequium in corde, & in anima sua inseruerat, vt iam diuinum illud cor, non operaretur, nisi ad solam voluntatem Dei sui, cuius obsequio tota iam iam Virgo impensa dicebat: Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbũ tuum.

CAP. II.

C

Mariæ obedientia cum Abrahæ obedientia comparatur, illaque multo excellentior esse comprobatur. Ipsius Virginis obedientiæ tanta vis, vt ad eius verbum diuinum in terris statim adfuerit Verbum.

Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum. Luc. 1.

D INTER Sanctos illos veteris testamenti Patres, qui propter obedientiam Deo valde placuerũt, vnus inuenitur Abraham, qui temporibus suis in nullo Dei contrarius extitit voluntati. Dicitur illi: Exi de cognatione tua, & de domo patris tui. Sine vlla hæsitatione discessit, & ante Euangelij tempus Euangelica iam mandata seruauit, qui vt placeret Deo, nec parentes, nec domum, nec patriam relinquere dubitauit. Postea præcipitur illi, vt corpori suo, & suorum circuncisionis vulnus infligat, libens cum doloribus acquiescit. Iubetur, vt filium

Genes. 12. Genes. 17. Genes. 21.

filium quamuis de ancilla susceptum, sui tamen seminis cùm ma- E
Genes.22. tre eijciat, non contradicit. Postremò (& hoc multo maius est) imperatur, vt Isaac, quem iuxta scripturę testimonium diligebat, immolandum, & occidendum Deo offerat. Tolle, inquit, filium tuũ vnigenitum, quem diligis, Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum super vnum mõtium, quem montium, quem monstrauero tibi. Hoc vero (sicut lib. 2. in Gen. c. 37.
D. Euche. exponit D. Eucherius) totum illi dictum fuit, vt ex charitatis & dilectionis admonitione, & nominis recordatione tentationis pondus accumularetur, & paternus affectus torqueretur ex me-
D. Chrys. moria promissionis cùm ante Deus dixisset ad eum: In Isaac vo- F
cabitur tibi semen. Neq; D. Chrysostomus hom. 49. in Genesim à D. Eucherio multũ dissentit. Vide (inquit ibidẽ Chrysostomus) quõ per verba ista maius incendiũ succendit, & fornacẽ amoris,
Hug. Vict. quo iustus in Isaac affectus erat, violentius excitat. Et Hugo Victorinus in suis annotationibus elucidatorijs in Gen. ca. 22. Hoc Deus, inquit, intendebat, vt magis, ac magis accenderet carnalem amorem patris erga filium, vt postea pręponat amorem Dei suo carnali amori, & cùm vinceret gloriosior esset victoria.

Itaque ex istorum patrum sententia, tale fuit Dei consilium, quando mandauit Abrahę, vt filium suum immolaret. Sed ipse G
Abraham nihil eorum attendens, vbi primum hanc Dei voluntatem esse cognouit, sine vlla cunctatione vnico Dei mandato statim fuit obsecutus. Dico Abraham fuisse vnico Dei mandato obsecutum, propter hæbreos, qui, sicut super eundum locum refert Nicolaus de Lyra, plura præcepta successiue Abrahę facta fuisse contendunt, asseruntque, quod primo dixit Abrahę Deus: Tolle filium tuum: Et quod ipso Abraham respondente, paratus sum obedire: Sed cùm duos filios habeam, de quonam præceptum intelligis? Dominus secundò dixerit: De vnigenito. Et quòd ipso adhuc respondente: quilibet est unigenitus matris suę: H
Dominus tertio dixit: quem diligis. Et ipso adhuc respondente: Vtrumque diligo: Dominus iterum dixit: tolle Isaac. Et hoc totum, ideo factum esse contendunt hæbrei, vt ex pluribus responsionibus ad obediendum Abraham haberet maiorem mercedẽ.

Verum quidquid dicant hæbrei, tamen doctores nostri vnicum tantum præceptum, in hoc Abrahę facto fuisse affirmant, cui ipse Abrahã obediens, & de nocte surgens tulit filium suũ, &

abijt

A abijt ad locum, quem Deus illi præceperat. Magna profectò, & prompta obedientia, sed cùm Mariæ obediẽtia nequaquàm comparanda: tùm quia si ad personam talem obedientiam exhibentem attendimus, ipsa fuit Virgo ab æterno electa in matrem filij Dei. Vnde cum ipsa sit mater Dei, & Abraham, & reliqui omnes sancti, ipsius Dei tantum serui, id, quod sine dubio multominus est, quàm esse matrem Dei, bene quidem sequitur, quòd sine aliqua proportione, maior fuit obedientia Virginis matris, q̃ seruorum, sicut Abrahæ, & aliorum similium. Quemadmodum maior est obedientia, quæ Regi à Regina exhibetur, quàm illa, quæ Simile.
B ei datur à suis familiaribus. ita etiam obediẽtia à Maria ipsi Deo exhibita maior fuit, quàm omnium aliorum, tùm etiam quia licet Abrahę obedientia ex eo maxima comprobetur, quia ad Dei pręceptum, quod magnum quidem pondus in se continebat, & rem humanam naturam fere transcendentem, paratus erat absque dilatione filium immolare, quem tantopere diligebat: tamen in hoc multò superior Mariæ, quàm ipsius Abrahæ obedientia esse dignoscitur, quia ipsa, sicut æternus Pater, proprio filio suo, & tali Rom. 8. filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Illum, inquam, cuius vitam Maria plus diligebat, quàm Abraham diligebat,
C non solum filij sui vitam, sed neque etiam suam. Et quid dico suam. Plus diligebat Virgo beatissima vnigeniti filij sui vitam, quàm Abraham suam propriam animam. Et tamẽ Virgo, vt in omnibus, & per omnia diuinę voluntati sese conformaret, tantùm, tamque vnice dilectum filium pro nobis omnibus obtulit.

Verum rem istam paulo altius consideremus. Senis Abrahæ animus maximè, sicut credo, torquebatur, non solum quando audiuit: tolle filium tuum, quem diligis Isaac: sed etiam quando filium ipsum volens immolare, considerabat illius pueri elegãtiam externam, internamque pulchritudinem, obedientiam, gratiam,
D & ætatis florem: quæ omnia cùm pius pater cogitaret, mirum est quomodo præ angustia senilis ille spiritus prorsus non defecerit, qui quasi adamas, omnino manebat inuictus, & obtemperabat magno cùm desiderio nutui diuino. Quis non iudicet, magna hęc fortitudinis, & obediẽtiæ fuisse insignia? At hæc omnia quid sunt, si cum Mariæ fortitudine, & obedientia comparentur? Ipsa enim filium obtulit speciosum forma præ filijs hominum, si de externa eius pulchritudine, & elegantia agendum est. Si vero de interna

pulchri-

pulchritudine, loquendum nobis est: illum obtulit, in quem desiderant Angeli prospicere. Denique si de talis filij obedientia, gratia, & ætate tractandum est: filium Maria obtulit, sibi, & Ioseph E
Luc. 2. suo castissimo sponso obedientia subditum: Et erat subditus illis: dicit de illo Euãgelista: filium obtulit gratia, & gloria refertum, & non qualicunque gratia, aut gloria, sed tali gratia, & tali gloria, qualis dicebat talis, ac tanti patris filium, ipso Ioanne de eo sic attestante, ac dicente: Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre, plenum gratię, & veritatis: Denique Maria filium obtulit ætate nec puerum, nec senem, sed iuuenem, iuuenem, inquã, in statu vltimæ perfectionis existentem, qui est in iuuenili ætate. F

Ioan. 1.

In hac ætate iuuenili existentem filium Maria obtulit, annos, iuxta veriorem openionem, agentem triginta tres, & nonnullos menses anni trigesimi quarti. Licet enim nonnulli, falso tamen, autument, Christum Dominum passum fuisse ætatis suæ anno quadragesimo sexto, in hoc solum se fundantes, quod templũ, quod figura fuit corporis Christi, quadraginta sex annis fuerit reędificatũ: Et licet etiam alij opinentur, quod ipse Christus passus sit ætati quinquaginta annorum vicinus, propter illa verba iudæorum, quibus
Ioan. 8. ipsi dixerunt: Quinquaginta annos non dum habes, & Abraham vidisti? Ad quam opinionem magis comprobandam adducunt G
D. Irenę. auctoritatem D. Irenęi lib. 2. aduersus hæreses sic dicentis. Quæ autem triginta annorum ætas primæ indolis est iuuenis, & extenditur vsque ad quadragesimum annum, omnis quilibet confitebitur, à quadragesimo, aut quinquagesimo anno declinat iam in ætatem seniorem, quam habens Dominus noster docebat: Licet, inquam nonnulli hæc dicant: tamen nec opiniones istę veræ sunt, nec allegata autoritas est ipsius Irenęi, sed potius alicuius falsificatoris operum Irenęi. Idque ita esse ex eo maxime constat quia ipse Irenęus eodem loco multa adducens, quę huic opinioni aperte contradicunt, inter alia sic dicit: complens trigesimum annum H (de Christo loquitur) passus est, adhuc iuuenis existens, & qui nec dum prouectiorem haberet ætatem.

Pręterea licet etiam alij, in quorum numero sunt multi, & grauissimi patres, dicant, quòd Dominus passus est finiens annum
D. Chry. trigesimum, secundum, & iam intrans aliquos menses anni trige-
Euthy. simi tertij: tamen sicut colligitur ex D. Chrysostomo, Euthymio,
D. Bern. & alijs Gręcis, & inter Latinos, ex D. Bernardo, Venerabili Beda,
Ven. Beda.

&

A & Nicolao de Lira, verior opinio est, quòd Dominus passus sit Nic. Lyr.
annum agens trigesimum tertium, & non nullos menses anni trigesimi quarti, quæ ætas florentissima est, & perfectissima. Et in huius rei signum omnes, iuxta sententiam D. Pauli in iuuenili ætate Ephe.4.
resurgent, in qua Christus resurrexit: ipso Paulo sic attestante, ac dicente: Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Quæ verba ex sententia D. Aug. D.Aug.
lib. 22. de ciuitate Dei cap. 15. de resurrectione corporum intelligenda sunt: quia (sicut diximus) in ea ætate iuuenili, in qua Christus resurrexit, habet natura humana perfectissimum statum.

B Ex his ergo liquet, Mariam filium suum in florentissima ætate obtulisse, filium, inquam, non mortis debitorem sicut Isaac, sed eum, qui inter mortuos erat liber: vnde non necessitate, sed solà charitate mortem sustinuit. Hunc filium, & talem filium Maria offerens tanto cordis dolore præmebatur, vt mirandum prorsus sit, quomodo præ illius doloris acerbitate sancta illa anima è corpore non auolarit. Non erat Mariæ dolor, sicut dolor Abrahę, sed eum longissimè superabat, quia Abrahę dolor quãdo filium suũ volebat immolare, causabatur solum à natura, & amore naturali: sed Mariæ dolor non solum causabatur, à natura, & amore natu-
C rali: sed etiam à gratia, & dilectione gratuita, quę in proportionabiliter perfectior, & fortior est ipsa natura. Et ideò clarissimè patet, quòd in infinitum erat maior dolor beatissimę Virginis in morte filij sui, quàm dolor Abrahę, & aliorum. Si enim dolor ex amore causatur, & illud, quod cũ maiori amore possedetur, cum maiori etiam dolore amittitur bene sequitur, quod in Virgine beatissima, fuit quidem improportionabilis dolor, in qua erat improportionabiliter maior amor erga filium, quem ipsa ex diuina voluntate offerebat.

Sed rogabis, quando Virgo filium morti obtulit? Ad hoc di-
D co, quod in pręparatione animi, tùnc illum obtulit, quando angelicę legationi assentiens, Angelo, imo & per Angelum Domino respõdit: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbũ tuum. Luc.1.
Et in effectu quando filium videbat crucifigi. Hoc autem vt rectius intelligatur, aduertendum est, Virginem beatissimam multis modis cognouisse mortem filij sui, etiam antequàm illa eueniret. Imprimis quia sicut super missus est cap.49. dicit magnus Albertus, ipsa per reuelationem, & in speculo scripturarum, Alb.mag.

habuit perfectissimam cognitionem omnium, circa se futurorũ. E

D. Thom. Deinde quia, sicut 3.p.q.27.inquit D. Thomas, Maria excellenter accepit donum sapientię, & gratiam virtutum, atque etiã gratiam prophetię, secundum quam debebat cognoscere omnia, quę à prophetis de morte Mesşię, totius mundi veri Redemptoris, dicebantur.

Cum ergo Maria, ex parte Dei assumpta fuerit, in matrem, talis Messię, & talis Redemptoris, & ex parte sua, in hoc Virgo expresse consenserit, cum dixit: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Bene sequitur, quod iam tunc, diuino beneplacito, se se totam committebat, & filium in suo vtero generandum, pro omnium salute, morti offerebat. Vnde & dicebat: Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum. Ac si diceret: scio, & optime scio ò Gabriel, hunc altissimi filium, quem ex me carnem assumpturum esse dicis, morte turpissima esse condemnandum, & ideo mei ipsius animam, iam nunc acutissimus doloris gladius, incipit pertransire: Verumtamen, quia talis est voluntas Domini, qui te misit: Ecce eius ancilla, & omni optimo iure ancilla, ideo fiat mihi secundum verbum tuum. O Virginis obedientia admiranda: O verba potentissima, quibus cœlum, & terra coniuncta sunt. F

Meritò sanè mirari, & maximè mirari poterant, prisci illi veteris testamenti patres, quãdo in scriptura legebant, quòd ad vnius Iosue Deo obedientis, & cum ipso Deo loquentis, imperium; sol in medio cœli per spatium vnius diei immobilis stetit, & quod hominis voci, Dominus obediuit. Meritò (vt dicimus) mirari poterant patres, hęc omnia ad vnius hominis vocem facta fuisse. Sed nos quomodo hęc iam mirabimur, qui ad vnius mulieris obediẽtis vocem scimus verum iustitiæ solem, nõ iam in medio cœli immotum stetisse, sed de cœlo ad terras descendisse, & in ipsius Virginis vtero, non per vnius tantùm diei spatium, sed per nouẽ continuos menses quieuisse. Magnum fuit, (non dubitamus) quod voci hominis, tunc Deus obedierit, vel potius condescenderit (si proprie loquendum est) effeceritque vt sol non festinaret occumbere, vt interim Iosue posset se de suis inimicis vlcisci. Sed multo equidem maius fuit, quòd ad obedientis Mariæ verbum, diuinum in terris statim adfuerit Verbum: & quod ipsius Marię voci, Deus sic obtemperauerit, vt sine vlla mora, filiũ suum in mundum G

Iosue.10. H

dum

A dum miserit. Est enim firmissimè tenendum, atque in dubia fide credendum, quòd post Virginis datum assensum, post prolatum dulcissimum verbum, statim cooperante spiritu sancto in eius sanctissimo vtero Dei filius conceptus est. O egregia permutatio: respondit Virgo verbum, & illico cōcepit Verbum, protulit suum, & concepit diuinum: Deniq; emisit verbum transitorium, & amplexata est Verbum sempiternum.

CAP. III.

B *Mariæ humilitas quanta: ipsa Virgo sua humilitate non solum multa mirabilia fuit operata, sed etiam ipsius Dei filium è cœlo euocauit, & in mundum adduxit.*

Ecce ancilla Domini fiat mihi secūdum verbum tuum. Luc. 1.

POstquam duobus superioribus capitibus de eximia, & nunquam satis laudanda Mariæ obedientia pertractauimus, nunc restat, vt de profundissima erit humilitate
C videamus, quam ijs suis verbis aperte nobis Virgo demonstrauit, in quibus illud imprimis maximè adnotandum esse ducimus, quòd neque propter humilitatem, obedientiæ, neque propter obedientiam, humilitatis censuram Maria prætermit: sed vtriusque virtutis constituta in medio, demisso respōdit eloquio: Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum.

Vbi non solum vt obedientissima, Maria Deo sese offert, sed etiam tanquam humillima, se subijcit, & prosternit altissimo; non matrem, non filiam, non sponsam, non facturam, sed solum domini se fatetur ancillam. Ecce ancilla domini. O mira, & profun
D da humilitas. Ecce Mariam Angelus alloquitur: Ecce Maria ab Angelo gratia plena vocatur: ecce Mariæ superuētio Spiritus santi promittitur: Ecce Maria in matrem domini assumitur: ecce Maria omnibus iam creaturis anteponitur, ecce iam cœli, & terræ Domina Maria efficitur, & tamen pro his omnibus non extollitur, sed mira humilitate deprimitur, & depressa dicit: Ecce ancilla domini, fiat mihi secundum verbum tuum.

De Rege Dauid narrat scriptura, ꝙ cum audisset mortuū esse

Na-

Nabal, misit seruos suos ad Abigail, qui ei nuntiarent, ipsum Da- E
1. Reg. 25. uid velle, eam sibi in vxorem accipere. Vbi hoc Abigail sic fuit nuntiatum, refert scriptura, quòd consurgens adorauit prona in terram, & dixit: ecce famula tua, sit in ancillam, vt lauet pedes seruorum Domini mei. Vere magna huius mulieris humilitas, quæ quando in reginam eligebatur, tunc prona in terram adorabat, & se in Regis ancillam, ad lauandos pedes seruorum suorum offerebat: Verumtamen non vlterius in humilitate processit, quæ illud, quod ore expressit, opere non perfecit. Sola Maria est, quæ non solum domini ancillam se profitetur, sed etiam seruorum domini ancilla, quodammodo esse dignatur. Ipsa namq; est vera illa Abi- F
gail, per quam quasi tot serui Domini loti sunt, quot fideles eius suffragijs à peccatis mundati sunt, ipsa est, quæ quasi tot seruorum domini pedibus, aquam exhibuit, quot pœnitentibus lachrymas compunctionis obtinuit. Ipsa denique est, quæ non in terram prona, tantummodo adorauit, sed mente, & corpore terra postrata humillime respondit: Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum.

Eccle. 35. De oratione humilis tractans scriptura: Oratio, inquit, humiliantis se, nubes penetrabit, & donec propinquet, non consolabitur, & non discedet, donec altissimus aspiciat: si ille qui se humi- G
liat sua oratione hoc agit, si illa nubes penetrat, si non consolatur, donec propinquet ad Deum, consequendo effectum, si non discedit, nec desistit ab oratione, donec altissimus aspiciat illum oculis suæ misericordiæ, & concedat, quod petit, quid non ageret omnium humilium humillima Maria, quid non ageret sua oratione, & oratione, qua dixit: Ecce ancilla domini fiat mihi secundum verbum tuum? Vere mirabilia operata est sua oratione, & sua humilitate Maria, quæ in profundo humilitatis demersa, Dei filium è sinu Patris extraxit, eumque ad terras adduxit.

Quando aliquis est in profundo antro, aut puteo constitutus, H
etiam in meridie, stellas in ipso cœlo clarissimè videt, quas quidē minimè videret, si esset super ipsum antrum, aut puteum collocatus. Verum hoc neminem iam in admirationem ducat, si quidem Maria tantum ad humilitatis profunda descendit, vt non iam stellas fixas, & immobiles in cœlo conspexerit, sed summum cœlo-
Simile. rum penetrauerit, indeque Dei filium ad terras euocauerit. Nam quemadmodum excelsus dominus è cœlo humilem in terra re-
spexit

A ſpexit Mariam : ita etiam ipſa de terra altiſſimum in cœlo reſpexit dominum, ipſumque in ſuum vterum deduxit. Sicut Aquila, quæ ab acumine oculorum ſic dicitur, ſuo volatu nubes penetrat, & irreuerberato oculo, ac viſu ſolem intuetur; ſic Virgo beatiſſima, huius ſuæ humilis orationis volatu, nubes trāſcendens, ſummum cęlorum penetrauit, vbi intima cordis Dei, (ſicut ſupermiſſus eſt cap. 193. affirmat Albertus magnus) penetrauit, & de intimis miſericordiæ ſuæ viſceribus, filium de intimo cordis Patris extraxit. Simile. Alb.Mag.

CAP. IIII.

B

Dei filius vt in mundum veniret, nihil aliud ab ipſius mundi principio videbatur expectare, quàm illud inſtans in quo Virgo ſe humiliare debebat.

Ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundum verbum tuum. Lec. 1.

C LOngiſſimum eſſet recenſere, quot fuerint mulieres, non ſolum aliarum virtutum gloria, ſed etiam humilitatis ſplendore inſignes; ſed earum nulla extitit, quæ Deo ita placeret, vt in matrem filij ſui eligeretur, niſi ſola Maria, cuius humilitatem, vbi primum dominus reſpexit, ſtatim noſtræ redemptionis opus incepit. Ab eo tempore, quo Deus humanum genus redimere ſtatuit, vſque ad Mariam, videbatur quòd nihil aliud Deus ipſe expectabat, niſi ſolum illud inſtans, in quo ipſa eſſet reſponſura: Ecce ancilla domini fiat mihi ſecundum verbum tuum. Hoc autem vbi primum adeſſe ſentit, & Virginem in tantam humilitatem veniſſet conſpexit, in eius ſanctiſſimo vtero noſtram humanitatem ſta- Luc. 1.

D tim ſuſcepit. Et ſic illud patientiſſimi Iob adimpletum eſt, quod ipſe tantò ante, in ſpiritu præuidens dixit: Appendit terram ſuper nihilum. Terra enim ſuper nihilum tunc appenſa fuit, quādo hęc humilitatis pleniſſima verba, Maria reſpondit: Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Tunc enim omnipotens Dei filius omnia implens, omnia continens, æqualis per omnia Patri, & in vna ex ipſo, & cum ipſo conſempiternus eſſentia, naturam in ſe ſuſcepit humanam, & creator, ac dominus omnium, Iob. 26.

vnus

vnus dignatus est esse mortalium. E

O rem admirãdam. O miraculum omnia alia ipsius Dei opera longè superans. Nã quod magnum aliquod virtus diuina efficiat, hoc non est ita mirandum, cũ sit rei secundũ naturam: Sed quod Deus ad id, quod est humile, & abiectum descendat, hoc est illius quædam insignis, & redundans copia potestatis, quę nequaquam impeditur in his, quæ sunt præter naturam. Quemadmodũ enim igni proprium est ferri sursum, neque in flamma cuiquam est admirandum, quod fit naturaliter, sed solum si eam instar grauium corporum, videat deorsum tendere, eius rei ducitur admiratione, quia ex vna parte videt, quòd ignis, esse ignis nõ desinit, & ex alia quòd in modo sui motus propriam naturam excedat, tendens deorsum: sic etiam diuinam, & supereminentem Dei potentiam, luminarium magnitudo, & splendor, mundi ornatus, & eorum, quę sunt perpetua administratio, non tantũ ostendunt, quantum quòd Deus ipse, ad hæc nostræ Virginis verba: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum: sese demiserit ad imbecillitatem nostræ naturę, suam interim bonitatem, ac potentiam sic mo derans, atque contemperans, vt & nostra suscipiendo proueheret, & sua communicando non perderet.

Simile.

F

O venerandam Dei filij, & purissimę matris eius humilitatem: & non solum venerandam, sed maximè etiam imitandã. Si enim ad sublimitatem extolli cupimus, per istam virtutem, vt ascendamus, curare debemus: quia hæc est vera via, & non est alia præter ipsam: & qui aliter vadit, potius cadit, quàm ascendit. G

CAP. V.

Mariæ fides quanta. Propter fidem, Mariæ Deus sua secreta manifestauit: Ipsa Maria fide Deo filium suum abstulit. H

Ecce ancilla Domini fiat mihi secũdum verbum tuum. Luc. 1.

VErborum Mariæ vis, & natura, si à nobis bene consideretur, opulentis auri, & argenti venis similis, proculdubio reperietur. Nam sicut huiusmodi venæ, raro reperiuntur, quin aliæ etiam

Simile.

A etiam prope finit: sic in Mariæ verbis, nulla quidem virtus solitaria est, sed alia aliam adiungit. Vnde in illis, ad illorum moré nos gerere valde conuenit, qui thesauros in mundo effodiunt, qui licet infinitas inde capiant diuitias, non tamen prius absistunt, quàm totum exhauserint. Ad hunc modum, nos in his diuinis thesauris facere, æquum est, neque prius retrocedere debemus, quàm totum exhanserimus apparens, apparens autem dicimus, quoniam omnia exhaurire, pro ea, quę tanta est nostri tenuitas ingenij, non dabitur. Simile.

Ad illud igitur venientes, quod in his nostræ Virginis verbis B consequenter considerandum apparet, de eius fide tàm singulariter eximia, quàm eximie singulari, nunc consequenter tractare, propositum est: fide enim Virgo non minora, quàm humilitate, & obedientia operata est: si quidem singulari sua fide subnixa, Dei filium, suum filium fecit: in quo negotio non obscurè quidem nobis datur intelligi, quantum præceteris, vniuersorum Domino fidelissima Virgo placuerit.

Et vt à principio, rem istam paululum repetamus, ac per ea, quæ retro fuerunt sæcula, non nihilum etiam discurramus. Aduertendum nobis est, quod fide gratiorem hostiam Abel obC tulit Domino, quàm Cain; fide Enoch placuit Deo, & translatus est: fide Noè aptauit arcam in salutem domus suæ: fide Isaac singulos filiorum benedixit: fide Ioseph moriens de reuersione filiorum Israel, in terram promissionis, & de ossibus suis illuc asportandis mandauit: fide Moyses natus occultatus est, fide se filium filiæ Pharaonis negauit, fide Pascha celebrauit: fide Israel filij mare rubrum transierunt: fide muri Hierico corruerunt: Et quid amplius dicam? Deficiet enim me tempus, de sanctis antiquis narrantem, qui teste D. Paulo, per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, quorum alij Hæb. 11.
D fide obturauerunt ora leonum, sicut Daniel; alij fide extinxerunt impetum ignis, sicut tres pueri: fide alij conualueruut de infirmitate, sicut Iacob, & Ezechias: alij fide fortes facti sunt in bello; sicut Iosue, & Iudas Machabæus: fide etiam receperunt mulieres mortuos suos, sicut per Eliam, & Eliseum: Alij propter fidem lapidati sunt, vt Ieremias in Ægypto, & Ezechiel in Babylone: alij secti sunt, vt Isaias, in occisione gladij mortui sunt, vt Vrias, & Iosias: fide alij circuierunt in melotis, vt Elias,

& isti omnes, & multi alij pericula præsentis sęculi transierunt, & E fidei testimonio probati inuenti sunt. Sed quorsum in istis recensendis immoramur? quorsum istorum fidem hoc loco adducimus, cum eam Mariæ fidei æquiparare fas non sit?

Vnum in medium producamus, omnium credentium patrem Abraham, Abraham, inquam, in maximæ fidei exemplum hominibus datum, & à doctore gentium D. Paulo, his
Rom. 4. verbis acuratissimè laudatum. Qui contra spem in spem credidit, ut fieret pater multarum gentium, secundum quod dictum est ei, sic erit semen tuum, sicut stellæ cœli, & arena maris: Et non infirmatus est in fide, nec considerauit corpus suum emortuum, F cùm iam ferè centum esset annorum, & emortuam vuluam Sarę: in repromissione etiam Dei, non hæsitauit diffidentia: Sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissimè sciens, quia quæcunque promisit Deus, potens est & facere. talibus verbis doctor gentium, atque electionis vas D. Paulus Patriarchæ Abrahę fidem commendat, & meritò sanè commendat.

Neque quemquam moueat, quòd Abraham ipse, cùm terram
Gen. 15. Chanaam à Deo sibi promissam audiret, respondit: Domine vnde scire possum, quod possessurus sum eam? Neque etiam quod cum ex Sara iam vetula, & sterili sibi promitteretur filius, G à Deo, ita benedicendus, ut esset in nationes, & Reges populorum orirentur ex eo, cecidit in faciem suam, & risit in corde suo, dicens: Putas nè centenario nascetur filius? & Sara nonagenaria pariet? Neque quemquam, inquam, hæc moueant. Nam licet hęc loca nonnulli afferant, vt Marię fidem magni faciant, quam cum ipsius Abrahę fide comparantes, affirmant Abraham, dubitantis more talia respondisse, à Deoque signum petijsse: in Mariam verò nihil tale incidisse, quę neque exemplum petijt, neque miraculum quęsiuit: sed in promissione Angeli, cùm mysterium incomprehensibile annuntiaret, simpliciter acquieuit: Licet inquam hęc à nonnullis sic afferantur, vt in dubiam Marię fidem, cum Abrahę dubia fide comparantes, eius excellentiam nobis melius demonstrent: tamen (vt ego quidem existimo) à verò isti non parum aberrant, si quidem de nostrę Virginis fide, tàm abiectè iudicarunt, tam dimisseque existimarunt quasi integerrima, & pręstantissima, & nunquā satis laudanda Marię fides satis laudari, aut excellentior demonstrari nequaquàm. H

A quàm possit, nisi tàm eximia huius sancti fides obscuretur: de quo scriptura ipsa tàm manifestè testatur: credidit Abraham Deo, & Gen. 15. reputatum est illi ad iustitiam: & D. Paulus loco à nobis citato: Rom. 4. in promissione, inquit, Dei non hęsitauit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissimè sciens, quia quæcunque promisit Deus, potens est & facere. Quibus scripturę testimonijs, huius Sancti Patriarchę Abrahæ fides, ab omni prorsus dubitationis suspicione vendicatur.

Si verò aliquis adhuc vrgeat, & dicat: si Abraham non dubitauit, sed terram Chanaam, à Deo promissam certissimè sibi dan-B dam esse credidit, quomodo dicit, aut quomodo interrogat: Domine Deus vnde possum scire: quod possessurus sum eam? Et si etiã ex Sara vetula, & sterili, sibi præ senectute iam ad generandum inepto, dandum esse filium, non dubitauit, quomodo risit, & quomodo dixit: putasne centenario nascetur filius, & Sara nonagenaria pariet?

Si aliquis adhuc sic vrgeat fatebimur quidem, & ingenuè fatebimur, quod Abraham à Deo quæsiuit, quomodo scire posset, quòd illam terram sibi promissam esset possessurus: Sed minime quidem concedemus, quòd hoc tentando, aut dubitando interro-C gauit: Sed sperando, & modum quærendo. Aliter enim quomodo verum esset, quòd scriptura dicit: credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam?

Ad illud etiam quod de Abrahæ risu etiam obijcitur, dicimus quòd Abraham risit quidem, sed risit propter gaudium, & exultationem, & non propter derisionem. Si enim aliter fecisset increpatus, & obiurgatus esset à Deo, sicut eius vxor Sara obiurgata, atque increpata fuit. Nam eius incredulitatem Dominus simul, atque iterum increpauit: sicut videre est in ipsa scriptura: id, quod Gen. 18. similiter fieret Abrahæ si Deus cognosceret illum ex incredulita-D te risisse.

Ad illud verò quod etiam affertur de ipsius Abrahæ interrogatione, nempe, putas nè centenario nascetur filius, & Sara nonagenaria pariet? Dicimus quod Abraham hæc dixit, non dubitando, sed diuinum illud beneficium admirando: non disceptando, sed applaudendo. Idque Paulus ipse aperte testatur, si quidem præter alias ipsius Abrahæ laudes hanc vnam annectit: Nec Rom. 4. considerauit corpus suum emortuum, cum iam ferè esset centum

annorum, & emortuam vuluam Saræ. Quàm laudem ipse D. E
Paulus minime illi tribueret, si dubitando, ac disceptando potius, quàm sperando, atque applandendo talia diceret.

Ex dictis planè colligitur omnes Abrahæ interrogationes, non fuisse dubitationis. Et quod hoc ita sit, Mariæ exemplo etiam pōt apertissimè demonstrari. Hæc enim licet promittenti sibi Angelo, nasciturū ex ipsa Dei filium, responderit: Quomodo fiet istud? tamen ex diffidentia hoc minime dixit, sicut iam ex grauissimorū patrum sententijs superius latissimè comprobauimus.

Talibus huius sanctissimi Patriarchæ fidem duximus defendendam, atque ab omni, & quacunque quantumuis leuissima F
incredulitatis, & infamiæ nota vindicandam, cum passi minime simus, quòd Patriarcha tanta fide eximius, ab hominibus de incredulitate accusetur, qui de fide, & tali fide ab ipsa scriptura tantopere laudatur. Et cùm etiam non feramus, quod eius filia extollatur (de nostra Virgine loquor) cùm tanti patris Abrahæ abiectione.

Huic etiam rationi, hæc vna etiam ratio accedit: quia non multùm sanę Mariæ tribuit: Sed de ipsa humiliter satis, atque abiecte sentit ille, qui maximam eius, & ab hominibus nunquàm satis laudandam fidem, cum imperfecta Abrahæ fide compa- G
rat. Breuissima sanè, ac minima est (mihi crede quisquis es, qui ita Mariam laudas) laus ista: altius est dicendi, laudandique stillus attollendus, & non circa tàm breuem, ac exiguam
Simile. Mariæ laudem occupandus. Sicut enim in cithara, tunc melior, suauior, & iocundior redditur illius fidis concentus, quę in ea suauiorem, & acutiorem sonum emittit, quando omnes chordę pariter contemperatæ, & consonantes existunt, quàm quando sunt interse discrepantes. Ita etiam beatissimę nostrę Virginis fides, tunc perfectior, & excellentior demonstratur, quando cum perfecta, & integra non tantum Abrahæ, sed om- H
nium etiam aliorum credentium fide comparatur: tunc enim clarius, lucidiusque apparet, quòd non tantum offunditur solis luce lucernę lumen, quantum ipsius Abrahæ, ac omnium aliorum fides, Virginis fide obscuratur.

Sed vt hoc: ita esse clarius iam ostendamus, aliorum fide omissa, tanti Patriarchę fidem, & non qualemcunque fidem, non fidem imperfectā, sed perfectam ipsius fidē, cùm nostrę Virginis fide

A fide aliquantulum conferamus. Abraham coniugem sterilem, & vetulam credidit parituram: Maria, virginem Dei matrem credidit futuram. Ille credidit nascituram sibi prolem, ex se viro ætate iam prouecto: hæc credidit ex se absque viro nasciturum sibi filium: Ille purum hominem; hæc Deum, & hominem credidit nasciturum: Ille secundum vsitatum naturæ modum, hęc præter omnem naturæ vsum: Ille denique ad hoc, vt facta sibi promissio adimpleretur, sibi persuasit Deum ipsum mortuos posse suscitare: hæc Deum nasci, & mori posse, vt omnes in eo legis promissiones perficerentur, credidit, & credendo assensit, & assentiendo B dixit: Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum.

Vides Marianæ fidei excellentiam? Vides quàm longo interuallo Abrahæ fides à Mariæ fide superetur? Maxima, & verè maxima patriarchæ Abrahæ extitit fides. Verum sicut stanni metallum, quod alicuius vtilitatis, & gratiæ putabatur, fit argenti contemplatione vilissimum, & rursum auri comparatione meritum euanescit argenti: aurum quoque ipsum gemmarum collatione contemnitur: & ipsarum nihilominus quamuis insignium multitudo gemmarum vnius margaritæ candore superatur: sic Abrahæ, & omnium aliorum fides nihil prorsus apparet, si cum nostrę Simile.
C Virginis fide conferatur, quæ ab ipsa sub his verbis tàm singulariter fuit demonstrata, ac tàm mirificè comprobata. Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum.

CAP. VI.

Mariæ promptitudo, & deuotio, erga diuinum beneplacitum, quanta. Ipsius Marię verborum media virtute, multa miracula facta sunt.

D Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum. Luc. 1.

POstquam egimus de singulari Mariæ fide, nunc non tantùm de eius promptitudine, & deuotione, sed etiam de virtute verborum ipsius Virginis aliquid dicere æquum est. Quòd igitur attinet ad Mariæ promptitudinem, hęc ex eo maxima esse comprobatur, quòd dicit: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Id, quod totum fuit signifi-

catiuum maximę obedientię ac promptitudinis ad exequendum E
Gen. 46. diuina imperata. Et in hoc sensu intelligendum est illud Iacob,
Num. 22. quo per visionem à Deo nocte vocatus respondit: Ecce adsum.
1.Reg. 3. Et illud Balaam ad Balac similiter respondentis: Ecce adsum.
Et illud Samuelis ter à Domino vocati,& toties ad Heli sacerdo-
Esd. 14. tem acurrentis, dicentisque: Ecce ego Domine. Et illud Esdræ Domini voci de rubo exeunti respondentis,& dicentis. Ecce ego Domine. Possent in huiusce rei exemplum infinita alia similiter adduci, quibus sancti hoc solum ostendere volebant, nempe, se paratissimos esse ad implendos Dei iussus: in quo etiam sensu accipiuntur verba hæc, à nostra Virgine sic pronunciata: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. F Idem enim valent, ac si Virgo diceret: Ecce non refugio, non recuso, non me abscondo, sed promptam, & paratam me offero ad omnia, quæ Dominus meus de me voluerit ordinare. Sed quid mirum? Si enim talem animum erga Regem Dauid (ipsa diuina scriptura attestante) indicauit Abigail, quando eius nuntijs, qui eam in Re-
1.Reg. 25. gis vxorem accipere volebant, respondit: Ecce famula tua: quid erga regum Regem, & Dominum dominantium non faceret Maria? quam promptitudinem,& deuotionem non exiberet cùm ab Angelo in Domini sui matrem eligitur? Ecce inquit ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. G

Quibus verbis Maria non solum animi sui promptitudinem, sed maximam etiam deuotionem ostendit, de qua velut admira-
D. Amb. bundus dicit D. Ambrosius in Lucam: Vide humilitatem, vide deuotionem: ancillam se dicit, quæ mater eligitur. Et Venerabi-
Ven. Beda. lis Beda Similiter in Lucam. Quanta cùm deuotione, inquit, humilitas, quæ & Angeli promissum optat impleri, & se ipsam, quæ mater eligiur, ancillam nuncupat.

Iam vero vt de miraculo, quod Mariæ fide, suorum media virtute verborum factum fuit, mentionem faciamus, hoc non quale- H cunque fuit, sed fuit miraculum nouum, & sic nouum quòd nemini factum est ante Mariam,& nemini etiam est post illam faciendū. Sed quale, quæso, est illud? illud quod multò ante propheta
Ierem. 31. in spiritu faciendū esse præuidit, cùm dixit: Quia creauit Dominus nouum super terram, fœmina circundabit virum. Quæ ver-
D. Aug. ba sermone 2. de annuntiatione exponens D. Augustinus in hunc modum exclamat. O fœmina super fœminas benedicta, quæ virum

A rum omnino non nouit, & virum suo vtero circumdedit. circundat Maria virum Angelo fidem dando, quia Eua perdidit virum serpenti consentiendo. Neque immerito Mariam, his verbis tanti facit Augustinus. Ea enim est magna, & sancta illa fœmina, quę tantæ fidei virtute, gremio sui vteri sacratissimi circumdedit Christum. Christum, inquam, virum perfectum omni scientia, & virtute statim ab instanti suæ incarnationis.

Hoc vero adeo magnum est, adeo nouum, & adeo inusitatum, vt propheta Isaias totus admirabundus exclamet: Antequam parturiret peperit, antequam veniret partus eius, peperit masculum: Isa. 66.
B quis audiuit vnquam tale? Et quis vidit huic simile? Quid est, quod propheta dicit: Antequam parturiret peperit: nisi quod in ipso statim suæ conceptionis instanti, antequam parturiret, peperit perfectũ hominẽ? Quia vero propheta hoc paulo obscurius dixerat, ideo ad maiorem suæ sententiæ explicationem replicat: antequam veniret partus eius peperit masculum: hoc est, filium nõ quidem secundum corporis quantitatem: sed secundum scientiam, & virtutem, perfectum hominem. tali huius loci explicationi non parum consonat illud prophetæ, quo dicit: Et homo natus est in ea. Psal. 86. Id, quod de Christo seruatore nostro intelligitur, qui
C in ea, hoc est, in Virgine, ab instanti suæ conceptionis perfectus homo virtutibus, & scientijs fuit.

Et quis Iesum perfectum hominem fuisse non dicat, non solũ cùm iam diceretur propheta, potens in opere, & sermone: sed etiã cùm tenera adhuc infantis membra, ipsa Dei mater blando foueret in gremio, vel gestaret in vtero? Verè vir erat Iesus nec dum natus: sed sapientia non ætate, animi vigore, non viribus corporis, maturitate sensuum, non corpulentia membrorum. Neque enim minus habuit sapientiæ, imò potius non minus fuit sapientia Iesus conceptus, quàm natus: paruus, quàm magnus: siue er-
D go latens in vtero, siue vagiens in pręsepio, siue iam grandiusculus interrogans doctores in templo, siue iam perfectę ętatis docẽs in populo, ęque profecto plenus fuit spiritu sancto. Nec fuit hora in quacunque ętate sua, qua de plenitudine illa, quam in sui conceptione accepit in vtero, vel aliquid minueretur, vel aliquid eidem adijceretur: Sed à principio perfectus, qui à principio plenus fuit sapientię spiritu, & intellectus, plenus consilij, & fortitudinis, plenus scientię, & pietatis plenus spiritu timoris domini.

Vnde aperte satis colligitur verissimum esse quod dicimus de E hoc sic nouo, sic inusitato, & à sæculis omnibus nequaquam audito miraculo, quod interueniente Mariæ fide, ad prolationem istorum verborum, credimus esse factum: Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum.

Sed quid ego hoc tãtum nomino, cum multa alia simul, ad hęc Mariæ verba, si paulo accuratius rem examinemus, facta appareant, quibus ipsi Deo visum est, humanam vnigeniti filij sui conceptionem insigniter exornare, atque vniuerso orbi perpetuò admirandam proponere? miraculum fuit, quod post tantam Virginis fidem, his verbis tàm mirificè demonstratam, ad talem, tantumque fœtum formandum, omnis virilis opera excluderetur, & virgineus vterus adhiberetur: miraculum fuit, quod tantum de purissimo Virginis sanguine fuit coagulatum, in masculumq; formatum, quantum ad generationem hominis sufficiebat: miraculum fuit, quòd consuetus dierum numerus, qui tàm ad formandum hominis corpus, quàm vt anima in corpus ipsum possit influere desideratur, non expectaretur, sed quod eodem planè momento & corporea substantia ex Virgine assumeretur, & simul animaretur: miraculum fuit quòd vno, eodemque temporis instanti vires omnes vegetandi, & intelligendi pariter adessent, & ad suas functiones, in ipso corpore, rationali anima iam perfectè informato exercendas conspirarent: miraculum fuit, quòd dum anima corpori iungitur, eodem momento diuinitas homini in vnam personam vniretur, & Verbum æternum carni inseparabiliter sociaretur, ad hoc vt idem Dei, atque hominis filius in vtero virgineo constitueretur: Miraculum fuit, quod Mariæ filius, iam inde ab ipso suæ conceptionis instanti, tanta gratia repleretur, vt eius anima in eodem materno vtero, diuinam essentiam clarissimè intueretur, ac Dei gloria beatissimè perfrueretur: miraculum denique fuit quòd eiusdem Christi anima, ita esset perfecta, tantisque Dei donis refecta, vt non solum omnes thesauri sapientię, & scientiæ Dei, in eo reperirentur absconditi, sed etiam vt simulatque Verbum caro factum est, mox in homine Christo omnis diuinitatis plenitudo corporaliter inhabitaret. Talia fuerunt miracula, quæ Mariæ fide, & suorum verborum media virtute, facta dignoscuntur.

F G H

A

CAP. VII.

Verborum Mariæ quanta efficacia: Maria post annunciationem cur miracula non fecit.

Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum. Luc. 1.

B POST prædicta, si de singulari verborum Virginis effectu agendum nobis est, hunc talem esse reperiemus, qualem, neque vnquàm fuisse, nec esse, sed nec futurū esse, certissimum est. Namque ad hæc Mariæ verba: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum, statim summus ille omnium montium mons se se tulit, & in mare amarum misit, hoc est, in Mariam.

Ad transferendum vnum montem quantumuis magnum, ex vna parte in aliam, exiguam fidem sufficere docuit Christus, cùm dixit: Si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis monti huic transi hinc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis. Mat. 17.
C Verum ad hoc, vt tàm ingens mons sic transferetur, ad hoc, vt natura diuina humanæ sociaretur, maior, & multò quidem maior fides necessaria erat. Ad hoc opus erat fide tàm audaci, vt eo perueniret, quò nulla pertingit intelligentia: opus erat fide tàm veloci, vt ascenderet super Cherubin, & volaret super Seraphin: Denique opus erat fide tàm potenti, vt attingeret inaccessum, & comprehenderet immensum. Talis fuit integerrimæ Virginis nostræ fides, quæ cœlorum alta conscendens, summam illam ineffabilis diuinitatis immensitatem, suo vastissimo sinu, quodammodo circum clusit, vt eam inter illas virgi-
D nalis vteri angustias tàm mirabiliter deponeret. O' fidei effectum singularissimum. O' miraculum omnium miraculorum perfectissimum, quod tantæ Virginis mediante fide, constat esse factum.

Et quid mirum, si tanti miraculi effectrix Virgo, postea miraculorum vsum non habuit? Habuit nostra Virgo virtutum, gratiam, & miraculorum virtutem super omnes sanctos, sed eorum vsus non habuit, tùm quia sicut 3. par. quæstio. 27. artic. 5. dicit

dicit D. Thomas, confirmanda erat doctrina Christi, ipsius miraculis, vnde soli Christo, & eius discipulis, qui erant baiuli doctrinę Christi, conueniebat facere miracula: Tum etiam quia Virgini (sicut ego quidem existimo) quæ totum iam effecerat, nihil aliud iam restabat faciendum, quod eius virtutem, & miraculorum gratiam magis ostenderet. Et ideo merito postea à miraculorum operatione cessauit, quæ suæ fidei virtute, talia miracula iam antea effecerat, qualia postea facere, ei esset omnino impossibile. E

His vero omnibus hoc vnum libet adiungere, nempe, quod Mariæ fide inter Deum, & hominem, siue humanam naturam
Ose. 2. initum fuit matrimonium illud, de quo dicitur: sponsabo te mihi in fide: id, quod de Maria intelligitur, per quam tàm mirabilis diuinæ, atque humanæ naturæ vnio facta fuit in eius sacratissimo vtero. Vbi enim virgo protulit: Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum: statim introiuit rex in cubiculum suum: F
O Aug. Id, quod D. Augustinus Sermone 21. de tempore, sub his verbis ostendit: Nec mora, inquit, reuertitur nuntius, & nuptialem thalamum ingreditur Christus, accipit stolam carnis in thalamo Virginis. O præstātissimum Virginis animum. Quis Mariæ mentem non stupeat? quis Virginis animum non miretur? Sane ille, qui quantus sit Deus ignorat. Quantus sit Deus ignorat ille (inquit G
D. Petrus Chrysol. D. Petrus Chrysologus Sermone 140.) qui huius Virginis mentē non stupet, animum non miratur. Pauet cęlū tremunt Angeli, creatura non sustinet, natura non sufficit, & vna puella sic Deum in sui pectoris capit, recipit, & oblectat hospitio, vt pacem terris, cœlis gloriam, salutem perditis, terrenis cùm cœlestibus parentelam, ipsius Dei cum carne commercium, pro ipsa domus exigat pensione, pro ipsius vteri mercede conquirat.

Quòd vero omnia ista bona, fide sua Maria nobis conquæsierit, præclare idem Chrysologus nobis insinuat, præsertim sermone 142. quo loco sic dicit: Quæ credidit verbo merito concepit Verbum. Nec nuntius Gabriel hoc ita futurum esse ignorabat, quem tanto affectu cùm ipsa Virgine loquentem, inducens D.Petrus Chrysol. H
D. Aug. D. Augustinus de tempore sermone 21. Vsquequo, inquit, moraris. O Virgo nuntium festinantem? Intuere Deum in cœli me vestibulo sustinentem: responde verbum, & suscipe filium, da fidē, & senti virtutem, pande sinus roseos Virgo perpetua, fides tu' modò, aut aperit cœlum, aut claudit.

Quam

A Quamquàm vero his verbis nuntius Gabriel Mariæ fidei tantum tribuit, vt ea aut claudendum, aut aperiendum cęlum esse dicat: tamen hoc minime mirandum est, præsertim cum maiora, & multo sanè maiora soleat fides ipsa efficere. Hæc est enim Prou.31. fortis illa mulier de qua dicitur: confidit in ea cor viri sui. Quibus verbis cùm per mulierem fidem, & per virum Deum rectè possimus intelligere, non abs re erit, si dicamus, quod Dei cor in ista sua coniuge confidit, eo nimirum modo, quo secreta sua illi manifestare, & ostendere non dubitat. Et quid dico manifestare, aut ostendere non dubitat? multò plus dicam, & B hoc secundum ipsius scripturæ autoritatem, ex qua aperte colligitur, quòd secreta sua Deus huic coniugi non potest abscondere: sic enim ipse locutus est ad Abraham. Num celare po- Gen.18. tero Abraham, quæ gesturus sum? Ac si diceret: Non. Tanta erat ipsius Dei confidétia pro constantia fortissimę coniugis, fidei videlicet, quam in ipso Abraham repererat, vt illi secreta sua abscondere, non posset.

Si vero in Abraham hoc experta est fides, quòd vir suus in ea confideret, ostendens illi, imo non valens non ostendere secreta sua: quid quæso in Virgine beatissima eadem fides non C experiretur, de qua multo veracius dici potest, quòd confidit in ea cor viri sui? Etenim in hac Virgine huic coniugi totum cor suum, Deus non potuit non aperire: & non qualicunque apertione, sed planè magna, atque ineffabili, & ita ineffabili, vt faceret in ea cor viri huius totum illud, quod prædixerat per os Dauid: Eructauit cor meum verbum bonum, dico Psal.44. ego opera mea Regi. Namque vbi Virgo dixit: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum: nulla vlterius mora fuit, quin Deus statim cor suum illi aperiret: atque ipsam substantiam Verbi æterni in corde suo concepti, & de corde D suo ante omnia secula geniti mitteret in mentem, & in vterum Virginis fidelissimę.

Propter hanc causam, hæc Mariæ fides non incongruè per illum crinem potest significari, in quo vno sponsus cor suum ab sponsa vulneratum, imo etiam, & raptum (si in septuaginta versione standum est) esse, hunc in modum tam dulciter conquerebatur. Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vul- Cant.4. nerasti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine

colli

colli tui. Quis est iste crinis, in quo veluti in præ acuto spiculo sponsus cor suum semel, & iterum vulneratum esse sentiens, amantium more tantopere lamentabatur? Etenim Mariæ fides. Hæc enim ipsius Dei cor non solum vulnerauit, sed etiam abstulit, & omnino rapuit. Id, quod ideo dixerim, quia vbi nos legimus, vulnerasti cor meum; vertunt septuaginta interpretes: Abstulisti mihi cor meum. Id, quod tùnc quidem effectum est, quando Deus ipse potenti Mariæ fide excitatus, vnigenitum filium suum, & non qualemcunque filium, sed filium dilectum in quo sibi bene complacuit, nobis dedit. E

F

CAP. VIII.

In Maria nulla virtus alia maior, vel minor, sed omnes æqualiter perfectæ: ipsius erga genus humanum quanta charitas.

Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Luc. 1.



Dhuc in his Mariæ verbis persistere opus est, vt de ardentissima huius Virginis charitate, non nihil etiam hoc loco dicamus, de charitate, inquam, quæ in his Mariæ verbis, etiam tàm singulariter elucet, vt iudicatu facile non sit, huic nè, an cui vis alteri ex præstātissimis Mariæ virtutibus, primas dederis. Quemadmodum enim in prato odorifero, ac varijs floribus distincto, florem pulchriorem, non facile discreueris, cum vnus quisque non solum odoratum, sed etiam aspectum ad se rapiat, & vt primo loco discerpatur, suadeat: Sic in varijs nostræ Virginis virtutibus, his paucis verbis nobis tàm perspicuè demonstratis, inuentu nequaquam facile est, quænam ex ipsis præcellat, vt ei victoriæ palma tribuatur. G

Simile. Deut. H

D.Euseb. D. Eusebius Emissenus sermone de annuntiatione, hunc locum pertractàns: Alius, inquit, aliud quiddam in præsenti sermone extollet apicibus: hic quidem constantiam, hic obedientiæ promptitudinem, alius quod non excessit modum in dando instantias, sed æqualiter cauit, & Euæ leuitatem, & Zachariæ inobe-

A inobedientiam: mihi autem humilitatis profunditas non minus conspicitur admiranda. Non humilitati Mariç primas defert vir sanctissimus, sic dicens: mihi autem humilitatis profunditas plus conspicitur admiranda: Sed qui omnes in nostra Virgine virtutes ęquales, & in summo perfectas esse cognoscebat, simpliciter dixit: mihi autem humilitatis profunditas, non minus conspicitur admiranda.

Verum ipsi Virgini deditissimus, ac deuotissimus Bernardus D. Bern. sermone 4. de assumptione. Nos quidem, inquit, in cęteris virtutibus congaudemus tibi, sed in misericordia tua potius nobis
B ipsis. Laudamus virginitatem, humilitatem miramur, sed misericordia miseris sapit dulcius, hanc amplectimur charius, recordamur sępius, crebrius inuocamus: hęc est enim, quę totius mundi reparationem obtinuit, salutem omnium impetrauit. Ex hac D. Bernardi sententia facile quis colligere poterit, ipsum Virginis misericordię primũ locũ dedisse, ex eo, quod dixit: Misericordia miseris sapit dulcius, hanc amplectimur charius.

Verum quòd non talis fuerit sanctissimi, ac deuotissimi viri mens, ex eo facile elici potest, quia non bene sequitur, misericordiam cęteris Marię virtutibus pręcellere, quia dulcius sapit,
C aut charius eam quis amplectitur. Sicut enim ex cibis dulcius Simile. nobis sapit vnus, quàm alius: & ex gemmis etiam vnam charius, & multò charius amplectimur, quàm aliam, neque exinde sequitur, cibum, qui dulcius sapit, aut gemmam, quę charius amatur esse alijs meliorem, cum meliora, vel saltem ęque meliora, & pretiosiora multa sint, licet neque dulcius sapiant, neque charius possideantur: ita etiã licet D. Bernardus dicat: quòd misericordia miseris sapit dulcius, & quod charius possidetur, non tamen sequitur, ipsum existimasse misericordiam omnibus alijs Mariæ virtutibus præcellere.

D Hùc etiam accedit, quia in speculo beatæ Virginis cap. 8. de D. Bona. Maria loquens dicit Seraphicus Doctor D. Bonauentura: Ipsa est, qua maiorem Deus facere non posset. Maiorem mundum facere posset Deus: maius cœlum facere posset Deus: maiorem matrem, quàm matrem Dei non posset facere Deus. Et in huius rei confirmationem adducit mellifluum patrem D. Bernardum, sic dicens: Vnde Bernardus ait. Neque enim decebat Deum alia mater, quàm Virgo, neque Virginem alius filius,

quàm

quam Deus, quia nec maior inter matres, nec maior inter filios E
nasci potuit.

Ex his horum patrum sentenitjs inferri optimè potest, omnes in Maria virtutes, sic æquales, & summe perfectas fuisse, vt earum nulla nec maior, nec minor alijs existeret. Quomodo enim maiorem Mariam Deus facere non posset, sicut dicit D. Bonauentura; & quomodo etiam maior inter matres nasci non potuisset, sicut inquit D. Bernardus: si in illa vel maior vel minor virtus vlla dari posset? Etenim in ea, quæ adeò perfecta à Deo effecta est, nihil fuit nec maius, nec minus. Alioquin si concedamus, quòd in Virgine daretur virtus, alia virtute minor opus F
est, vt etiam concedamus, Deum virtutem ipsam, quæ in ea, alia virtute minor existebat, ita potuisse intendere, vt maiori virtuti adæquaretur. Ex quo sanè facto, apertissimè quidem sequeretur, quod saltem secundum hanc virtutem, maior Maria efficeretur, quàm antea esset, & ex consequenti quòd non ita perfecta esset, quin maiorem illa Deus facere posset, quod non est concedendum. Et ideo dicendum est, omnia in nostra Virgine ita fuisse æqualia, vt cognitu nequaquam facile sit, quænam in ea virtus, cæteris alijs possit præstare. Omnes enim in summo Maria possidebat, summam humilitatem, summam G
obedientiam, summam fidem, & summam charitatem, id, quod de alijs virtutibus similiter intelligendum est. Sed ad propositum redeamus, & Mariæ charitatem, qua Virgo accensa respondit. Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum: aliquantulum discutere incipiamus.

Cornelis Iamse. Doctissimus Cornelius Iansenius, in sua concordantia in Lucam hæc Marię verba pertractans, sapienter adnotauit, hoc verbum, fiat, his verbis à Virgine prolatum, non tantum consentientis esse, sed simul etiam optantis, ac deprecantis, vt tantum donum consequeretur. Quæ verba etiam exponens Euthymius in suis commentarijs in Lucam. Iam non solum credidit, inquit, sed etiam optabat, vt sibi contingeret, sicut dixerat Angelus. Verum hac ipsa de re multo clarius Haymo, quàm Euthymius ille enim homilia de Annuntiatione explicans verba ista: fiat mihi secundum verbum tuum: ac si diceret, inquit: Vtinam accipiam de Spiritu Sancto, sicut tu dicis: Vtinam veniat Spiritus Sanctus, & obumbret mihi, & pariam filium Dei.

Euthy. H

Haymo.

Et

A Et quod hoc verbum, fiat in deprecatiuo, & optatiuo sensu, hoc loco accipiatur præter Iansenium, Haymonem, & Euthymium, docent etiam multa scripturę loca: Et hinc est illud Psal. 68. prophetæ: fiat mensa eorum coràm ipsis in laqueum. Fiat habitatio eorum deserta. Psal. 79. Hinc illud: fiat manus tua super virum dexteræ tuæ. Psal. 118. Et illud: fiat misericordia tua, vt consoletur me. Psal. 121. Fiat cor meum immaculatum, vt non confundar. Fiat manus tua, vt saluet me. Hinc denique est illud: Fiat pax in virtute tua, Psal. 121. in quibus omnibus verbum, fiat, in deprecatiuo, & optatiuo sensu accipitur: sicut etiam hoc loco, cùm Virgo dicit: B Ecce ancilla domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Quod perinde est, ac si diceret: Ecce totam me offero ancillam domini mei promptissimam, & paratissimam ad omne obsequium eius. Vnde non solum placet, sed etiam opto, & maxime opto, vt fiat mihi secundum verbum tuum: Id, quod totum proueniebat ex ardentissima charitate, qua ipsa Virgo tota penitus inflammata, hominum salutem tantopere exoptabat.

Præclarissimus, ac locupletissimus huius rei, nobis testis existit Venerabilis Beda, qui homilia de Annuntiatione huius Ven. Beda. C Virginis desiderium explicans dicit: Famulatum Christo deuota, quod iubetur, impendit: fiat, inquit, mihi secundum verbum tuum. Fiat vt Spiritus Sanctus adueniens me cœlestibus dignam mysterijs reddat: Fiat vt in meo vtero Filius Dei humanæ substantiæ habitum induat, atque ad redemptionem mundi, tanquam sponsus suo procedat de thalamo.

Sed quid ego in rebus Virginis, Venerabilem Bedam, aut alios patres commemorem? Vnus præ omnibus alijs Virgini deuotus, in medium prodeat, mellifluus pater D. Bernardus: D hic nobis dicat, hic nobis explicet, hic nobis aperiat, hic nobis ostendat, quanto cum affectu, quanto cùm desiderio, quantà cum charitate hæc verba Deum orans Maria pronuntiauerit. Is itaque homilia quarta super missus est de Vergine, & cum D. Bern. Virgine agens post alia multa, in hunc modum subdit. Hoc itaque prudens Virgo intellexit, quando præuenienti se muneri gratuitæ promissionis, iunxit meritum suę orationis, fiat, inquiens, mihi secundum verbum tuum. Verbum, quod erat

in

in principio apud Deum, fiat caro de carne mea ſecundum verbum tuum. Fiat, obſecro, mihi verbum non prolatum, quod tranſeat, ſed conceptum vt maneat, carne videlicet indutum, non aere: fiat mihi non tantum audibile auribus, ſed & viſibile oculis, palpabile manibus, geſtabile humeris. Nec fiat mihi verbum ſcriptum, & mutum, ſed incarnatum, & viuum: Hoc eſt non multis figuris mortuis in pellibus exaratum, ſed in forma humana meis caſtis viſceribus viuaciter impreſſum, & hoc non mortui calami depictione, ſed Sancti Spiritus operatione. Eo videlicet modo fiat mihi, quo nemini ante me factum eſt, nemini poſt me faciendum. Porro multifariam multiſque modis olim Deus locutus eſt patribus in prophetis, & alijs quidem in aure, alijs in ore, alijs etiam in manu factum eſſe verbum Domini memoratur: mihi autem, oro, vt in vtero fiat, iuxta verbum tuum. Nolo autem, vt fiat mihi, aut declamatorie prædicatum, aut figuraliter ſignificatum, aut imaginatorie ſomniatum, ſed ſilenter inſpiratum, perſonaliter incarnatum, corporaliter inuiſceratum. Verbum igitur, quod in ſe nec poterat fieri, nec indigebat, dignetur in me, dignetur & mihi fieri ſecundum verbum tuum. Fiat quidem generaliter omni mundo: ſed ſpecialiter fiat mihi ſecundum verbum tuum. Hunc in modum mellifluus pater, a quo ſanè nihil egregius, nihil ornatius, nihil pulchrius, & nihil denique clarius aut dici, aut excogitari potuiſſet, quo ingentes illas charitatis flammas oſtenderet, quibus pijſſima Virgo tota inflammata dicens orabat: Fiat mihi ſecundum verbum tuum.

Sed quomodo amore languida, & charitate vulnerata, imo charitate tota liquefacta Virgo, non diceret: Fiat mihi ſecundum verbum tuum, quæ tota, vt ita dicam, amor erat, tota charitas erat, & tota ignea erat? Ab igne quid niſi ignis? & ab incendio quid niſi deuoratrix, ac deuaſtatrix flamma procedit? Ieſſe virga Virgo erat, incendij filia erat, & ideo incenſa charitate dicebat: Fiat mihi ſecundum verbum tuum. An non Ieſſe virga erat, de qua ſic clarè pronuntiat Iſaias: Egredietur virga de radice Ieſſe? Erat quidem. Ergo ſi Virgo virga erat egreſſa de radice Ieſse, planè incendij filia erat, Ieſse enim incendium interpre-

Iſa. 11.

A interpretatur: Et ideo nos pulchram istam Iesse virgam igneam appellamus, ac incendij filiã nuncupamus, præsertim cum ex magnitudine diuini amoris processerit, quod Deus mundo Virginem dederit, vt pro hominum redemptione tam affectuose deprecaretur.

CAP. IX.

Maria quantum de vniuersorum salute sollicita: ipsa de cęlo ad terras Deum ipsum ligatum deduxit.

B

Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum. Luc. 1.

EX his, quæ à nobis superius dicta sunt, argui potest in hunc modum. Vera charitas sua non respicit, neque circa propriũ commodũ occupatur. Autore enim D. Paulo, imo & Spiritu Sancto per Paulum: 1. Cor. 13. charitas non quærit, quæ sua sunt: id, quod Maria ipsa minime obseruare, aut sequi videtur, cùm sua potius, quàm aliorum quærere uideatur, sic dicens. Ecce ancilla Do-
C mini, fiat mihi secundum verbum tuum. quibus verbis sibi, & non alijs fieri deprecatur illud, quod ab Angelo promittebatur.

Ad hæc dicimus, quod errat quidem, & vehementer errat, quisquis est, qui Mariam eam esse existimat, quæ ad sua potius, quàm ad illa, quæ proximorum sunt animum intenderet. Et ad ostendendum hoc ista esse, sufficeret quidem nobis, & satis superque sufficeret id, quod de Virgine testatur Euangelista, quę deficiente in nuptijs vino, nulla sui ratione habita, nõ suo, sed aliorum solùm commodo intenta, filium pro sponsis, & pręsentibus simul conuiuantibus, sic dicens deprecabatur. Vinum Ioan. 2.
D non habent. Nulla hic proprię vtilitatis ratio inuenitur, nullus proprij commodi respectus reperitur, sed solũ maxima Mariæ charitas demonstratur, qua neque admonita, neque rogata sponso, & sponsæ, astantibusque conuiuis condolens, & alienis incommodis sponte cõpatiens, illis apud filium vini beneficium tàm diligenter obtinere procurat.

Verum nè nobis obijciatur presentem Ioannis locum solummodo sufficere, ad ostendendum Virginem in nuptijs nullam

F sui

sui rationem habuisse, sed prò alijs solum apud Christum inter- E
cessisse, sed cùm Angelo apud Lucam longe aliter se habuisse, & pro se sola deprecatam fuisse. Ideo ad ipsum Lucam propius accedentes, ex ipsius verbis Angeli demonstremus; quantum prò alijs Maria fuerit sollicita, cui ab ipso Angelo dictum est.
Lucę 1. Inuenisti gratiam apud Deum: quæ verba procul dubio maximam in Virgine arguunt charitatem, qua Virgo iam antea non prò se, aut suis solum, sed prò omnium salute intenta admodùm reddebatur. Neque hoc mellifluum fugit, aut præteriuit Bernardum, qui sermone 4. de assumptione, hæc eadē Angeli verba adducens dicit: constat enim prò vniuerso genere humano fuisse sollicitam, cui dictum est: Ne timeas Maria, inuenisti gratiam apud Deum, gratiam vtique, quam quærebas. quam quærebas: dicit D. Bernardus ad insinuandum Virginem iam ante, gratiam istam vniuerso humano generi tantopere necessariam desiderasse, ac pro ea obtinenda apud Deum sollicite laborasse. Et quod erga nos taliter affectus fuerit sanctissimę Virginis animus, præter Angelum (si supracitatis Bedæ, ac Bernardo credēdum est) declarauit etiam Virgo ipsa cū dixit. Ecce ancilla Domini fiat mihi secūdum verbum tuū. Vbi nō sua, sed aliena Virgo quærebat: quis enim petat, aut quęrat qđ habet? G
Sed videamus hoc clarius. Vere plena erat Maria sibi, & sibi abundabat, quę ab Angelo gratia plena salutabatur. Aue gratia plena. Et ideo si nunc petit vt sibi fiat secundum ipsius Angeli verbum, ideo petit quia vult gratiam superabundare sibi, vt possit abundare alijs: vult supereffluere sibi, vt ad salutem vniuersitatis possit effluere. Promiserat illi Angelus hanc gratiæ superabundantiam, cum dixit Spiritus Sanctus superueniet in te: & ideo tanto affectu sic dicens, requirit: fiat mihi secundum verbum tuum. Quod quidem perinde est, ac si clarius virgo diceret. O utinam iam fiat, vt pretio sum illud balsamum, tanta copia, ac plenitudine in me influat, vt copiosissime effluere possit circumquaque. H

Præterea hæc Mariæ verba, eò referre possumus, vt significemus Virginem in illis, pro alijs, vt dictū est, exorasse, & nihilominus sibi specialiter fieri exoptasse, quod omni mundo generaliter fieri desiderabat. Huius rei ea potissimum ratio est, quia charitas aliena bona sua facit. Vere iam tunc Mariam intus do

cebat

Marginalia: D. Bern. (beside "reddebatur... Bernardum"); Lucæ 1. (beside "abundabat"); Lucæ 1. (beside "tiæ superabundantiam"); F (right margin beside "ba adducens dicit")

A cebat Deus inuifibilis,qui ex ea nafciturus erat homo vifibilis. Sed quid eam docebat? Id, quod ipfe poftea facturus erat,cuius tanta,& tàm pia erga fuos dignatio futura erat, vt quidquid illis impenfum agnofceret, fibi factum effe affirmanter affereret. Amen, inquit, dico vobis, quandiu feciftis vni de ijs fratribus Matt. 25. meis minimis, mihi feciftis. Omnium quoq; gentium doctor D. Paulus, tanta erga proximos charitate flagrabat,vt bona illis exhibita,fibimet diceret exhiberi. Et hinc erat quod in ea Philem. 1. Epiftola,quam ad Philemonem fcripfit, ipfi Philemoni Onefimum commendans dicebat. Tu autem illum,vt mea vifcera B fufcipe. Et paulo poft,clarius,& multo clarius. fi ergo inquit, habes me focium,fufcipe illum ficut me. Ac fi diceret dulciter, & benignè illum excipe fciens quod omnis benignitas, & humanitas,qua illum excipiẽdo vfus fueris,fic à me cognofcetur, ficut fi me ipfum exceperis.

Et deinde vt clarius oftenderet D. Paulus fibi ipfi impendendum effe quid quid Onefimo aut fieret,aut dimitteretur, fubiungit: hoc mihi imputa, ego reddam. Ac fi diceret: licet Onefimus fit,qui accipiat, ego tamen ero, qui pro eo debitor femper exiftam. Hoc etiam modo Angelo Virgo refpondet,fiat mihi C fecundum verbum tuum. Dixerat illi Angelus. Ecce concipies Lucæ 1. in vtero, & paries filium,& vocabis nomen eius Iefum: ipfa vero, quæ vniuerforum falutem tantopere defiderabat, omnium caufam in fe ipfa fufcipiens dicit: fiat mihi fecundum verbum tuum. hoc eft, fiat vt in meo vtero concipiam, fiat vt talem, ac tantum filium pariam, fiat, vt ex me Iefus nafcatur. Et de hoc Iefu Ideo fiat mihi fecundum verbum tuum,quia licet ipfe omnibus,& pro omnibus veniat, tamen ego beneficium iftud, quod à Deo vniuerfo mundo generaliter fit, fic penes me fufcipio,ac fi mihi foli fingulariter fiat.

D O magnum charitatis affectum.fed affectum ne,an effectum dicam? Plane vtrumque dicam,& bene dicam: æque enim locuples Virgo eft in vtroque. Et quid ni eã in vtroq; locupletem effe,dicam,quæ vehementia defiderij,feruore deuotionis,& puritate huius fuæ orationis fupra omnes cœlos inacceffam attigit mageftatẽ,eamq; ad terras deduxit (id, quod ad eius charitatis effectum maxime pertinet) ad fufcipiẽdam noftrã humanitatẽ

Bene quidem huic rei, de qua agimus illud congruit, quod

tractatu de quatuor virtutibus charitatis hunc in modum dicit E
D.August. Augustinus, si tamen ille tractatus est Augustini. O charitas, inquit, quàm magnas vires habes, de cœlo Deum deposuisti. Nec immerito virtuti charitatis tantum tribuit Augustinus. Quibus enim viribus de excelsa cœlorum sede Deus deponi potuisset, vt humiles exaltaret, nisi viribus dilectionis? Quibus vinculis ligari potuisset, nisi vinculis charitatis? sicut fortissimus ille Sanson, qui in vna Asini mādibula mille viros interficiebat, quemq; nulla vincula poterāt colligare, quæ statim sic non effringeret. sicut si rumpat quis filum de stuppa (sunt verba scripturæ) tortum sputamine, cùm odorem ignis acceperit, propter F vnius Dalilæ amorem ita superatus est, vt erutis oculis à Philistæis cathenis vinctus duceretur: ita etiam potentissimus, ac fortissimus Deus vnius Virginis charitate sic superatus est, vt de cœlo ad terras ligatus deduceretur. O fortissimum charitatis vinculum. O charitas quàm forte est vinculum tuum, si ergo contra Dominum ita fortis fuisti, multo magis contra homines præualebis.

Simile.

Iud. 16.

Ose. 11. Olim Deus vnigeniti filij sui incarnationem mundo promittés sic dicebat: In funiculis Adam traham eos, in funiculis charitatis: idq; Dominus ipse bene tunc adimpleuit, quādo filium G suum misit in mundum, qui nos traxit in funiculis Adam, vtpote factus filius Adam, siue filius hominis. In eo enim ꝙ factus est ex carne Adam filius hominis, miro modo sibi nos colligauit, & traxit ad se in funiculis charitatis.

Verum hoc in ipso Deo non ita sane mirandum est: in Virgine autem multum quidem per omnem modum, quia ipsá Dei artem (vt ita dicam) omnino delusit, & sic delusit vt Deum ipsum in eisdem charitatis vinculis, siue funiculis ad nos ipsa attraxerit, quibus ipse nos ad se ipsum attracturus erat, idq; Virgo tūc H fecit, quando verba ista de intimo sui cordis extraxit, Fiat mihi secundum verbum tuum. Tunc.n. vinculo charitatis Dominus ille tractus descendit ad terras, quem nullum vinculum ad collumnam alligatum tenere potuisset, si charitas vinculum defuisset: quem nullum ferrū in cruce detenuisset, nisi charitas affuisset; quem deniq; in monumēto, nullus superpositus lapis inclusum retenuisset, nisi charitas salutis nostræ, eum compulisset.

CAP.

A

CAP. X.

In hominibus ante incarnationem, videndi Deum desiderium maximum. Deus mittendo filium suum, illis satisfecit. filius Dei in vltimo instanti verborum Mariæ in eius vtero perfectus simul Deus, & homo conceptus fuit.

Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum. Lu. 1.

B IS visis, quę ex parte nostræ Virginis, diuinam Verbi incarnati conceptionem præcesserũt, non erit abs re, si ad ea, quæ ex parte ipsius Dei, in tanto negotio etiam interuenerunt, animum parumper applicemus: vt vel sic tractationem istã, de illis Mariæ verbis, quæ ipsa ad Angelum locuta est, aliquando tandem absoluamus, & ad eius canticum properemus.

Quanta sit erga nos dominicæ charitatis, & dilectionis magnitudo, humanum plane pectus non capit, nec terreni corporis pondere mens depressa, Dei erga nos intelligit, aut sentit af-
C fectum. Ipse namque minime contentus est in eo, quòd nostræ addixerit seruituti, quidquid vastissimo cœli, ac terræ ambitu continetur: minusq; in eo, quòd omnes cœlestes spiritus nostrum incommodum deputauerit: Sed quasi hæc minima essent, ad afferendam in nos suam immensam charitatem, ille, qui vultu omnino erat incontemplabilis, visu prorsus imperspicabilis, sensu inæstimabilis, inaccessus mente, & neque ipso quidem hominibus ad plenum notus auditu, humanis se voluit aptare obtutibus. Tanta olim diuinæ claritatis, & magestatis
D videndæ humana corda flamma accenderat, vt saucia mente cæperint homines, Deum carnalibus velle oculis contueri. Et hinc est quòd Moyses dicere audet: si inueni gratiam in oculis Gene. 33.
tuis, ostende mihi faciem tuam. Hinc etiam quòd regius propheta dicit: Ostende mihi faciem tuam. Psalm. 79.

Et vt de gentilibus ipsis, aliqualem etiam mentionem faciamus, ipsi, sicut nonnulli existimant, propter hoc simulacra sibi effinxerunt, vt in ipsis suis erroribus, oculis cernerent, quod colebant. Sciens ergo Deus ipsos mortales, tanto se videndi desi-

detio teneri, vnde se illis visibilem redderet elegit. Cũ.n. Deus, quem vniuersus mundus non capit, angustus nequaquam capere posset humanus aspectus, ideo assumere decreuit ex nobis, in quo videretur à nobis: Si enim de cœlo Angelum assumpsisset, nihilominus inuisibilis ipse remaneret. Si etiam eo modo, se visibilem redderet, quo olim faciebat, timorem potius incuteret, quàm amorem incitaret. Carnem igitur assumpsit, qua se, & visibilem redderet, & hominibus timorẽ auferret: vt si diuinitas ipsis esset causa timoris, caro illis esset occasio amoris: vt si quod Dei est timerent, saltem quod suum est amarent: Denique ut si Dominum fugerent, saltem ad serui formam recurrerent, quam propterea ipse ex Virgine tùnc assumpsit, quando ipsa Angelicæ legationi respondit: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. E F

D.Ioan. Dam. D. Ioannes Damascenus de istorum verborum virtute tractãs lib. 3. cap. 2. asserit, quod in vltimo istorum verborum instanti Spiritus Sanctus non sine Patre, & Filio collectis purissimis virginei sanguinis guttulis, subito formauit corpusculum in omnibus membris, organis, & liniamentis, sed non quantitate perfectum: in eodem simul animam rationalem omni gratia, sapientia, & beatitudine plenam creauit, creando corpori infudit, infundendo vniuit, & ita humanitatem illam instituit, quã in eodem instanti solus filius assumpsit, & ita assumpsit, vt nec corporis conceptio, hoc est, formatio animationem: nec animatio Verbi incarnationem præcesserit. Sed (sicut ibidem idem dicit Damascenus) simul fuit caro, simul animata caro, simul Verbi Dei caro. G

D.Aug. D. Augustinus etiam de fide ad Petrum cap. 15. hac ipsa de re tractans sic dicit: firmissime tene, & nullatenus dubites, non carnem Christi, sine Deitate conceptam, in vtero Virginis, priusquam susciperetur à Verbo; Sed ipsum Verbum Deum suę carnis acceptione conceptum, ipsamque carnem Verbi incarnatione susceptam. H D.Greg. Et D. Gregorius lib. 9. Epistolarum cap. 61 Non autem, inquit, prius in utero Virginis caro concepta est, & post modum diuinitas venit in carnem: Sed mox Verbùm venit in uterum, mox Verbum seruata propriæ virtute naturæ factum est caro.

Itaque ex sententia istorum, & aliorum etiam multorum, vbi

primum

A primum Virgo verba ista pronunciauit. Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum: statim virtute Spiritus Sancti Dei filium concepit.

CAP. XI.

Dei filius de Spiritu Sancto conceptus, cur eius filius non dicitur. filij corpus, quod Spiritus Sanctus efformauit, quare a tota Trinitate dicitur efformatum. Quare filius, & non pater, aut spiritus sanctus carnem assumpsit.

B

Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum. Lu. 1.



OCcasione eorum, quæ à nobis superiori capite dicta sunt, merito quis sic rogare poterit. si Dei filius conceptus dicitur de Spiritu Sancto: quare nõ dicitur filius Spiritus Sancti à quo, & de quo conceptus est? Huic quęstioni disserte satis respondet Haymo super illa verba Angeli ad Ioseph dicentis Ioseph fili Dauid noli timere, accipere Mariam cõiugem tuam, quia quod Hay. Matt. 1.
C in ea natum est, de spiritu sancto est. super quę verba ad istam quęstionem sic ipse respondet Haymo. Quia non omne quod ex aliquo nascitur, eius filius appellatur. Nam omnes, qui cõsistimus in Ecclesia per fidem renati sumus ex aqua, & Spiritu Sancto, & tamen non dicimur filij aquæ, sed filij Dei. Sic & ma Simile. nus materia ex nobis ipsis nascitur, capillus ex capite, sed non dicitur filius capitis: nascuntur vngues de manibus, & tamen non dicuntur filij manus: Sic etiam filius Dei licet opera, & ministerio Spiritus Sancti conceptus credatur in vtero virginali, tamen non dicitur filius Spiritus Sancti, sed filius Dei Patris,
D à quo ante omnia sęcula est genitus, ne duo patres esse videantur. Hęc Haymo.

His, quæ circa propositam quęstionem sic ab Haymone dicta sunt, id valde congruit, quod lib. Enchi. cap. 38. & 39. dicit D. Augustinus, quo loco eidem quæstioni sic etiam respondet. D. Aug. Ad hęc ergo dicendum est (inquit Augustinus) quod non est concedẽdum, quidquid de aliqua re nascitur, cõtinuo eiusdem rei filium nuncupandum. Nam aliter ab homine nascitur:

F 4 Homo

homo filius, aliter capillus, & pediculus, quorum nihil est filius. E
Sed veniamus ad honestiora exempla: certe qui nascuntur ex aqua et Spiritu Sancto, nō aquæ filios eos, recte dixerit quispiā:
Simile. Sed plane dicuntur filij Dei Patris, & matris Ecclesiæ. Vnde sicut non omne, quod dicitur filius est natum ab eo, de quo dicitur filius, sicut sunt filij adoptiui, & filij gehēnæ: ita etiam nō omne quod nascitur ab aliquo dicitur eius filius, à quo natū est. Et ideo Christus natus est de Spiritu Sancto, non sicut filius, ex Maria vero natus est sicut filius. Sic etiam de quæstione proposita illo in loco D. Augustinus.

Aduertendum tamen est hoc loco, quod licet dicatur, ꝙ Spiritus Sanctus efformauit illud corpus ex Virgine, tamen credendum est, quod ubi ipsa hæc verba locuta est, Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum: tunc tota simul trinitas, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, illud operata sit, quia quorum inseparabilis est substantia diuinitatis, eorum est insepara- F
D. Tho. bilis operatio. Vnde asserit D. Thomas 3. par. q. 3. ar. 4. quòd id, quod est actionis in assumptione humanæ naturę commune est tribus personis, cùm actus assumentis procedat ex diuina virtute, quæ communis est ipsis tribus personis. Secus vero se res habet si de eo, quod pertinet ad rationem termini loquamur. G
Nam id secundum eundem D. Thomam eodem loco, ita conuenit vni personæ, quod non alij. tres enim personę fecerunt, vt humana natura vniretur vni personæ filij, qui solus est incarnatus. Pater filio vniuit naturam humanam, Spiritus sanctus eam
Simile. filio copulauit, sed eam sibi ipse filius assumpsit. sicut si tres uni ex eis habitum aliquem indueret. In cuius rei explicationem
D. Bonau. simili ferme exemplo vtitur D. Bonauentura de meditationibus vitæ Christi cap. 4. cuius hæc sunt verba. Scire namque debes, quòd excelsum incarnationis opus totius Trinitatis fuit, licet
Simile. sola persona filij fuerit incarnata. Quemadmodum sicut tunicam induenti, duo ex lateribus eius stantes adiuuarent eum, & tunicę manicas tenerent. H
D. Aug. Prȩterea D. Augustinus eodem lib. de fide ad Petrum hac etiā de re sic ait. Reconciliati sumus per solum filium secundum carnem, sed non soli filio secundum deitatem. Trinitas. n. nos sibi reconciliauit, per hoc quod solum Verbum carnem Trinitas ipsa fecit. Hoc vero, quod hoc modo dicit Augustinus, apposi-

A tissima, sicut credo, pôt similitudine declarari. Sicut in cithara tria pariter adesse videntur, nempe ars, manus, & chorda, & tñ vnus solus sonus efficitur: ars dictat, manus tangit, chorda resonat. tria pariter operantur, sed sola chorda resonat, quia nec ars, nec manus sonum reddunt, sed cum chorda pariter operantur: Sic nec pater, nec Spiritus Sanctus susceperunt carnem, & tamen cùm filio pariter operantur. sonum sola chorda excutit, carnem solus Christus accepit. Operatio ex tribus constat: Sed sicut pertinet ad solam chordam soni redditio, sic pertinet ad solum Christum carnis humanæ susceptio. Simile.

B Verum hinc adhùc potest non contemnenda quæstio suboriri: quare scilicet filius, & non Pater, aut Spiritus Sanctus carnem assumpserit. Cuius rei non vnam solam, sed multas quidem reddunt patres rationes. Inter eos imprimis D. Thomas ad propositam quæstionem respondet 3.p. q. 3. art. 8. Et quod attinet ad personam Patris, ideo nō fuit conueniens quod incarnaretur, quia nihil est, quo humana malitia non possit abuti, quādo etiam ipsa Dei bonitate abutitur secundum illud: an diuitias bonitatis eius contēnis? Vnde etiam si persona Patris fuisset incarnata, potuisset ex hoc homo alicuius erroris occasionem sumere, quasi filius non potuisset sufficere ad humanam naturam reparandam. D.Thom. Rom. 2.

C Deinde quod attinet ad Spiritum Sanctum, ideo non decuit eum incarnari, quia spiritui sancto proprium est, quod sit donum Patris, & filij: remissio autem peccatorum fit per Spiritum Sanctum, tanquam per donum Dei, & ideo conuenientius fuit ad iustificationem hominum, quod incarnaretur filius, cuius Spiritus Sanctus est Donum.

Si vero aliquis de conuenientia incarnationis filij, plura vult uidere, legat D. Thomam loco citato: D. Bonauenturam in illo D.Bona.
D suo libello, qui amatorius nuncupatur. D. Bernardum sermone primo de aduentu Domini. D. Leonem Papam sermone 12. de passione Domini. Et Alcuinum lib. 3. de Trinitate cap. 10. qui omnes locis citatis multas, easque optimas rationes adducunt, quare filius, & non Pater aut Spiritus Sanctus humanam carnem assumpsit. D. Bern. D.Leo Alcuins.

CAP.

E

CAP. XII.

Dei Filij ad terras descensus non per localem mutationem, sed per suæ potentiæ manifestationem fuit factus,

Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Lu. 1.



Alibus patrum sententijs, fuit à nobis superiori capite comprobanda conuenientia, incarnationis filij Dei, qui post expressum Virginis matris consensum, per hæc verba: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum, exhibitum, mox hæc infima ingressus est, de cœlesti sede descendens, sed tamen à paterna gloria minime recedens. Sicut enim fluuius licet per multas terrarum prouincias discurrat, de sinu tamen sui fontis nunquam recedit. Sic Dei filius ad terras venit, Sed de Patris sinu minime vnquam recessit. Id, quod nos ideo dicimus, ne hunc filij Dei descensum, localiter factum quisquam christianus intelligat. fuerunt enim nonnulli (sicut lib. 2. ad Trasimundum Regem cap. 10. refert D. Fulgentius) qui in contumeliam, ipsius Dei filij conspirantes affirmabāt, eũ secundũ deitatis subſtātiã, aut de loco ad locũ motu locali trāsire, aut nõ posse simul, omnia deitatis suę immēsitate complere. Et ideo cũ audiebāt eũ ad terras descēdisse, credebāt eũ in cęlo, vel apud inferos nõ fuisse, & ad infernũ secũdũ deitatis subſtātiã, ita Christũ descēdisse affirmabāt, vt eũ cęlo, et terris tũc defuisse existimarent.

Simile. — D. Fulg. — F — G

Hoc vero totum quàm impium sit, nemo christianus est, qui nõ videat, cùm ipsius filij Dei descēsus, & in terram aduētus, nõ mutationem localem, sed suæ potentiæ manifestationem, nobis ostēdat. Nouit enim ipse Dei filius sic venire, atq; abire, vt neq; ad locũ localiter veniat, neq; localiter de loco discedat: ipse. n. est virtus, & sapientia Patris de qua dicitur: Attingit à fine vsq; ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Apostolica quoq; habemus prędicatione compertum, ꝙ in filio cõdita sũt vniuersa in cęlis, & in terra, visibilia, & inuisibilia, siue Throni, siue Dominationes, siue Potestates, omnia in ipso, & p ipsũ creata sunt, & ipse est ante omnia, & omnia in ipso constāt. Quid ergo

H — Sap. 8. — Colo. 1.

est,

A est, quod implere sua potentia nequeat, in quo Apostolus vniuersa in cęlis, & in terra, visibilia, & inuisibilia cõstare ꝓnũtiat?

Quando ergo vnus quisque filij Dei aduentum audierit, non aliquã ipsius mobilitatem intelligat, sed opus credat suę manifestationis nobis per hoc exhibite, quia quando Pater filium misit in mundum, hominibus eum visibilem demõstrauit. Ita enim exponit glossa interlinearis verba illa Apostoli. Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, id est, fecit visibilem hominibus. Et ideo cum quis audit filij Dei descensum, aut opus intelligat talis manifestationis, aut nouum effectum in B Virgine, sicut loquuntur Patres. Inter quos Nico. Lyr. in respon sione ad argumẽta cuiusdã Iudęi ex verbis christianorum affirmat, quod descensus filij in uterum Virginis, non est intelligendus per motũ localẽ, sed per nouũ effectum in Virgine, qui effectus est coniunctio diuinæ naturæ, & humanę in una persona. Gala. 4. Nicu. Ly.

Et vt de alijs Patribus interim taceamus, ne multi simus, D. Euchenius in libro formularum spiritalium dicit, quod descẽdere Deus in mũdum tunc dicitur, qñ aliquid nouum, quod antea non fuerat, in creatura humana operatur. Sicut filius Dei descendisse narratur, quando veram carnem ex Maria Virgine, C propter redemptionem nostram suscepit: & verus homo fieri dignatus est, nõ amittendo quod erat, sed assumẽdo quod nõ erat. D. Eche.

Hoc igitur modo intelligendus est filij Dei descensus, qui his nostræ Virginis verbis, Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundũ verbum tuum, inuitatus in eius uterum sic descendit, vt tunc in cęlis maneret apud Patrem, qui in terris generabatur in matre. Sicut enim ignis est in ferro nõ trãsitione, sed communicatione: nõ enim ignis ad ferrũ excurrit, sed in suo loco pmanẽs vim suã ei tribuit, nec tribuẽdo minuitur, q̃quã id, qđ ipsũ recipit totum compleat. Sic Verbũ Dei, nõ dimotum est a se ipso, nec à paterno D sinu discessit, vt generaretur in Virgine, sed sine vlla sui mutatione ex ea humanã carnẽ, ꝓpterea dignatus est habere mortalẽ, vt secũdũ ipsã moriẽs nostrã mortẽ destrueret: & vt secundũ ipsam, etiã resurgeret, p quã nostra quoq; corpora suscitaret. Simile.

O magnum diuinæ dilectionis indicium. Homo Deum cõtemnens ab ipso Deo discessit. Deus homines diligẽs, ad homines venit: dilexit impios, vt faceret iustos, dilexit infirmos, vt faceret sanos: dilexit mortuos, vt faceret viuos. Et qđ amplius dicã?

Ipse

Ipse Deus vnigenitus, humanam tantum naturam dilexit, vt eam non solum à potestate mali Angeli liberaret, sed etiam, vt in se ipso eam, sup omnes Angelos in Patris dextera collocaret. E

CAP. XIII.

Dei filius homines amabat, & tamen in hunc mundum venire ideo tardabat, quia Mariȩ vox in eius auribus non personabat.

Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum Luc. 1.



Ei filij amorem erga genus humanũ, assidua quoties animi cogitatione contemplor, adduci non possum, quin toties in maximam admirationem rapiar, cum ante eius ad homines aduentum, tãtum, ac tàm longi temporis spatium elapsum esse videam. Et quis, quæso, non mirabitur, & maxime mirabitur, si tanquam prudens ponderator in statera rationis expendat tãtum amorem, & tantam dilationem? Dilationem inquam non vnius, non decem, non centum, nõ deniq; mille: Sed (si secũdũ hæbraicam veritatem loquẽdum est) quatuor millia ducentorũ sexaginta triũ annorũ: tot enim anni effluxerũt ab exordio mũdi vsq; ad Christum sicut in chronicon de quinta mundi ętate refert Gregorius Augustudunẽsis: quamquam hac de re inter alios autores, non sic determinate constet: Id, quod ostẽdit Nicolaus de Lyra super illud: Arenam maris & pluuię guttas, & dies sęculi qs dinumerauit? ibi enim nõ nullas rationes reddit ,ppter quas tales anni certitudinaliter, & præcise nõ sunt enumerati. F G

Gre. Aug.

Nico. lyr. Eccle. 1.

Prima ratio hęc est, quia septuaginta interpretes multo plures annos computãt ab initio mũdi, quàm in libris hębraicis habeatur. Secũda quia in libris hæbraicis computãtur anni secũdum vitas Patrũ, vt hebetur Genesis quinto, & itẽ secũdum tẽpora Regum, vt patet in libris Regum, in qua computatione freque̋ter vnus annus ,p duobus computatur, & è conuerso. Tertio q̃a à reddita captiuitatis babilonicę vsq; ad Christũ, nõ habetur aliqua enumeratio p sacrã scripturã. Ex q̃bus rationibus colligit Lyra, dies, sęculi ,ppter tantã varietatẽ, nõ esse ab aliquo homine certitudinaliter, & pręcise enumeratos. Verũ de hoc q̃dquid sit H

alij

A alij viderint. Nobis interim dubium non est, multos satis annos effluxisse, antequam Dei filius in mundum adueniret.

Quæ ergo illi fuit causa tãtę dilationis? Nunquid ideo tardabat, quia tardus erat, aut segnis? Absit, vt tale quid dicatur de eo, qui in omni opere suo velocissimus est. Ecce iste venit (dicit de illo sponsa) saliens in mõtibus, trãsiliens colles similis est dilectus meus capreę, hinnulloque ceruorũ. Nec sola spõsa, sed alię etiam scripturę prophetice eius velocitatem attestãtur dicẽtes: Voca nomen eius accelera spolia, detrahere, fęstina prędari. Et itẽ: ecce festinus velociter veniet nõ ẽ deficiens, nec laborãs B in eo. Quid ergo? forsã ideo nõ ꝓperabat, quia nõ amabat? Absit etiam, vt tale quid suspicemur de illo, qui ipsamet charitas est, & tanta erga homines charitate accendebatur, vt cũ illis esse, suas delicias esse assereret. Delitiæ meæ esse cũ filijs hominum. Cant. 2. Isa. 7. Prou. 8.

Hùc etiam spectat illud, quod de hac incarnata sapientia testatur Eusebius Cæsariensis Euangelicæ demõstrationis lib. 5. cap. 9. quo loco de illis tribus viris agens Eusebius, qui Abrahę apparuerunt, ingenue fatetur vnum ex eis fuisse Dei filium, qui cum duobus Angelis in forma hominis visus est. Quod si ita est, sicut tenet Eusebius, & cùm illo etiam multi ex Patribus C (quos tamen D. Eucherius eodẽ Genesis loco videtur impugnare) nihil nobis dicendum restat, nisi quòd ideo Vnigenitus Dei filius humanam speciem, ac figurã induere, & in illa, & cùm illa Abrahæ apparere voluit, q̃a iam ex tũc suam pietatẽ, & amoris magnitudinẽ erga homines, talibus voluit indicijs cõprobare? Eu e. Cęs. Gen. 18. D. Euche.

Sed quid ego de tẽpore Abraham loquor? Multo quidẽ ante, Dominus ipse istius suę pietatis, ac amoris semina iecit: Si quidẽ in ipso statim mũdi principio (si tamẽ Augustino Eugubino credere fas est) iam creato primo nostro parẽti Adamo in humana forma visus est. Id, qđ ipse Eugubinus super illa verba: Ad imaD ginem, & similitudinẽ nostrã: his verbis ostẽdit. Accessit ergo filius, & Verbũ Dei ad creationẽ humanã in forma, imagine, habituq; humano gerens speciosissimã, diuinissimamq; formã, & iocundissimã, omniũ humanarũ formarũ pulchritudinẽ superantem, q̃ vidẽtem, atq; intuẽtem generis nostri principẽ, cẽsendum est amore insanisse, creatoremque omnibus fœminis speciosiorẽ deperisse. Hãc speciẽ, diuinamq; pulchritudinẽ clemẽtissimus, formosissimusq; assumpsit, quã erat post multa tẽpora Gen. 1. Aug. Eug.

vsque

vſque ad carnem, & oſſa aſſumpturus. Et poſt pauca iam tunc inquit, declarabat ſuam exuberantem clementiam, benignitatemq; Creator donans ſeipſum homini, & pulchritudinem, diuinitatemq; ſuã munus faciens, & quantum quod creabat, formam donans ei ſuam, diligeret comprobans. Hæc Eugubinus. E

Quæ ſi vera ſunt, nõ immerito poſſumus aſſeuerare, quòd iam tunc Dominus voluit, vt ibi aliquod indicium eluceret, non tantum ſui amoris, ſed etiam futuræ ſuæ incarnationis. Quid enim eſt, quod ibi tota, atq; indiuidua trinitas ſe ſe ad creandum hominem ita inuitat: faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, & quod ſolus filius humani corporis ſimilitudinem tunc ſuſcipit? Quid, inquam, hoc eſt, niſi clara, & manifeſta figura illius veritatis, quæ poſtea in admiranda diuini Verbi incarnatione futura erat? Nam in hac admiranda incarnatione, quàmquam omnes tres perſonæ (vt inſuperioribus diximus) Pater, Filius, & Spiritus Sanctus fuerunt operatæ, tamen ſolùm diuinum Verbum, ineffabilem illam diuinæ, & humanæ naturæ vnionem terminauit. Gen. 1. F

Præter hoc, eſt etiam aliud, quòd merito ſuſpiciamus in hac dominica apparitione facta Adamo, & non ſolum ipſi Adamo, ſed omnibus etiam alijs, quibus ſe ipſum Dominus in humani corporis ſimilitudine manifeſtauit. Sed quale eſt illud? Hoc plane quod ex illo facto Dominus iam quandam arram, & pignus ſuæ incarnationis illis exhibebat, vt hoc modo in eis, ſui in humana carne aduentus, amorem excitaret. Hinc erat (ſicut lib. 4. aduerſus hæreſes cap. 15. docet antiquiſſimus ille autor, idemq; inuictiſſimus ſimul martyr D. Iræneus) quòd Abraham tantopere concupiſceret illum diem videre, de quo ipſe dicit Chriſtus: Abraham pater veſter exultauit, vt videret diem meum, vidit & gauiſus eſt: quia, ſicut illo in loco tradit ipſe Iræneus, doctus erat Patriarcha repræſentatione (intelligitur de repreſentatione Abrahæ facta in forma humana) quod inter homines, homo futurus eſſet filius Dei. G D. Iræn. Ioan. 7. H

Itaque Dei filius, taliter iam tunc conabatur, & hominum amorem erga ſe excitare, & ſuum erga illos, per illud manifeſtare, quòd iam tunc delectabatur, illius corporis ſimilitudinem aſſummere, quod poſtea in ueritate ſuſcipere volebat, quando humanam carnem accipere debebat. Sicut regis filius quando de- Simile.

A do desponsari vult, in signum amoris, quo sponsam diligit, & desiderij, quod habet, vt suæ desponsationis dies iam adueniat, varijs se vestibus induit, quibus cùm amicis colloquatur, preciosioribus alijs vestibus solum in suę despōsationis diem reseruatis: ita etiam cùm Vnigenitus Dei filius, suam Ecclesiam, aut animam nostram desponsare decreuisset, non illicò se vestiuit pretiosis nostræ humanitatis vestibus, sed eas reseruauit in diem desponsationis suę, in diem lętitię cordis eius.

Verum qualis aut quis fuit iste dies? glossa interlinearis super illa verba: Egredimini filiæ sion, & videte Regem Salo-
B monem in diademate, quo coronauit eum mater sua, in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius: dicit hunc diem, fuisse diem annuntiationis, in quo Maria Mater, Christū verum Salomonem diademate nostræ humanitatis coronauit. Et ideo quia has vestes Dei filius ad hunc solùm dié reseruabat, idcirco antea Adamū creās, & Abrahæ, & alijs apparens (stādo in opinione supradictorum Patrum) humani corporis figuram sibi assumebat: vt saltem illo modo desiderium illud ostenderet, quod habebat, vt illæ suæ desponsationis dies iam adueniret, quo nostræ humanitatis veste vere indutus appareret.
C Ex his omnibus haud obscure sanè colligitur, quod si Vnigenitus Dei filius non veniebat, non ideo erat, quia amorem non habebat.

Sed dices: si ergo amabat, quare citius venire non properabat? Quia non citius dulcissimæ sponsæ suæ vox in eius auribus personabat. Nam vbi primum per diuinum illud sanctissimæ Virginis os, diuina ista effluxit vox: Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum: illicò exultauit vt gigas ad Psal. 17.
currendam viam, & à summo cœlo egressio eius. tanta enim tunc Dei filius velocitate de cœlo cucurrit ad terras, vt nihil a-
D liud videretur antea expectare, quàm vt à nostra Virgine his verbis vocaretur, & adueniendum statim excitaretur, Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum.

CAP.

CAP. XIIII.

Dei filius cur tantum, in mundum venire, distulit. Maria Virgo loquendo tempus compleuit, quod Deus expectabat, vt veniret.

Ecce aucilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum. Luc. 1



Vlti ex illa veneranda antiquitate Patres, varias conantur rationes reddere, propter quas Dei filius suum, in mundum, aduentum tantum differebat. Ex illis vnum imprimis enumerabimus D. Gregorium Nissenum magni illius Basilij fratrem qui in ea oratione, quam de Christi natiuitate fecit, hac ipsa, de re in hunc modum loquitur. Quod autem humanæ vitæ non ab initio, sed extremis temporibus Dominus apparuerit: hanc merito fortasse causam quispiam existimabit, quod qui malitiā vt tolleret, humanam vitam erat ingressurus, expectauit necessario, vt omne ab inimico satum, propagatumque peccatum germinaret. ac tunc demum, vt legitur in Euangelio, radici securim admouit. Nam & qui prestant medendi facultate, dùm febris adhùc corpus exurit, & ex causis morbum efficientibus paulatim intenditur, obsecundant morbo quoad vis ad summū peruenerit, nec cibi subsidium vllum ægrotanti præbent: at vbi malum constiterit patefacto iam toto morbo, tunc artem adhibent. Sic animorum ægrotantium medicus expectauit, dum malitiæ morbus, quo natura hominum victa laborabat, se totum aperiret, nè latens aliquid incuratum remaneret.

D.Greg. Nisse. — Mar. 3. — Simile.

Theophy. Ab hac D. Gregorij sententia, nō multum sane distat Theophylactus, qui super 4. cap. epistole ad Galatas sic inquit: Omne scelerum genus pergressa humana natura, cum iam haberet opus curatione, emandauit filium suum Deus. hoc est, placuit ei vt veniret. Sic eo in loco Theophylactus ipsum D. Gregorium Nissenum, sicut credo, sequutus, quem super cap. 9. Epistolæ ad hebreos ipse Theopylactus allegans supracitatę D. Gregorij sententiæ verba refert.

D. Aug. Præterea D. Augustinus lib. de prædestinatione sanctorum cap. primo, hac etiam de re agens dicit, tūc voluisse hominibus appare-

A apparere Christum,& apud eos prædicari doctrinã suam, quando sciebat,& vbi sciebat esse, qui in eum fuerant crediuri. His enim temporibus,& his locis, quibus Euangelium eius, non est prædicatum, tales omnes in eius prædicatione futuros esse sciebat, quales,non quidem omnes,sed tamen multi, in eius corporali præsentia fuerunt,qui in eum, nec suscitatis ab ipso mortuis, credere voluerunt. Et paucis interiectis: Quid ergo,inquit, mirum, si tàm infidelibus plenum orbem terrarum Christus prioribus sæculis nouerat, vt eis apparere,vel prædicari meritò nolet, quos nec verbis,nec miraculis suis credituros esse præsciebat. In B hanc D. Augustini sententiam videtur etiam Haymo accedere super 9.cap.epistolæ ad Hebreos,sub his verbis: Meritò tunc apparuit,quando multa erant peccata,vt ostenderet diuitias gratię suę, si enim in principio fieret, fortassis nullus crederet. Haymo.

His D. Augustini, ac Haymonis rationibus illa quidem ratio est valde dissimilis, quam sermone 3. de natiuitate in hunc modũ adducit beatissimus Leo Papa. Sapientia, & benignitas Dei hac salutiferi operis mora capaciores nos suæ vocationis effecit, vt quod multis signis, multis vocibus, multis mysterijs per tot fuerat sæcula prænuntiatum,in his diebus Euangelij non esset ambi- C guum: & natiuitas,quæ omnia miracula, omnemque intelligentiæ erat excessura mensuram, tantò constantiorẽ in nobis gigneret fidẽ,quãtò prędicatio eius, & antiquior præcessisset,& crebrior. Non itaque nouo consilio Deus rebus humanis,nec Sera miseratione consuluit,sed à constitutione mundi vnam, eandemque omnibus causam salutis instituit. Sic Leo Papa. D. Leo.

Supradictorum Patrum rationibus,Seraphici Doctoris D.Bonauenturæ quatuor etiam rationes addemus, (& si supradictis non sint omnino dissimiles) quę habentur 4.p. sui breuiloquij, illarum prima est huiusmodi. Quoniam ergo liberalitas arbi- D trij hoc requirit,vt ad nihil trahatur inuicta, sic debuit Deus humanum genus reparare, vt salutem inueniret, qui vellet quęrere Saluatorem, qui verò nollet quęrere Saluatorem,nec salutem per consequens inueniret. Nullus autem quęrit medicum,nisi recognoscat morbum, nullus quęrit doctorẽ,nisi recognoscat se ignorantem. Nullus quęrit adiutorem,nisi recognoscat se impotentem, quia igitur homo in principio sui lapsus adeò superbiebat de scientia, & virtute ideo pręmisit Deus tempus legis naturę, in D. Bona.

quo conuinceretur de ignorantia: & postea cognita ignorantia, E
sed permanente superbia de virtute, qua dicebant non deest, qui
faciat, sed deest, qui iubeat, addidit legem præceptis moralibus
erudientem, & cerimonialibus aggrauantem, vt habita scientia,
& cognita impotentia confugeret homo ad diuinam misericordiam,
& gratiam postulandam, quæ data est nobis in aduentu
Christi. Ideo post legem naturæ,& scripturæ subsequi debuit incarnatio
Verbi.

Secunda ratio, Rursus quando sublimitas remedij requirit, vt
credatur fide firmissima, & ametur charitate ardentissima tanquã
mysterium secretissimum, & saluberrimum, ideo congruentissimum
fuit, vt ante Christi aduentum, præirent multa testimonia F
prophetarum tàm explicita in verbis, quàm implicita in figuris,
vt multis, & firmis testimonijs, quod erat secretum fieret certum,
& indubitabile: præirent etiam multiplicia promissa, & ardentissima
desideria, vt promissum beneficium expectaretur, expectatum
differretur dilatum amplius desideraretur, & diu desideratum
feruentius amaretur,& gratiosius susciperetur, susceptumque
sollicitius seruaretur.

Tertia ratio, Postremo quod integritas, & perfectio vniuersi
requirit, vt vniuersa sint ordinata quantum ad loca, & quantum G
ad tempora: & hoc opus incarnationis erat perfectissimum inter
omnia opera diuina: & processus debet esse ab imperfecto
ad perfectum, & non è conuerso. Hinc est quod opus illud debuit
fieri in fine temporum, vt sicut primus homo, qui erat totius
mundi sensibile ornamentum, vltimo fuerat conditus, scilicet sexto
die ad totius completionem: Sic secundus homo totius mundi
reparati complementum, in quo primum principium coniungitur
cum vltimo, scilicet, Deus cum limo, fieret in fine temporum:
hoc est, in sexta ætate, quæ est ætas apta ad exercitium sapientiæ,
& ad eneruationem concupiscentiæ,& ad transitum à statu
turbinis ad quietem, quæ omnia competunt sextæ ætati descensus
mundi, propter incarnationem filij Dei. H

Simile.

Quarta ratio, Sicut Christus non debuit venire in principio
temporis, quia aduentus eius nimis fuisset festinus, sic nec debuit
differre vsque in finem vltimum, quia tunc nimium esset tardus.
Decebat enim Saluatorem inter tempus morbi, & tempus iudicij
introducere tempus remedij: decebat mediatorem quædam

suorum

A suorum membrorum præcedere, quædam sequi: Decebat ductorem perfectum, tunc se ostendere, cum esset opportunitas currendi ad brauium, & hæc est in fine temporum, & citra terminum, & in approximatione ad finale iudicium, vt per timorem iudicij stimulati, & per spem præmij attracti, & per perfectionem exempli animati vigurose, & perfecte sequamur ducem de virtute in virtutem, vsquequò perueniamus ad brauium fœlicitatis ęternę.

Hùc vsque D. Bonauentura, cuius rationibus illę etiam addi possent, quas affert D. Thomas 3. par. qō. 1. ar. 5. quas breuitatis B causa non solum hoc loco omittimus, sed etiam multas alias aliorum autorum, quia huic nostro instituto minus congruere, nobis visę sunt, cui tamen huiusmodi ratio non parum accommoda forsan probabitur: nempe, quòd Deus tandiu suum in mudum aduentum distulit, quandiu in illo Maria non erat, quę vna ex tantis millibus ad hoc à Deo ab ęterno electa erat, vt mater filij Dei efficeretur, & esset.

Vnde non immeritò de Virgine dici potest id, quod dicitur: Dominus possedit me, in initio viarum suarum, antemquam quicquam faceret à principio, ab ęterno ordinata sum; Quę ver- Prouerb. 8.
C ba licet ad literam intelligantur de ęterna, & genita Patris sapientia, filio, scilicet, consubstantiali, per quem fecit, & sęcula, quę Patris sapientia non prius est ordinata, quàm fuerit, quia semper fuit, & semper ordinata fuit, semper cum Patre fuit cuncta componens: tamen ab ecclesia per tropum attribuuntur, & allegoricè dicuntur de Virgine matre ipsius ęternę sapientię, quę licet non fuerit ab ęterno quantum ad esse actuale, & quantum ad exteriorem suam productionem in esse, quia quantum ad hoc non ante omnes creaturas, sed post plurimas in principio vltimę ętatis sęculi à matre Anna, & à Patre Ioachim genita fuit: tamen fuit ab D ęterno quantum ad esse ideale in mente diuina, in qua omnibus præ electa fuit creaturis, ad hoc vt mater Dei fieret, & esset in tempore in ipsa diuina mente etiam præ ordinato. Nam, sicut colligitur ex doctrina D. Thomæ 3. par. quæstio. 24. artic. 4. sub prædestinatione æterna non solum cadit id, quod est faciendum, in tempore, sed etiam modus, ordo, & persona, secundum quam, vel per quam illud complendum est in tempore. Vnde cum Deus ab æterno, non solum ordinauerit, vt Verbum sibi

coæternum, in tempore caro fieret, ſed etiam vt in Maria, & ex E
Maria fieret, opus erat vt illa prius naſceretur, & ad illam ætatem perueniret, in qua Deus prçordinauerat, vt diuinum Verbum, ex ea caro fieret, & per conſequens quod tandiu Chriſti aduentus differretur, quandiu tale Virginis, ętatis complementum non adueniret.

In iſto ergo ſuę ętatis complemento Maria, illam temporis plenitudinem, quam Deus expectabat, vt veniret, Angelo reſpondendo vltimatè compleuit, & complendo reſpondit: Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Nam vbi hęc verba ſic à Virgine dicta ſunt, nulla mora fuit, quin ſtatim F
Dei filius in vterum dignaretur deſcendere matris, in quo veram ſerui formam, illi formę in qua eſt Deo Patri ęqualis, vniuit: & tanto fœdere naturam vtramque copulauit, ut neque inferiorem conſumeret glorificatio, neque ſuperiorem minueret aſſumptio: ſalua enim proprietate vtriuſque ſubſtantię, & in vnam coeunte perſonam, ſuſcepta, tunc eſt à maieſtate humilitas, à virtute infirmitas, & ab ęternitate mortalitas: & ad ſoluendum violabilis noſtrę naturę debitum, natura inuiolabilis naturę eſt vnita paſſibili, & homo verus in vnitatem Domini temperatur, vt hoc modo, quod ſummis noſtris malis maximè opus erat, vnus, G
atque idem Dei, & hominum mediator Chriſtus & mori ex vno, & reſurgere poſſet ex altero.

CAP. XV.

Chriſtus Dominus, ab omni & quacunque fuit ſorde peccati immunis, & ante fuit Sanctus, quàm integerrimæ Virginis matris naſceretur ex vtero. H

Ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundum verbum tuum. Luc. 1.

LIcet in omnibus matribus: nequaquam fiat, ſine peccati ſorde conceptio: tamen filij Dei conceptio; quę poſt prolatum Virginis aſſenſum in eius vtero facta fuit, ab omni peccati ſorde

A forde prorfus extitit aliena. Maria enim inde purgationem traxit, vnde concepit: quo enim paterni feminis transfufio non peruenit, peccati fe illic origo non mifcuit: inuiolata virginitas concupifcentiam nefciuit, fubftantiam miniftrauit: affumpta eft de matre, hominis natura, non culpa: creata eft forma ferui fine conditione virili, quia nouus homo fic contemperatus eft veteri, vt & veritatem fufciperet generis, & vitium excluderet vetuftatis. Nã licet in nobis illa, quæ ab initio creator condidit, reparanda fufceperit, tamen illa, quæ deceptor inuexit, & homo ab eo deceptus admifit, nullum habuerunt in Saluatore veftigium. Neque quia
B communionem noftræ fubijt humanitatis, ideò noftræ particeps fuit iniquitatis.

Sicut enim folem per cœnum, fætores, & quæq; loca horribilia radios fuos diffundit, & in eis operatur fecundum fuam naturam, nec tamen inde aliqua cõtaminatione fordefcit, cùm tamen vifibilis lux vifibilibus fordibus fit natura coniunctior: Sic multò minus pollui poterat Verbum Dei non corporeum, neque vifibile humanam in Virgine carnem cum anima, & fpiritu affumens, fed impollutum femper permanfit. Simile.

Itaque Dei filius quamuis refpondente Virgine: Ecce ancilla
C domini, fiat mihi fecundum verbum tuum: Humanam carnem ftatim in eius vtero fufceperit, quam diuinitatis participem fecit: tamen fordes fuas diuinitati humana caro nequaquam impertijt. Quia ficut ignis ferri ingrediné, frigus, & reliquas ferri proprietates non admittit, licet ferrum callefaciat, tamen candefcens ferrum ignem non infufcat: & licet ignis ferrum inflammet, tanta ignis flammam ferrum fuo frigore non reftringuit: ita etiam Chrifti caro diuinitatis particeps facta, diuinitati fordes fuas non communicauit, neq; vllam peccati iniuriam illi irrogauit. Simile.

D Et ideò eleganter quidẽ D. Petrus Chryfologus fermone 148. fic dicit: Ceffet humanæ Philofophiæ labor, nafci Chriftũ nõ fuit neceffitas, fed poteftas: fuit honor, iniuria non fuit: facramentũ pietatis fuit, deitatis non fuit detrimentum: fuit reparatio falutis humanæ, imminutio naturæ non fuit hoc diuinæ: Qui non nafcendo ex intacto limo fecit hominem, nafcendo ipfe hominem de corpore fecit intacto: manus quæ in noftrũ plafma lutum dignanter affumpfit, ad reparationem noftram dignanter affumpfit & carnem. Ergo quod creator in creatura fua, quòd Deus inuenitur in carne, creaturæ honor eft, non eft creatoris iniuria. D. Pet. Chryfol.

Taliter D. Petrus Chrysologus ostendit, Christi redemptoris E
nostri carnem, nulla, in sua conceptione, humanæ labis affectam fuisse iniuria. Et meritò: quomodo enim ibi esse posset iniuria, vbi carnalis copulæ mixtura nulla fuit? Aut quomodo ibi aliquid immundum, vbi prolatis his Mariæ verbis: Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum: Spiritus sanctus in Virginem statim superueniens, ita eam præparauit, vt cœlesti digna esset partu: & in vtero Virginis Sanctum, ac venerandum Redemptoris nostri corpus sola sui operatione creauit, & nullo interueniente virili attactu, carnem de carne Virginis, sacrosanctam de intemerata formauit? Quomodo denique aliquid ibi esset impurum, vbi F
altissimi virtus Virgini obumbrans cor illius ita impleuit, ab omni æstu concupiscentiæ carnalis temperauit, à desiderijs temporalibus emundauit, ac donis cœlestibus illius mentem, & corpus simul consecrauit?

Luc. 1. Sic Virgo nostra præparata sanctũ illud concepit, de quo Angelus dixerat, quod enim ex te nascetur Sanctum, vocabitur filius Dei. Id quod Angelus ipse dixit ad distinctionem sanctitatis omnium aliorum. Quamuis enim inter omnes alios sola ipsa Maria, pie credatur nata Sancta, natiuitate in vtero: tamen hoc est discrimen inter Christum, & illam: quod ipsa non est nata Sancta G
ex propagationis suæ conditione, sed ex singulari Dei beneficio præseruante eam ab omni peccati immunditia, & corruptione: Christus vero Sanctus natus est, ex natiuitatis suæ proprietate, sicut ille qui non ex libidine, nec ex immundo semine: Sed ex sancto Spiritu conceptus est, & natus. Præterea D. Ioannes Baptista quãuis natus sit sanctus ex vtero, nõ tamen est sanctus natus natiuitate in vtero, quia solus Christus qui pro nobis incarnari dignatus est, mox Sanctus natus est, quia sine iniquitate conceptus est.

Sed dices: quomodo Christus mox Sanctus natus est, qui à Patre sanctificatus est: iuxta illud; quem Pater sanctificauit & misit H
in mundum? ex quo videtur colligi quòd eius sanctificatio fuerit ab aliquo peccato. Ad hoc dicitur: quod hoc de ipso Dei filio vero agno sine macula nequaquam dicendum est. Nec obstat allegata Ioannis autoritas, qua à Patre dicitur sanctificatus, id est, sanctus fact⁹: quia Dei filius licet fuerit sanctificatus, tamen inter eius, & omniũ aliorũ sanctificationẽ multum discriminis fuit.

Hoc vero, vt melius intelligatur aduertendum est, quod illud, quod fit non solum fit ex contrario, sed etiam ex opposito negatiuè,

A uè, siue priuatiuè: sicut verbi gratia, album, nō solum fit ex nigro, Simile.
sed etiam ex non albo. Pari etiam ratione nos ex peccatoribus sanctificamur, & ita sanctificatio nostra est ex peccato. At Christus licet secundum hominem factus fuerit sanctus, quia hanc gratiæ sanctitatem semper habuit, non tamen factus est sanctus ex peccatore, quia peccatum nunquam habuit: Sed factus est sanctus ex non sancto secundum hominem, non quidem priuatiuè, ita scilicet, vt aliquando fuerit homo, & non fuerit sanctus: Sed negatiuè, quia scilicet quando non fuit homo, non habuit sanctitatem humanam: & ideo simul factus fuit homo, & Sanctus homo. Et Luc. 1.
B hoc voluit Angelus ostendere cum dixit: quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius Dei.

Vnde Venerabilis Beda hęc Angeli verba exponens: ad distin Beda.
ctionem, inquit, nostrę sanctitatis Iesus singulariter sanctus nasciturus asseritur. Nos quippe & si sancti efficimur, non tamen nascimur, quia ipsa naturę corruptibilis cōditione, ita restringimur, vt meritò cum propheta gementes singuli dicamus: ecce enim in Psal. 50.
iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Ille autem solus veraciter sanctus est, qui vt ipsam conditionem naturæ corruptibilis vinceret, ex commixtione carnalis co
C pulæ conceptus non est.

Ex his omnibus liquido iam constare nemo non videt, verum illum Dei agnum per quem omnia mundi peccata tollenda fuerant, nulla peccati labe fuisse conspersum. Nec mirum id quidem, decebat enim, vt ea pro nobis reconciliandis Deo Patri hostia offerretur, quæ & esset nostri generis socia, & nostrę contaminationis aliena.

CAP. XVI.

D *Deus cur tantum desiderabat, ut Maria nasceretur: ipse humana carne cur vestiri voluit: in mundi principio qualem hominem creauit, & qualiter postea eum recreauit. Mariæ vocem audiendi quantum desiderium in Deo, & in hominibus.*

Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum. Luc. 1.

AMORIS Ea est vis, eaque natura, vt talem vnūquemque esse necesse sit, quale est illud, quod amat, & cui per affectū

coniungitur, in eius velit similitudinẽ trãsformari. Da amori quan E
tum volueris, fac illi quantum poteris, si absq; medio, suo amato non fruitur, totũ contẽnit, nec conquiescit, donec omnia per tran siens ad amatũ perueniat. Omnia propter hominem Deus creaue rat, eumq; de terra factũ omnium terrenorũ dominũ cõstituerat, ipsi corpus, & animã dederat, corpus, vt ipsius terrenæ substantiæ cõmunione esset cùm ipsis terrenis cõmunis: animã vero, vt cœlestibus nõ esset dissimilis. Et vt homini cũ ipso quoq; Deo ratio esset communis, corpus de terra, & animam de cœlo illi dederat, vt in eo nexus cœli, & terræ concordia seruaretur.

Verum quia hoc adhuc amori non sufficit, ideo quid amplius F
adijciat ad amorem suum, pius amator excogitat. In homine imaginem suam ponit, vt terris inuisibilem conditorem, visibilis imago præsentem redderet: & nè tam larga hæc mundi possessio vicario destituta esse videretur, in terris dedit Deus homini vices suas. Sed neque hoc quidem amori satis fuit, donec ipse in amati similitudinem transformaretur. Et sic id, quod per se ipsum creator fecit in homine, in se ipso clementer excepit ex Virgine: ex Virgine, inquam, ab ipso Dei filio huius rei causa tantum desiderata, quantum præ dulcia eius verba optimè declarant, quibus sub sponsi nomine, ipse Virgini sic dicit: Surge propera amica G
Cant. 2. mea, columba mea, formosa mea, & veni. Quæ verba ipsius filij Dei sunt, veri animarum sponsi valde desiderantis, valde festinantis, & valde denique exoptantis, vt sibi iam adesset materia humanæ carnis, Maria, scilicet. cuius sanctissima caro illi materiam daret assumendæ carnis. Et ideo talibus verbis tanto ante, tanquam iam præsenti Mariæ loquebatur iubens, vt surgeret, & properaret: hoc est, vt nasceretur, & hospitium ventris sui, illi citò præpararet. Surge propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni. Et post pauca: Ostende, inquit, mihi faciẽ tuam, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & H
facies tua decora. Ac si diceret, videam iam te ò amica mea, ò columba mea, ò formosa mea, videam, inquam, te iam præsentem, & audiam cõsentientem per verba illa, quibus Angelo, imò mihi per Angelum responsura es: Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum.

O' immensam huius Domini pietatem. Et quid, quæso, fuit quod Dominus maiestatis tantopere desiderabat nostra carne vestiri? Nunquid absque tanta difficultate non valebat opus

suum

A suum per Angelum, aut aliquam ex creaturis reparare? Vale-
bat quidem: verumtamen noluit, vt ostenderet quantum nosip-
sos amaret. Quemadmodum enim ex medicis, illos maximè Simile.
laudare, & amare solemus, non qui nos ægros ministris suis
curandos committunt: Sed qui pallium deponunt, linteolo-
que succincti suis ipsis manibus ferrum accipiunt, vlcusque, si
sit opus, incidunt, neque fœtorem ipsius vlceris auersantur, im-
mo profluentem saniem excipiunt, atque vnguenta compin-
gunt: Neque illos Reges admirari, & laudibus ornare sole-
mus, qui regalibus in thalamis enutriti omni deliciarum genere
B molliter perfrui solent, sed quibus graue non est pro subditis ho-
minibus caput periculis obiectare quique armis obtecti in prima
acie cùm hoste fortiter dimicant: sic, immo multò melius, Dei
filium laudare, & amare debemus, si quidem semetipsum exi-
naniuit formam ipse serui accipiens, vt saltem hoc modo, ho-
mines ad se amandum commoueret, qui tantis à largitore suo si- Philip. 2.
bi præstitis beneficijs, ad id faciendum, multò quidem antè iam
commoueri debuerant.

Quando Deus hominem voluit creare, non solo iubentis ser-
mone vsus est, sicut circa alia opera sex dierum: Sed consilio san
C ctæ trinitatis, & opere maiestatis diuinæ creatus est homo, vt ip-
se ex primę suę conditionis, ac creationis modo intelligeret, quan
tum suo conditori deberet, & sic tanto ardentius eum amaret,
quantò mirabilius se à suo conditore factum intelligeret. facia-
mus, inquit, hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.
Neque in hoc solum hominis dignitatem agnoscimus, quòd san-
ctissimæ trinitatis consilio ab ipso Deo sit conditus: Sed in hoc
etiam quod ad imaginem, & similitudinem suam omnium crea-
tor, eum formauit.

Et quòd ad Dei imaginē imprimis attinet: hæc potissimum ex Simile.
D eo in ipso homine consideratur, quia sicut Deus semper vbique
est totus omnia viuificans, & omnia gubernans secundum id,
quod dicitur: In ipso viuimus, mouemur, & sumus: sic anima Acto. 17.
in suo corpore vbiq; tota viget viuificans illud, mouens, & guber
nans, neque enim in maioribus sui corporis membris maior, &
in minoribus minor: Sed in minimis tota est, & in maximis to-
ta. Præter hanc vnitatis imaginem omnipotentis Dei, quam
ipsa anima habet in se: habet etiam sanctissimę trinitatis quan-
dam imaginem, quæ in eo maximè spectatur, quia sicut Deus est, Simile.
viuit,

viuit, & sapit: ita anima secundum suum modum est, viuit, atque etiã sapit: Et sicut in vna ipsius Dei natura trinitas est, Pater, Filius, & Spiritus sanctus: ita etiam in vnius animæ natura tres sunt dignitates, videlicet, intellectus, memoria, & voluntas: E
Matt. 22. id, quod in Euangelio (diuersis tamen verbis) designatur, cùm dicitur: Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. hoc est, ex toto intellectu
Simile. tuo, ex tota voluntate tua, & ex tota memoria tua. Nam sicut ex Patre generatur filius, & ex Patre filioque procedit Spiritus sanctus: ita ex intellectu generatur voluntas, & ex his ambobus procedit memoria, sicut facile à sapiente quolibet intelligi potest. F
Neque enim anima perfecta esse potest sine his tribus, neque horum trium vnum aliquid, quantum ad suam beatitudinem pertinet, sine alijs duobus integrum constat.
Simile. Et sicut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus, non tamen tres dij, sed vnus est Deus habens tres personas: ita etiam anima intellectus, anima voluntas, anima memoria, non tamen tres animæ in vno corpore, sed vna anima tres dignitates habens, in quibus Dei imaginem mirabiliter homo gerit, & ex ijs, quasi excellentioribus animæ dignitatibus iubetur Deum diligere, vt in quantum intelligatur diligatur, : & quantum intelligitur, semper in memoria habeatur. G
Nec solum sufficit intellectus de Deo, nisi fiat voluntas in amore, nec hæc duo sufficiunt, nisi memoria addatur, qua semper in mente intelligẽtis, & diligentis maneat. Et hęc de hominis imagine.

Quòd verò attinet ad similitudinem, ad quam etiam factus est homo, hæc præcipuè in moribus spectanda est; eò scilicet
Simile. modo, vt simile sicut creator Deus, qui hominem ad suam similitudinem creauit charitas est, bonus est, iustus est, patiens, & mitis est, mundus, & misericors est, & huiusmodi alia, quæ de ipso Deo dicuntur: ita homo creatus est, vt haberet charitatem, vt bonus, iustus, patiens, mundus, & misericors esset, quia quantò plures virtutes homo habet in se ipso, tanto propinquior est Deo, & tanto maiorem sui conditoris similitudinem gerit. H

Talem itaque Deus à principio hominem creauit, vt ipse suæ primæ conditionis excellentiam, in se ipso attendens, & Venerandam Sanctissimæ Trinitatis imaginem in se ipso agnoscens, & diuinæ similitudinis honorem, in se ipso pariter consi-

A siderans, non solum morum nobilitate, & virtutum exercitio in se sui conditoris imaginem, & similitudinem conseruaret, sed etiam in eo amando, totum seipsum effunderet.

Sed vilissima, & ingratissima creatura, nec sic ad amandum factorem suum commota fuit: qua de causa creator, nè abominabile ingratitudinis vitium, vltra in sua creatura reperiret pro ea carnem, & in ipsa carne multum laboris, & defatigationis assumere statuit: vt eam, quam forsan fecerat minus gratam, & deuotam suę creationis facilitas, eam saltem redderet amoris debitricem suæ recreationis difficultas. Dicebat forsan B homo, & insipiens homo dicebat inquam apud semetipsum, dicebat insipiens in corde suo: gratis quidem conditus sum, nullo auctoris grauamine vel labore, qui tanta me facilitate creauit, quanta condidit vniuersa. Ita forsan beneficium creationis attenuans humana impietas, ingratitudinis materiam inde sumebat, vnde amoris causam habere debuerat. Ne igitur ingrato homini vlterius causa esset, tantum despiciendi sui autoris beneficium, ipse creator de creatore creatura, de domino seruus, & de Dei filio hominis filius fieri voluit, vt hoc modo ingrato homini innotesceret, quantum pro se ipse creator homo factus dispendium fe-C cerit, cùm in ipso faciendo nulla, sed in reficiendo multa & gesserit mira, & pertulerit dura, vt sic tandem, homo ingratus, ad ipsum creatorem amandum excitaretur.

Cum ergo pijssimus dominus, hoc modo humanam ingratitudinem vincere statueret, cum hac via creaturam illam, quæ in ipso statim suæ creationis principio à suo domino, & tam bono domino recesserat, & ad diabolum accesserat, ad se reducere disponeret quid putas, tunc magis cuperet: quid magis desideraret, & quid denique vehementius exoptaret? Sanè nihil aliud, quam si vocem illam audiret pro qua ad Mariam ipse de cœlo clama-D bat, quamque amici auscultabant: Quæ habitas in horstis, inquit, amici auscultant, fac me audire vocem tuam. Maria namque erat, quæ in hortis habitabat, in amęnitate scilicet, scripturarum, & in delectatione omnium virtutum pulchrè florentium, bene olentium, & semper virentium. Maria erat quam amici auscultabãt, imo cui, vt loqueretur affectuosissimè supplicabant.

Sed quinam erant isti amici? Flebilis imprimis Adam, & Eua cùm omni sua prole exules de paradiso. Deinde Abraham, Isaac, Iacob, & Dauid cùm reliquis alijs sanctis patribus, qui habitabant Cant. 8.

bant

bant in regione vmbræ mortis. Isti omnes Mariæ vocem auscultabant, & eam iam audire ardētissimè desiderabant, scientes quia ex ore Virginis pendebat omnis consolatio miserorum, redemptio captiuorum, liberatio damnatorum. Cum igitur hæc Maria esset quid mirum, si amici isti eius vocem audire, tātopere desiderabant pro qua ipse etiam sponsus tàm instanter supplicabat: fac me audire vocem tuam? Sed quàm vocem? Equidem nullam aliam nisi istam. Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Hæc est vox, quam dilectus sponsus audire desiderabat, hanc, vt in suis auribus personaret, postulabat. E

Poterat quidem, & optimè poterat sine Marię voce, hominum salutem Deus operari, qui sola voce condidit vniuersa: sed Virginis vocem postulabat, tùm quia nobis opus erat, vt vterque sexus concurreret ad nostram reparationem, qui ad nostram concurrerat destructionem: alioquin non plenè suum honorem sexus ille recuperaret, qui hominis reparationi deesset: tum etiam quia cōgruum erat, lapsui vt ex æquo reparationis modus responderet, id, quod præclare nobis ostendit vterque martyr, & antiquus autor Iustinus, & Iręneus: Iustinus quidem in colloquio cum Triphone Iudęo de Christo loquens sub his verbis: Homo natus de Virgine, vt per quam viam fraude serpentis subintrauit inobedientia, per eandem sequeretur venia: cùm enim integra Virgo esset Eua, concepto verbo serpentis inobedientiam, mortemque peperit. At Virgo Maria postquam concepit cùm gaudio, afferente sibi Gabriele lętum nuntium, quòd spiritus domini, ei superueniat, & obumbret ipsam virtus Altissimi, & ideò quod ex ea nosceatur sanctum esse filium Dei: respōdit fiat mihi secundum verbum tuum. Iręneus vero lib. 5. aduersos hęreses inter alia sic dicit: Quemadmodum enim illa per angelicum sermonem seducta est, vt effugeret Deum præuaricata verbum eius: ita hæc per Angelicum sermonem euangelizata est, vt portaret Deum obediens eius verbo. Et sicut illa seducta est, vt effugeret Deum, sic hæc suasa est obedire Deo, vti Virginis Euæ Virgo Maria fieret aduocata. Et quemadmodum astrictum est morti genus humanum per virginem, ita Saluator per Virginem, æqua lance disposita virginalis inobedientia, per virginalem obedientiam. F G H

Iustinus Iręneus.

De hac re sic Iustinus, & Iręneus, de qua etiam Seraphicus doctor D. Bonauentura 3. cap. quartæ partis sui breuiloquij sic ait: cùm ergo genus humanum laspum fuerit per diabolicam suggestionem,

D. Bona.

A ſtionem, & per cõſenſum mulieris deceptę, & per generationem concupiſcentialem transfundentem originalem prolem, oportuit quòd è contrario eſſet Angelus bonus ſuadens bonum, & virgo credens, & cõſentiens in bonũ ſuaſum, & charitas Spiritus ſancti ſanctificans, & fœcundans ad conceptum immaculatum: vt ſic contraria contrarijs curarentur. Ac per hoc ſicut mulier per diabolum decepta, & per virum concupiſcibiliter cognita, & corrupta transfudit in omnes culpam, morbum, & mortem: ſic mulier per Angelum erudita, & per ſpiritum ſanctificata, & fęcundata abſque omni corruptione tàm mentis, quàm corporis prolem ge-
B neraret, quæ omnibus ad ipſum venientibus daret gratiam, ſanitatem, & vitam. Hæc D. Bonauentura.

Quia ergo congruum erat, quòd medicina ex oppoſito reſponderet morbo, reparatio lapſui, & remedium nocumento, ideò tanto affectu dilectus ſuæ dilectæ vocem deſiderat, qua ſibi dicat: Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.

CAP. XVII.

C *Mariæ vox homines, Angelos, ac Deum ipſum gaudio impleuit. Ad eandem Mariæ vocem humanę generationis, & totius mundi perfectio, ac omnis perfectionis complementum ſubſecutum eſt.*

Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Luc. 1

QVanta fuerit Marianę vocis dulcedo, ex hoc ſolùm ſatis ſuperque apparet, quòd ipſa non ſolùm Angelos, & reliquas intellectuales creaturas; ſed ipſam etiam ſanctam, atque indiuiduam Trinitatem gaudio imple-
D uit. Namque ad hanc Mariæ vocem: Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum: cœleſtis pater in deſponſatione humanæ naturæ nuptias fecit filio ſuo, qui tunc humanam naturam inſeparabiliter ſibi vniuit. Ad hanc vocem filius ipſe ſuarum habuit gaudium nuptiarum, nec non ſui natalis in vtero, quod poſtea habiturus erat ex vtero. Ad hanc vocem Spiritus Sanctus pariter exultauit, propter opus incarnationis, quod eidem particulariter attribuitur. Ad hanc vocem ipſa glorioſa Virgo etiam particulariter exultauit, ſi quidem cum eam protulit, à Patre in filiã, à

filio

filio in matrem, & ab Spiritu sancto in sponsam est assumpta. Ad hanc simul vocem vniuersa cęlestis curia exultauit, quia ad illam eius reparatio inchoata fuit. Ad hanc vocem humana natura maiori cùm ratione tota exultauit, quia ad illam eius etiam salus, reconciliatio, vita, & redemptio incepta fuit. Ad hanc vocem nouam obedientiam suscepit filius à Patre de peragenda humana salute: Ad hanc vocem ipse de summo cęli egrediens exultauit, vt gigas ad currendam viam, & se in horto vteri virginalis reclusit, vbi factus est vnus ex nobis. Ad hanc vocem lux vera de cęlo descendit, ad effugandas nostras tenebras. Denique ad hanc vocem: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secũdum verbum tuum: Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. E

Psal. 18.

Ioan. 1. F

Sed quid plus dicam de prędulci hac Mariæ voce? Dico quòd ad hanc vocem completæ sunt omnes generationes, siue omnes modi generandi. Cum enim iam tres modi præcessissent hominem generandi: quorum primus erat, nec de muliere, nec de viro sicut Adam. Secundus de viro sine muliere, sicut Eua, tertius de muliere, & viro sicut nos: cum, inquam, omnes isti tres generandi modi præcessissent, decuit ad complementum vniuersi, vt quartus etiam modus introduceretur, qui esset de muliere sine viro, per virtutem Spiritus Sancti summi operatoris. G

De hoc quarto generandi modo, siue de hac quarta generatione iam olim forsan dominus ad Abraham loquebatur, quando Ægyptiacam captiuitatem illi annuntians, quæ animarum captiuitatem in inferno præfigurauit, dicebat: Et generatione quarta reuertentur hùc: in quibus verbis, si paulo subtilius in illis velimus indagare, quid per quatuor istas generationes significetur, planè reperiemus primam istarum generationem fuisse Adę, qui (vt supra iam diximus) sine viro, & muliere creatus est: secundam Euæ, quæ ex viro absque muliere producta est: tertiam illorum, qui ex muliere, & viro nati sunt, sicut nos: quartam Christi domini, qui de muliere absque viro nasciturus erat. Et ideò talis est sensus istorum verborum: Et quarta generatione reuertẽtur hùc: hoc est; adueniente Messiæ generatione animæ ex captiuitate inferni liberabuntur, & ad patriam cœlestem à qua propter Adæ peccatum expulsæ fuerant, ipso Messia duce reuertentur. Igitur hæc quarta generatio, ad quam tanta bona subsecutura erant, ad hanc Mariæ vocem: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum: completa fuit. H

Gen. 15.

Verum

A Verum nè multi ſimus in enumerandis bonis, quæ ad hanc Mariæ vocem ſubſecuta ſunt: ad hanc vocem totius mundi perfectio completa fuit: quia ad illam coniunctum eſt principium cum fine, & finis cum principio. Quemadmodum enim quando Simile lineæ principium, quod circulum claudit, ſuæ extremæ parti coniungitur, tunc circulus perfectus fit: ſic etiam quando increatum omnium creaturarum principium, Verbum, ſcilicet, æternum vltimæ creaturæ, homini videlicet, inter omnes alias creaturas extremo loco creato, ad hanc Mariç vocem coniunctum fuit, & vnitum, tunc mundus habuit ſuum vltimum complementum. O vo-
B cem dulciſſimam: vocem ſuauiſſimam: vocem denique pleniſſimam, ad quam omnia perfectiſſimè completa, & completiſſimè completa ſunt.

Namque hæc Mariæ vox, eſt vox illa pleniſſima ſonitus quam dominus Eſdræ audire præcepit. Oſtenderat dominus quadam nocte ipſi Eſdræ nonnulla ſigna, ipſe vero Eſdras cum illorum 4. Eſd. 6. finem ſcire deſideraſſet. O dominator, inquit, Domine, ſi inueni gratiam ante oculos tuos, oro vt demonſtres ſeruo tuo finem ſignorum tuorum, quorum partem mihi demonſtraſti nocte præcedente. Ad quæ reſpondens dominus ſurge, inquit, ſuper pedes
C tuos, & audi vocem pleniſſimam ſonitus. Quaſi diceret: finis ſignorum meorum, quorum partem nocte præcedente tibi demonſtraui, tunc erit, quando audies vocem pleniſſimam ſonitus.

Hæc vox pleniſſima ſonitus, quam Eſdras audire iubebatur, vt videret finem ſignorum domini, vox quidem, vox Mariæ erat, qua dixit: Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundũ verbũ tuum: Nam vox iſta ſonitus fuit, quia vbi primum intonuit de terra Domina, & humillima dedit vocem ſuam, ſtatim & vniuerſam in cœlis lætificauit ſanctam ciuitatem Ieruſalem, & habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta eſt eis, lux, inquam, noui gaudij,
D nouæ lætitiæ, & noui tripudij, quod ibi exiſtentes patres tunc habuerunt. An non vox iſta ſonitus? An non multo velocior, quam illorum vox, de quibus dicitur: In omnem terram exiuit ſonus Pſal. 18. eorum, & in fines orbis terræ verba eorum? Multo quidem per omnem modum. Siquidem hæc Mariç vox non ſolum in omnem terram, & in fines orbis terræ velociter diſcurrit: ſed cœli, & inferni ſecreta fortiter penetrauit. An non etiam vox iſta pleniſſima? Pleniſſima quidem, & pluſquam pleniſſima, ad quam pleniſſimè

nissimè adimpleta fuerunt omnia signa, omnia figurarum præambula, omnia documenta scripturarum, & omnia desideria prophetarum. E

Dan.2. Isa.11. Ad istam vocem, excisus est lapis sine manibus dè vertice montium, & repleuit faciem vniuersæ terræ. Ad istam vocem Aronis virga floruit, & flos de radice eius ascendit, super quem requieuit spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilij, & fortitudinis, spiritus scientiæ, & pietatis, spiritus timoris domini. Ad istam vocem rorauerunt cęli desuper, & nubes pluerunt iustum, aperta est terra, & germinauit Saluatorem, quem prophetæ prænuntiauerunt, Angelus prædixit, & ipsa Virgo credidit. F

1.Tim.3. Denique ad istam vocem, vocem plenissimam, plenissime completum fuit magnum illud diuinæ pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prędicatum est gentibus, creditum est mundo, & assumptum est in gloria, in qua cum Deo Patre, & Spiritu Sancto ipse Filius viuit, & regnat per infinita seculorum secula. Amen.

FINIS LIBRI SECVNDI.



IN DECEM LIBROS
DE VERBIS
DOMINAE
AD ELISABETH COGNATAM
INTRODVCTIO.

PEracto nuntio cœlesti, & Dei filio post Virginis assensum, in eius vtero concepto, Gabriel Paranymphus, sicut nonnulli dicunt, coram Domina sua genuflectens, atq; vsque ad terram sese ei iterum inclinans, ab ea discessit: Interim tamen, ipso Gabriele quantum ad presentiam recedente cum Virgine remanserunt multi Angeli, quantum ad custodiam: sicut sapiẽter quidẽ seraphicus doctor adnotauit D. Bonauentura in Luce cap. 1. quo loco in huius rei confirmationem, adducit illud cãticorum, quo dicitur. En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, quos dicit esse Angelos beatissimos, qui custodiebant Virginem tanquam locum diuinæ habitationis electissimum. Postquam ergo Angelus discessit: sentit idem D. Bonauentura de meditationibus vitæ Christi cap. 4. quòd Virgo nostra tota penitus inflammata, & in Dei amore magis solito succensa, sentiens se concepisse Dei filium, genibus flexis gratias egit de tãto dono, humiliter, & deuote ei supplicans, vt eam sic dignaretur instruere, quòd omnia, quę circa filium suum facienda occurrerent, faceret sine defectu. Quibus sic peractis à Nazareth Galileæ ipsa Virgo exurgens, sicut dicit Euangelista, abijt in montana cùm festinatione, in ciuitatem Iuda.

[Margin: B; C; D; D. Bonau.; Cant. 3.; D. Bonau.; Lucæ 1.]

Circa hãc ciuitatem varia est inter Patres opinio. Euthymius supra hunc locum dicit, quòd hæc ciuitas Montana dicebatur, [Margin: Euthy.]

Et quòd in ea habitabat Elisabeth, ad quod dicendum ipse Euthymius forsan ex eo ducebatur, quia vbi nos legimus abijt in mõtana, grecus contextus habet: Abijt in Montanam, id quod etiam sic legitur apud eundem Euthymium. E

Verum circa hoc, multo melior mihi videtur opinio D. Bonauenturę, hanc ciuitatem Ierusalem fuisse sentientis, & hoc non solum super hunc locum, sed etiam de meditationibus vitæ Christi cap. 5. Et hoc ita esse præter ipsum D. Bonauenturam plenique etiam existimarunt.

In hanc igitur ciuitatem exurgens Maria ire festinauit, non ad explorandam veritatem, sicut ibidem dicit D. Bonauentura, F neque etiam vt maiori certitudine certior redderetur, nùm Angelus, qui ei apparuerat, circa Elisabeth vera dixisset, vt sic nec Theopy. de suo dubitaret; sicut tenet Theophylactus sic dicens. Prudẽs enim cùm esset, timebat, nè forte deciperetur, & non vt incredula: Sed vt diligens rem explorare uolebat. Sed ad quid, oro, Virgo aut timuisset nè deciperetur: aut rem explorasset, quæ illam futuram adeò certo sciebat, vt ab Elisabeth Spiritu Sancto repleta, ex eo beata diceretur, quod credidit?

D. Amb. Vnde melius hac de re videtur sẽsisse D. Ambrosius qui li. 2. commentariorum in Lucam, vbi, inquit, audiuit hoc Maria, G non quasi incredula de oraculo, nec quasi incerta de Nuntio, nec quasi dubitans de exemplo: Sed quasi læta pro voto, religiosa pro officio, festina pro gaudio in montana perrexit. Ven. Beda D. Ambrosium sequitur Venerabilis Beda in quadam homilia, qui nostram Virginem ab omni incredulitatis, aut leuis sospitionis nota, sic vindicat. Intrat ergo Domum, atque Elisabeth, quam seruum, ac præcursorem Domini parituram nouerat, non quasi dubia de oraculo, quod acceperat: Sed vt congratulatura de dono, quod conseruam accepisse didicerat: Non H vt verbum Angeli mulieris attestatione probaret: sed vt mulieri prouectæ ætatis, Virgo iuuencula ministerium sedula impenderet.

In hanc D. Ambrosij, & Venerabilis Bedæ sententiam quadrare satis videtur id, quod lib. 1. suorum commentariorum in Rup. Ab- cantica, hunc in modum tradit Tuitiensis Abbas Rupertus. Habent sancti, (inquit ille) hoc proprium omnes, qui in veritate Sanctum habent charitatis spiritum, vt ita gratulentur de bene-

A beneficijs, quæ alijs impensa perceperunt, quemadmodum & de illis quæ sibimet collata sunt tūc properant mutuos sibi prębere conspectus, nunc dulcia miscere colloquia, certatimque oportuna importuna impendere inuicem deuotæ charitatis obsequia. Quid est hoc nisi trahere, & currere in odorem vnguentorum Domini? Pretiosum erat vnguentum, magnū erat beneficium, quod dederat Dominus sterili, conceptum tāti viri, qui in virtute, & spiritu Eliæ deberet præire ante Dominum, & quo maior non surrexit inter natos mulierum, tanti, ac talis vnguenti odorem perceperat, talis, ac tanti beneficij famam, siue B nuntium ab ipso Angelo acceperat, & de hoc sicut de cæteris quis finis, quę consummatio futura esset, Spiritu Sancto docente magna prophetissa non ignorabat. Hæc Rupertus.

Si ergo Virgo Spiritu Sācto repleta, non ignorabat, sicut suis his verbis docet Rupertus, quis rei finis, aut cōsummatio futura erat: quorsum rem exploraret? Quorsum ne deciperetur timeret? certe non hac de causa Virgo a propria domo discedens properat ad alienam: sed vt de dono Elisabeth congratularetur, eique sedulo ministraret. O submissum Virginis animum, quis hic nostræ Virginis humilitatē nō stupeat? Eandem enim C quam Angelo humilitatem exhibuerat, mulieri quoque curauit exhibere: Mulieri, in quam, se etiam inferiori, & non parum inferiori. Quis enim nesciat (sicut loco citato inquit Beda) Beda. Virginem Deo consecratam muliere Deo dedita gradum habere potiorem? Quis dubitet matrem Regis æterni iure matri militis præferendam? Attamen ipsa memor scripturæ præcipientis: quanto magnus es, te in omnibus humilia: mox vt Angelus, qui loquebatur ei, ad cœlestia redijt, surgit, ac montana conscendit, non eques, sed pedes: non maxima sequentium, & antecedentium turma concomitata; sed sua paupertate, D sua humilitate, sua verecundia, atque omnium virtutum honestate associata. Sic sola Regina cœli, & terræ, cùm solo suo dilectissimo sponso Ioseph, illas montium asperitates festina percurrens, ad illam Iuda ciuitatem properabat, quæ secundum D. Bonauenturam duodecim tantum, aut quatuordecim, vel circa: secundum alios vero multis a Nazareth miliaribus distabat. D.Bonau. Ad hanc ciuitatem vbi Virgo peruenit, intrauit in domum Zachariæ, & Salutauit Elisabeth. Salutauit

Euthy. In quam, siue vt moris erat, sicut ait Euthymius, illam compel- B
D. Bona. lando: siue, vt loco supracitato inquit D. Bonauentura, dicendo: salue soror mea Elisabeth, siue quocunque alio modo, qui licet sit omnino incertus, certissimum tamen est, tantam fuisse illius salutationis (qualiscuuque illa fuerit) vim, quòd vt audiuit illam Elisabeth, exultauit in gaudio infans in vtero eius.

Hæc Ioannis exultatio in vtero, sicut epistola ad Dardanum
D. Aug. inquit D. Augustinus, duobus modis potuit fieri: Vno quidem modo, ita vt Ioannes cognosceret per Spiritum Sanctum, Dominum præsentem in vtero Virginis: & secundum hoc oportet dicere, quòd in eo acceleratus fuit vsus rationis: Alio modo F ita quòd Ioannes nō quidem cognosceret pręsentiam Saluatoris, sed mater eius, quę habebat vsum rationis, & quod illa motio pueri, & exultatio facta fuerit à Deo ad declarationē sanctitatis Virginis, & prolis in ea existentis. Neutrum tamen modū determinate asserit D. Augustinus: Sed dicit quod siue hoc siue illo modo facta fuerit talis exultatio, attribuenda tamen est diuino miraculo, & non ad humanę naturæ exemplar trahenda. Nam, vt ille inquit, quando Deus voluit etiam iumentum mutum rationabiliter est locutum.

D. Euche. Verum D. Eucherius de quæstionibus noui testamenti, in quęstionibus in Lucam, in posteriorem dicendi modum omnino inclinat. Quærens enim, quomodo ad aduentum matris G Domini Ioannes adhuc sensu carens, in vtero potuit exultare materno, ita respondet. Hoc matris magis sensu, vel gaudio à quibusdam factum existimatur, vt etiam interioribus potuerit exultare visceribus. Aut certe si hoc ad Ioannem potius referre placet inter miracula diuina reputandum est: sicut & illud cum vox asinę in sonum sermonis erupit. In hanc etiam sententiam
D. Tho. vergit D. Thomas 3.p.q.27.ar.6. sic dicens: Sed quia expresse in Euangelio dicitur, quòd Spiritu Sācto replebitur adhuc ex vtero matris suæ, & de Ieremia expresse dicitur: Antequam exires de vulua sanctificaui te, asserendum videtur, eos sanctifi- H catos in vtero, quāuis in vtero vsum liberi arbitrij nō habuerint, quam sententiam etiam amplectuntur multi ex recentioribus.

Sed in contrariam sententiam, quæ mihi etiam satis, imo magis probatur, prorsus accedunt omnes fere græci patres, & multi etiam ex latinis. Ex græcis græcus imprimis interpres in

aurea

A aurea Cathena à D. Thoma allegatus; Propheta, inquit, parente acutius videt, & audit, salutatque prophetatum: Sed quoniam verbis non poterat: saltat in vtero, quod maximum existit in gaudio. Quis vnquam nouit tripudium natiuitate antiquius? insinuauit gratiā, quę naturæ ignota exuterant. Reclusus ventre miles agnoscit Dominum, ac Regem oriturum. Deinde D. Chrysostomus homil. quadam de Ioanne Baptista, & illa etiam quæ est 47. in Matth. in qua de ipso Ioanne loquens, sic dicit: Et quod amplius est, quem (de Christo loquitur) in vtero constitutus, priusquam nasceretur, non solum D.Chrys.

B cognouit: sed etiam exultatione spirituali matrem suam fecit esse prophetam. In illa vero homil. quæ est de ipso D. Ioanne: Nouerat, inquit, Christum Ioannes semper esse venturum: & non solum nouerat ab infantia: sed etiam in vtero matris nouerat, & cum salutauerat: Denique scribitur exultauit infans in vtero matris suę. Vide quomodo in vtero constitutus sensit aduentum Domini.

Præterea græci etiam autores Theophilactus, & Euthymius, vterque in suis commentarijs in Lucam, eandem sententiam confirmant. Quorum Theophylactus sic dicit: Quęcunque.n. Theoph. Euthym.

C dixit Elisabeth prophetice ad Mariam, non verba fuerunt Elisabeth, sed infantis: os autem Elisabeth tantum ministrauit, sicut & vox Mariæ ministrauit filio Dei, qui in vtero eius erat. Euthymij vero verba sunt. Christus quidem locutus est per os suæ matris: Ioannes autem audiuit per aures suæ matris, & agnito supernaturaliter Domino suo, exultatione illum prædicauit: infans enim, qui in vtero ferebatur Virginis prophetica statim gratia donauit infantem, qui in vtero gestabatur sterilis.

Quod vero attinet ad latinos imprimis D. Ambrosius dicit: Ioannem Domini sensisse gratiam, & aduentum, imo vero per D.Ambr.

D os matris prophetasse, quemadmodum & per os Virginis prophetauit Christus. Deinde mellifluus Pater D. Bernardus sermone de natiuitate ipsius Ioannis Baptistæ: Illo enim, inquit, in tempore solum potuit illuminare modium suum: soli interim lucere matri, magnum ei pietatis sacramentum reuelans, ipso motu nouę exultationis. Et Rupertus Aabbas lib. 1. in Oseam capite primo. Ioannem plusquam prophetam esse dicit, quia Verbum carnem factum magno quidem, & prophetali mune- D.Bern. Rup. Ab.

te, sex menses nascendo præuenit. E

D.Vincē. Sed ijs omnibus multo clarius D.Vincētius serm. 1.de Ioanne Baptista; vbi apertissime dicit: tanta sanctitas exiuit de Virgine quod sanctificauit Ioannem, in vtero matris existentem, & Ioannes cognouit præsentiam filij Dei, quia dicit Sanctus Thomas, quod vsus liberi arbitrij fuit in eo acceleratus. Id, Turre. quod etiam de D. Thoma testatur Ioannes de Turrecremata in suis quæstionibus super Euangelia, q. 1. pro festo Visitationis Mariæ, quo loco D. Thomam allegat dicentem, quod Ioannes nondum natus habuit vsum liberi arbitrij ad illud momentum, & illustrationem Spiritus Sancti, per quam cognouit Dominum præsentem. Et ita dicendum esse (sicut sibi videtur) asserit idem Turrecremata. F

Si vero pro hac magis confirmanda, & comprobanda sententia, plurium patrum testimonio nobis opus est, omnibus alijs pro nūc omissis, nè omnia congerere velle videamur, hùc D.Euse. etiam accedant D.Eusebius Emissenus, & Venerabilis Beda. Ille quidem hom. in Euangelium Exurgens Maria, vbi sic cùm ipso Ioanne loquitur: Dic prophetarum omnium maxime, qui digne satis non propheta, sed plusquam propheta vocaberis: Vnde tibi hæc exultatio? Nondum natus, & prophetas? Matrem Domini in voce cognoscis, quàm quia resalutare non potes, exultando agis, quod potes: quàm lætus ei occurreres si iam natus eam videres, cuius voce audita exultando, obuiam ire conaris. Nec minus quidem clare hac etiam de re Venera- G Beda. bilis Beda in quadam hom. super eodem. Aperiēte, inquit, os ad salutādū beata Maria Elisabeth, repleta est mox Spiritu Sācto Elisabeth repletus est & Ioannes, atq; uno eodéq; Spiritu ambo edocti, illa salutantem, quę esset agnouit, & vt matrem Domini sui, debita cùm benedictione venerata est: ille ipsum Dominū esse, qui in vtero Virginis portaretur intellexit, & quia lingua nec dū valuit, animo exultante salutauit, officiumq; suę pręcursionis, quàm deuote iuuenis esset impleturus, etiam antequā nasceretur, adueniēte Domino, quibus valebat indicijs intimauit. H

Ex his Patrum sententijs plane intelligitur Ioannem in matris vtero exultantem Domini sui præsentiam per vsum rationis sibi pro illo tūnc acceleratum cognouisse, atque ideo exultasse, quia (sicut ait glossa interlinearis) senserat aduentum Domini

sui

A fui. Aliter enim neque posset bene verificari (sicut aduertit ipse Ioannes de Turrecremata) quod de ipso dicitur in Euãgelio, nempe, exultauit in gaudio infans in utero meo: Neque etiam illud, quod in ipsius Ioannis hymno cantatur: Ventris abstruso positus cubili senseras regem thalamo manentem. Et in antiphona quadam officij Visitationis Mariæ sic dicitur: Acceleratur ratio, in puero nondum nato, instinctu sacri neumatis diuinitus sibi dato: nouit presẽtem Dominum in Virgine clam latentem, adorauit eum iniubilo ad seruulum venientem. Nec non & in hymno qui secundum morem nostri Cistertiensis ordinis cantatur in eodem Visitationis festo, sic habetur: sacri iunguntur vteri, milesque sui Domini præsentiam dùm percipit hunc exultando suscipit. His pro nostro monachorum duce, & Baptista Ioanne (sic enim eum appellat D. Chrysostomus monacum, principem nostri dogmatis) sic prænotatis vlterius iam procedamus. — Luc. 1. — D.Chry.

B

Vt ergo audiuit, salutationem Mariç Elisabeth, exultauit in gaudio infans in vtero eius, & repleta est Spiritu Sancto Elisabeth: non quod illa prius repleretur, quàm filius: sed filius cùm Spiritu Sancto repletus esset, matrem repleuit, eamque intus latens docuit, quid exterius agere deberet. Vnde quasi magna vi interius commota, non solum Virginem resalutauit, verum etiam voce magna clamauit: magna inquam, voce, nontàm clamosa quàm deuota. Neque enim (sicut dicit Venerabilis Beda) modicæ vocis deuotione Dominum laudare valebat, quç Spiritu Sancto plena flagrabat, quæ & illum in utero gestabat quo in natis mulierum maior nemo est. Tali itaque voce Elisabeth exclamans dixit: Benedicta tu inter mulieres: id, quod glossa interlinearis exponens dicit: Non solum benedicta inter mulieres, sed inter mulieres benedictas maiori benedictione specialiter insignis. Et Benedictus fructus ventris tui: quasi diceret: Benedicta arbor, benedictus etiam talis arboris fructus. Benedicta virga de radice Iesse, benedictus etiam flos, qui de tali radice ascendit: Benedicta talis mater, benedictus etiam filius talis. — Beda.

C, D

Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Hoc non quasi ignorans Elisabeth interrogauit: sciebat enim esse Spiritus Sancti gratiam, & operationẽ, vt mater prophetę

à Matre Domini ad profectum sui pignoris salutaretur. Et ideò B
non humani hoc meriti, sed diuinæ gratiæ munus esse cognoscens: Vnde hoc, inquit, mihi? Hoc est; qua iustitia? quibus factis? quibus meritis meis hoc à te mihi conceditur? certe hoc tantum bonum, quantum mihi accidit, vt veniret mater Domini mei ad me, non cognosco meum, miraculum sentio, mysterium cognosco, & tanto melius cognosco, quantò nec mea sanctitas, nec mea religio, nec nobilitas mea, sed tua solum humilitas hoc mihi præstitit, vt tanto honore, tantaque beatitudine digna fierem. Ego potius debui ire ad te: Sed tua, tuique filij humilitas, te coegit venire ad me.

O quanta in prophetissæ mente humilitas. Matrem quidem Domini, quæ ad se venerat, mox vt vidit, esse cognouit: Sed F
nihil in se talis meriti reperiens, quo digna fieret à tanta hospite visitari. Vnde hoc mihi inquit, vt veniat mater Domini mei ad me? Vnde hoc illi? Vnde Elisabeth tanta, ac tam profunda humilitas? Mentior, si non ex eo, quia ipse Spiritus, qui ei prophetiæ donum contulit, munus pariter humilitatis præstitit. Prophetico repleta Spiritu, genitricem ad se aduenisse Saluatoris intellexit: Sed humilitatis Spiritu circunspecta, se eius aduentu minus dignam deprehendit, iam tunc mater cùm matre opere complens, quod postea filius cùm filio completurus erat. Sicut enim postmodum (inquit, Euthymius) filius G
Euchy. Elisabeth, veniente ad ipsum Christo, indignum se tali Domini accessu dicebat: ita quoque tùnc mater ipsius, indignam sese fatetur, tali Dominæ accessu.

Theophy. Verum Theophylactus hoc tãtum humilitatis insigne filio, & non matri sic accommodat: sicut postea, inquit, Ioannes Christum cùm venisset, vt baptizaretur, prohibuit propter reuerentiam dicens: Ego non sum dignus: sic & nunc per matrem suam loquitur: Vnde mihi hoc, vt veniat mater Domini mei ad me? Sed propter ea, quæ sequuntur (quidquid dicat H
Theophylactus) res melius videtur accomodanda matri, quàm filio. Nam sequitur: Ecce enim vt facta est vox salutationis tuę in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo: id, quod matri potius attribuendum est, quam filio: Illud autem per inde est: ac si diceret: In aduentu tuo non solum ego, sed & filius meus gratulatur, in tua salutatione lætatur, & quod voce

non

A non potest gaudio fatur.

Et beata, quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino. Intellexit Elisabeth eodem, quo repleta erat Spiritu sibi reuelante, intellexit, inquam, Mariam omnibus illis, quæ sibi dicta fuerant ab Angelo, credidisse: Vnde & beatam eam prędicat, quæ ijs fidem adhibuerit: Et non solum, hæc, sicut dictum est, Elisabeth præcognouit: Sed etiam, quod illa omnia diuina operante potentia, absque vlla essent dubietate complenda: vnde & dicit: quoniam perficientur ea, quę dicta sunt tibi à Domino.

B Triplici scientia videmus hoc loco Elisabeth ab Spiritu Sancto esse instructam, pręteritorum scilicet, præsentium, & futurorum scientia: Præsentium quia Mariam non solum matrem Domini sui vocauit, & redemptorem humani generis in suo vtero gestare demonstrauit: sed etiam fructum ventris eius singulariter benedictum esse, significauit. Pręteritorum, quia tàm verba ipsius Angeli ad Mariam, quàm etiam consensum ipsius Mariæ credentis sibi innotuisse prodidit. futurorum denique quia omnia perficienda esse aperuit, quæ ei à Domino dicta fuerant.

C Itaque si tanta in matre pręcursoris lux doni cœlestis emicuit: quis, putas, penetrare, aut æstimare sufficiet, qualis, aut quanta tunc gratia Sancti Spiritus Dei genitricem repleuerit? Audita ergo (sicut inquit glossa inter linearis, atq; etiam Venerabilis Beda) Maria responsione Elisabeth, qua eam beatam inter mulieres prædicauit, matrem Domini sui cognominauit, fide fortem laudauit, non amplius ipsa Virgo silere potuit dona, quæ perceperat. Sed quæ semper animo gerebat, vbi aptũ tempus inuenit, etiam deuota oris professione patefecit. Beda.

D Namque vt virginalem decebat pudorem acceptum diuinitus oraculum aliquandiu silentio tegebat, arcanum mysterij cœlestis, in sui pectoris abdito venerabatur occultum, reuerenter expectans donec ipse donorum distributor, quid sibi doni specialis tribuisset, quid secreti reuelasset, quandocunque vellet ostenderet.

Sed postquam ea, quæ sibi erant charismata præstita Spiritu reuelante, per alios esse patefacta cernebat, mox ipsa tota Spiritu plena, etiam thesaurum cęli, quem in corde seruabat, decre-

decreuit aperire. Ac proinde simulatque dicendi, ac laudandi finem fecit Elisabeth, mox Maria omnem laudem, & gloriam in solum Deum referens, omnes animæ suæ neruos in hymnum ipsi decantandum libentissime, simul & gratulantissime contendit: nec minus humili quàm ardenti oratione, Dei magnalia est confessa, ac summe venerata, illo suo cantico suauissimo, ac omnibus misterijs cęlestibus refertissimo, de quo (ipso Deo dante) mox dicere incipiemus. E F





DE VERBIS DOMINAE

AD ELISABETH COGNATAM

LIBRI PRIMI

CAPVT PRIMVM.

Mariæ canticum omnia alia, tàm veteris, quàm noui testamenti longe antecellit.

Magnificat anima mea Dominum. Luc. 1.

C INter ea, quæ permulta in sacra, tam noui, quàm veteris testamenti pagina, cantica repeniuntur, nullum aut prestãtius, aut pluribus est modis commendabilius, quàm illud, quod nõ simpliciter, & singulariter cãticum: sed cantica canticorũ fuit appellatum. Cecinit Israel carmen Domino quod gladium pariter, ac iugum euaserit Pharaonis gemino maris mirabiliter liberatus, ac simul uindicatus obsequio: cecinit Delbora, cecinit Iudith, cecinit Anna, cecinerunt quoq; & prophetæ, qui omnes (ni fallor) pro quouis suo, suorum uè percepto commodo, vt puta, pro obtentu victoriæ, pro euasione periculi, aut pro concupitæ rei qualiscunq; adepto beneficio. Pro his aut similibus rebus singuli dulciter canebãt, & sua cantica mirificè componebant, nè diuinis benificijs ingrati esse viderentur. Verum sapientissimus Rex Salomon sapientia singularis, sublimis gloria, rebus affluens, pace securus, & nullius rei egens pro qua tali a decantare libuerit, Christi, & Ecclesiæ laudes, & sacri amoris gratiam, ac æterni connubij cecinit sacramenta, simulque expressit sanctę desiderium animæ, & Epithalamij carmen exultans in Spiritu, iocundo com-

Exod. 15. Iudi. 5. Iudith. 16 1. Reg. 2.

D (margin letter)

composuit eulogio, figurate tamen. Et inde fuit (sicut sermo- E
D.Bern. ne primo in cantica dicit D.Bernardus)quod hoc nuptiale carmen pro sui eccellentia, huiusmodi titulo presigniuit, ac cantica canticorum singulariter appellauit. Siue si magni illius D.
D. Greg. Gregorij Papæ sententiam ex prologo in cantica canticorum, hic afferre libet, ideo non canticum,sed canticorum canticum, dictum fuit, quia tantò est omnibus canticis sublimius, quanto in nuptijs sublimioris festiuitatis affertur.

Si ergo his de causis, Regis Salomonis illud carmen,nõ singulariter canticum, sed canticum canticorum fuit nuncupatũ: quo nomine appellandum esse censebimus illud nostræ Vir- F ginis singulare Epythalamium, quod ob suam singularem dignitatem, suauitatemque cunctis, quæ memorauimus, & si quæ sunt alia, non quocunque, sed longissimo quidem interuallo antecellit? An non hoc potiori iure canticum canticorum appellauerim, quàm illud Salomonis, in quo sponsi, & sponsę laudes, ac æterni connubij sacramenta figurate solùm fuerunt decantata? Nihil plane in virgineo epythalamio tale reperitur, in quo cæterorum omnium canticorum dulcissimus ac vberrimus fructus continetur, nullis iam figurarum folijs inuolutus, sed omnibus denudatus inuolucris. Nulla hic æterni G Verbi connubia decantantur, longo temporis discursu cęlebrãda, sed iam in temporis plenitudine dignissime celebrata in purissimæ Virginis vtero.

O suauissimum, & dulcissimum canticum: O hymnum excellentissimum, inter omnes veteris, non dicam, testamenti, sed noui plane primarium, in quo omnium tam veterum, quã nouorum cumulate continetur summa canticorum. Et quid ni hoc ita dicere, aut asseuerare ausus fuerim? Dicam quidem, & satis audenter dicam. In hoc enim cantico imprimis audimus verissimam Mariam maximam prophetissam, dul- H cissime decantantem, ac virgineum agmen ducentem, non
Exod. 15. quidem propter nouam victoriam de Pharaone reportatam, sicut alia Maria faciebat, sed propter victoriam peccatorum, quæ omnia in illo mari rubro pretiosissimi sanguinis filij sui submergenda esse videbat. Hic audimus verissimam, & strenuissimam Delboram suauissime decantantem, ac pariter se, & alios ad diuinas laudes inuitantem, non iam propter illum

A lum Sisaram, Dei populum, impiè affligtantem, ficut altera illa Delbora faciebat, sed propter deuictum dæmonem accerrimum humani generis hostem miseras hominum animas crudelissime deuastantem. Hic audimus verissimam, ac patientissimam Annam dulcissime præcinentem, non iam propter Samuelis partum, ficut illa altera Anna vxor Elcanæ faciebat, sed propter conceptionem Emanuelis, quod est, nobiscum Deus. Hic audimus verissimam, & fortissimam Iudith, Domino dulcissime concinentem, non propter Holofernem capite truncatum, sed propter inuisibilem hostem diuina vir-
B tute subactum. Et ne longius hac de re nostra progrediatur oratio, hic demum audimus omnium Prophetarum præcipuam Prophetissam Mariam, dulcissime, ac suauissime decantantem, non iam propter venturum mundi Messiam, aut futuram redemptionem, ficut Prophetę faciebant, sed quia ipsum Dei filium verum totius mundi redemptorem iam in suo vtero sentiebat. Quis audiuit vnquam tale? aut quis vidit huic simile? Non quomodocunque, aut qualitercunq; tympanistria nostra decantauit: sed omnibus alijs tanto suauius, tanto dulcius, & tanto perfectius modulata est, quanto beneficium illud, quod
C acceperat, cętera alia beneficia generi humano impensa superexcellebat, beneficium, inquam, quod ipsa non suo tantum, sed omnium aliorum nomine iam ipsi Deo cõgratulari studens dixit, Magnificat anima mea Dominum.

Neque est sanè mirandum quòd huius suauissimi cantici tanta sit excellentia, vbi Spiritus Sanctus est, qui dictat, & Maria quę pronuntiat: vbi Maria cantat, & Spiritus Sanctus, quid cantandum sit, suggerit. Quid mirum si talis, & tam dulcis musica in omnium auribus personuit, vbi Spiritus Sanctus, hoc suum instrumentum, Mariam, taliter adaptauit? Multa olim
D musica instrumenta adaptauerat iste citharędus, vt suis ea manibus attrectans dulces illos suæ artis sonos redderet, quibus audientium aures demulceret. Adaptauit Moysem, adaptauit Dauidem, adaptauit denique Prophetas reliquos, qui omnes huius optimi citharędi digitis attractati suaues illos suorum canticorum sonos ædiderunt: Verum nullum eorum sic adaptasse inuentus est, sicut Mariam, quæ propterea cœteris omnibus altius canens, totam illam senis Zachariæ domum harmonia

suauis-

suauissima implebat, omniũq; ibi habitãtium aures, hac sua dul E
cissima melodia demulcebat. Magnificat anima mea Dominũ.

CAP. II.

Maria, Simeonem, Zachariam, & Angelos etiam Deo docuit decantare. Mariæ musicæ tanta perfectio, vt propter ipsam, inter omnes Virgines, ipsi soli Mariæ sancti primas tribuant.

Magnificat anima mea Dominum. Luc. 1.

F



Nullum est mirum, si postea senex Zacharias in cuius domo, nostra Virgo sic dulciter decantauit, tàm bonus cantor euasit. Nam domi suæ habuit optimam magistram, ex qua didicit, quod postmodum in hunc modum, Domino suo ipse etiam decantauit. Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ. Nec solum Zachariam, sed & iustum Simeonem ex hac Virgine didicisse putauerim suauissimum illum cantum, quem velut Cygnus iam morti proximus, tam suauiter sic emisit. Nunc dimittis seruum tuum Domine, G
secundum verbum tuum in pace.

Sed quid ego vtrunque senem Zachariam, & Simeonem tantum refero? Illa Angelorum multitudo de qua dicitur: ꝙ
Lucæ 2. nascente Domino facta est cùm Angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum, & dicentium: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, ex Maria didicit illud melos, quo tunc & Domino suo gloriam, & hominibus pacem tam dulciter decantauit. Neque quisquam miretur quod hoc ita ausim affirmare, si quidem (vt optime sciunt docti omnes) beatissima Virgo ipsis angelis multò superior existebat: cũ H
vero ipsi Angeli inter se sic sint dispositi, ut inferiores à suis superioribus illuminentur, nullum est incõueniens, si dicatur, quod iam tunc Angelos ipsos Virgo potuit illuminare, eosq; docere talé concentũ efficere, qualem in sui Domini ortu ipsi faciebãt.

His adde, quia Virgo prudentissima eminentiorem habuit scientiam, quàm ipsi Angeli, id, quod inductione probat Albertus magnus super missus est cap. 191. quo loco de ipsa Maria

loquens

A loquens sic dicit. Potestas imperialis improportionabiliter est super omnem potestatem ministerialem: Sed potestas eius est imperialis, & omnium Angelorum est ministerialis, ergo potestas eius est super omnem potestatem Angelorum. Sed in perfecte ordinatis ad maiorem potentiam sequitur maior scientia, ergo haec in beatissima Virgine fuit in summo. Si igitur, (sicut optime concludit Albertus) nostra Virgo in summo habuit maiorem sciẽtiam, q̃ ipsi Angeli: quã quæso illis iniuriam facimus, cùm dicimus quod à Domina, & Regina sua talem musicã discere potuerunt? Præsertim cum ipsi in omnibus suę Dominę, & Alb. mag

B Reginæ semper obtemperarẽt: eamque obstetricum vice tùnc circunstarent: Sicut lib. 3. commentariorum in cantica tradit Tuitiensis Abbas Rupertus? Perquãmaxima certe, nõ iniuria, sed lętitia, sed exultatione, sed gaudio, sed iubilo cœlestes illos Spiritus affici puto, cum Domina sua in cantandi peritia sic illis anteponitur, quam ipsi optimam esse tympanistriam vel tùnc experti fuerunt, quando in domo Zachariæ eam sic modulantem àudierunt: Magnificat anima mea Dominum. Rup. Ab.

O musicam planè cœlestem? quam modulationem, quã moderationem, & suauem vocis flexum, atq; reflexum in hac sua

C musica Virgo non ostendit? Aut quid in musica optime composita requiritur, quod multo perfectius in hac musica non inueniatur? Quemadmodum enim in musica, quæ nihil aliud est, quàm vnio, & aggregatio quædam vocum parium, & imparium, quarum quidem aliæ sunt graues, aliæ acutæ, aliæ mediæ, ex quibus concentus, & melodia multò suauior auribus efficitur, quàm foret si ab vna quaque illarum vocum, solum redderetur: ita etiam in hac diuina musica, reperiuntur voces pares, & impares, ex quibus alię sunt graues, alię acutæ, & alię mediæ. Si de acutis vocibus loquamur: quę his sunt Simile.

D acutiores, aut sublimiores? Magnificat anima mea Dominum: Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo? quę voces sunt quæ aut acutius penetrent, aut altius attingant, quàm istę, quę in aere non conquiescunt, sed omnia superant, & vsque ad Deum pertingunt? Quod si etiam de grauioribus loquendum est: quæ istis sunt grauiores. Quia respexit humilitatem ancillę suę? Quæ vox ad ima sic descendit, sicut vox ista? Vox inquam, Mariæ, qua quidem per humilitatem aut altius, aut profundius nemo

mo descendit. Iam vero si ad perfectionem huius suauissimæ E musicæ clare ostendendam, de medijs vocibus mentio quoque facienda sit, hæ, quæ sũt alię nisi istæ? Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes? id, quod etiam de omnibus alijs, quę in reliquis huius diuini cantici versibus continentur, dicendum est.

Sed quid ego huius optimæ psaltis cantum, vulgari musicæ comparo? Nihil enim in eo vulgare esse potest, vbi totum, quod canitur ab illa purissima anima diuinis radijs sic illũstrata & in tot Dei magnalium tàm alta contemplatione detenta, solo diuino Spiritu mentem pariter, & linguam Virginis moderante proficiscitur? Huius quidem rei de qua agimus, veritati illud valde conuenit, quod dicit Hugo Victorinus in suo prolo- F
Hug. Vict. go super magnificat. Quis, inquit ipse Hugo dubitet beatam Mariam recens Spiritus Sancti in se superuenientis tanta plenitudine, & gratia repletam hõ potuisse paruum aliquid, & quod supra terrenarum mentium capacitatem non esset, in laudem Saluatoris sui proferre? Constat ergo de tanta plenitudine eructantem, tantaque deuotione nouum illud, & humanis mentibus insolitum gaudium Iesu suo iubilãtem noua laude, & singulari pręconio nouam letitiam in nouo aduentu ęterni Domini prędicasse. G

Nouerat etiam huius diuini cantici excellentiam D. August. nouerat & mellifluus Pater D. Bernardus: Nouerat, inquam, vterque non solum huius noui, & inimitabilis cantici excellentiam: sed etiam diuinam ipsam psaltem non terra, sed cœlestibus sedibus esse dignam, & ideo illi soli inter omnes illos sãctarum Virginum choros primas tribuunt: atque illam omnium ipsarum virginum ductricem, & antesignanam constituunt. Augustinus quidem sermone 2. de assumptione, quo loco cum ipsa Maria loquens inter cætera sic dicit. H

Tu in cœlestibus regnis prælata es cunctis Virginum choris, tu agnum quocunque perrexerit sequeris, tu virgineos choros, & ab incentiuæ carnis illecebris alienos per albentia lilia, rosasque vernantes, ad fontes perennis vitæ potandos inuitas. Tu in illa beatorum fœlicissima regia primi ordinis dignitatẽ adepta, plantis roseis oberrans inter paradisi amænitatem, gramineosque crocos tenero poplite peragis, fælicique palma violas immarce-

A marcescibiles carpis. Tu concinis sine fine choris, & cõiuncta sum mis Angelis, Archangelisque sociata indefessa voce Sanctus, Sanctus, Sanctus clamare non cessas.

Quot vero attinet ad D. Bernardum is, hom. 2. super missus est, sic ait: Nouum quidem canticum illud, quod solis dabitur in Regno Dei cantare Virginibus ipsam virginum Reginam cùm cæteris, imò primam inter cæteras esse canituram, nemo est, qui ambigat. Puto autem illam præter illud, quod solis, licet cùm oĩbus tñ virginibus ei, vt dixi, cõmune erit dulciori quodam, atq; elegantiori carmine lætificaturam esse ciuitatẽ Dei: cuius itaque dulcisonos depromere, vel exprimere modulos, ne ipsarũ quidem virginum vlla digna inuenietur, quia soli meritò de cantandũ seruabitur, quæ sola de partu, & partu diuino gloriatur. Taliter Augustinus, & Bernardus nostram tympanistriam laudant, & meritò laudant, si quidem ipsa tam suaui, & dulci cantu Dominum suum nouit magnificare. D. Bern. B

CAP. III.

Mariæ canticum cur quotidie in Dei Ecclesia recitetur. ipsum in Decachordo psalterio fuit præfiguratum.

C

Magnificat anima mea Dominum. Luc. 1.



RATIONI est valde consentaneum, vt illud hoc loco non prætermittamus, quod vel solum ad huius celeberrimi cantici autoritatem commendandam, ac comprobandã sufficere potest. Et ideo inquirẽdum nobis hic est, qua de causa illud tam assidua, imò quotidiana recitatione sancta per orbem ecclesia frequentat. Non enim videtur, quod sine magna, & D valde rõnabili causa cõsuetudo ecclesiastica, hoc præ cæteris omnibus canticis, quæ in sacra scriptura reperiũtur, in tãta veneratione retentauerit, ac tanti faciendũ putauerit, vt nullũ sinat diẽ prętermitti, quin inter canonicas, & vespertinas horas recitetur.

Venerabilis Beda in hom. pro fer. 6. quatuor temporũ ante 4. Dñicam Aduentus hanc huius rei rõnem reddit: fit aũt largiente dño, vt si B. Mariæ semper actus, & dicta recolamus, semper in nobis, & obseruantia castitatis, & virtutis opera perseuerent. Beda.

Nam & optimus, ac saluberrimus in sancta Ecclesia mos inoleuit, vt hymnus ipsius quotidie cum psalmodia vespertinæ laudis, ab omnibus canatur, quatenus ex hoc animus fideliũ, & frequẽtior dñicę incarnationis memoria ad affectũ deuotionis ascendat, & recogitata sæpius exempla genitricis illius, in virtutũ soliditate confirment. Et hoc opportune ad vesperas fieri complacuit, vt videlicet fatigata per diem, & distẽta diuersis cogitationibus mẽs nostra, incumbente tempore quietis, ad vnionem se suæ considerationis colligeret: tamq; salubriter admonita quidquid superfluum, vel nociuum diurna vagatione contraxisset, totum hoc nocturnis precibus denno, ac lachrymis ex tempore mundaret: talẽ huius rei rationem illo in loco adducit Beda. E F

At si nobis quoque hac in parte, propriam licet sententiam aperite, non abs re erit, si dicamus, propterea hoc tam celebre, & venerabile canticum tanta in veneratione haberi, & quotidiana recitatione frequentari, maxime inter vespertinas horas id, (quod nullis alijs planè contingit, quæ nocturno tempore solent decantari) vt ex hoc clarè cognoscatur, tantum discriminis esse inter hoc, & alia cantica, quæ maiori ex parte nocturnis horis, & tẽpore recitantur, quantum vel inter lucem, & tenebras, vel inter diẽ G ac noctem reperitur. Et hoc duabus de causis, præter alias multas. Imprimis, quia hoc Mariæ canticum plura, & apertiora cõtinet de Christo vero Messia, & vero mundi Redẽptore, quam alia veteris testamenti cantica: Deinde etiam quia si personam hoc diuinissimum canticum pręcinentem spectes, Mariam esse inuenies oĩum prephetarũ præcipuam prophetissam. Inter quam, non dicam inter alios prophetas, sed inter ipsum Ioannẽ, qui ipsius Dñi testimonio non solũ fuit propheta, sed etiam plusquàm propheta, tm̃ discriminis est, quod Ioannes Digito filium Dei demõstrauit, vnde plusquã propheta dicitur: Maria autẽ ipsum Christũ nobis H generauit, & generatũ nobis dedit, quod multo plus est, q̃ digito illũ ostendere. Et ideo eius canticũ est oĩbus alijs tãtò perfectius, quantò illa est oĩbus alijs prophetis excellẽtior, ex eo quia in summo habuit prophetię Spiritũ, cum enim spiritus sancti præsentia gratia, & inhabitatio maior in Maria fuerit, quàm in alio bene sequitur quod ipsa maiorem habuit inspirationem quàm alij. Sed ad institutum reuertamur.

Hoc Mariæ canticum, cuius excellentiã hoc loco manifestare cona-

A conamur, in decachordo illo psalterio fuit expsse figuratũ, in quo regius psaltes, Deo se caniturum esse tunc promittebat, quando dicebat: Deus canticum nouum cantabo tibi, in psalterio decachordo psallam tibi. Videbat diuinissimus vates Deum ipsum, vnum, ipsumque pulcherrimũ effinxisse decachordũ psalteriũ totius rationalis creaturæ, in quo sibi debitæ laudis concentus, & melodia semper concineretur. Videbat, inquam, tale decachordum psalterium imprimis fuisse compactum ex nouem Angelorum choris, & ordinibus, quasi ex nouem chordis argutissimis, ac sonorosissimis: Deinde ex hominibus tanquam ex decima, &
B vltima, ac etiam sonorosissima chorda. Sed quia istam chordam, quæ in primis parentibus propter peccatum omnino disrupta fuerat, à summo citharedo reformandam, & reparandam esse videbat: ideo eam iam reformatam, ac reparatam videre desiderans: Domine, inquit, inclina cœlos tuos, & descende: ac etiam: Emitte manum tuam de alto. Et postea subiungit: Deus canticum nouum cantabo tibi, in psalterio decachordo psallam tibi. Ac si diceret: O Domine inclinentur iam cœli tui, & descende: descende, inquam, Domine non per discessum, sed per tuæ potestatis effectum: non per loci mutationem, sed per tuę misericordiæ, &
C pietatis condescensionem: & emitte Domine, emitte, quæso, iam manum tuam de alto, manum illam potentissimam per quam facta sunt omnia: & illa manus quę formauit, ipsa sit, quæ reformet hanc decimam decachordi tui psalterij chordam, quod propter huius chordę defectum, sonum, & concentum tibi reddit insuauem. Propterea emitte, oro, Domine manum tuam, emitte filiũ tuum de alto, vbi tecum est, vt carnem induat: Nam si illum mittis, tibi promitto, quòd non iam vetus, sed nouum canticum tibi decantabo: non in psalterio nouem chordarum, sed in psalterio decachordo psallam tibi, in instrumento perfecto quod tibi red-
D det non musicam incompositam, & insuauem, sed melodiam suauissimam, ac omnibus suis numeris absolutissimam.

Hoc erat, vt ego quidẽ existimo, quod precabatur regius propheta: neque hac in parte parum nobis suffragatur sapientissimus Ioannes Gerson tractatu primo super magnificat. Quid appropriatius, inquit, quidve diuinius poterimus accipere, quàm ipsummet psalterium Marię decachordum habens decem versus, quasi totidem chordulas sonorosissimas, cõformiter ad illud Ioan. Ger.

vniuersale decachordum totius rationalis creaturæ, quod connectitur ex nouem ordinibus Angelorum, quasi nouem fidibus argutis, iuncta ex hominibus decima, quam in primis parentibus per peccatum ruptam summus noster citharista reparauit. Hæc Gerson loco à nobis citato. E

Sed dices: quando Deus hanc chordam reparauit? Quando cœlos inclinauit. Ipsi autem tunc inclinati sunt, quando honor, & virtus supernorum ad hominem descendit, & forma Dei, formā serui suscepit in sacratissimo nostræ Virginis vtero: quæ propterea in hoc suo decachordo, pro tanto beneficio Dominum exaltans: magnificat, inquit, anima mea dominum. F

Et meritò, nemo enim potiori iure tàm nouo, & in imitabili cantico Dominum posset collaudare nisi Maria. Ad illam spectabat, illam decebat, illi soli competebat tali cantico suum Dominum magnificare, ac Deum ipsum suum pariter filium super exaltare, cui soli datum erat, immo & ipsi Mariæ etiam, illam in nostro decachordo psalterio rupturam reparare, quam propter peccatum prima mater nostra Eua in eo effecerat.

Tribuit & iure optimo tribuit hanc nostrę Virgini prærogatiuam inuictissimus Martir Irenæus lib. 3. aduersus hęreses cap. 33. quo quidem loco sic dicit: Sic autem & Euæ inobedientiæ nodus solutionem accepit per obedietiam Mariæ: quod enim alligauit Virgo Eua per incredulitatem, hoc Virgo Maria soluit per fidem. Et ipso martyre Irenæo non minus sanè clarè Albertus magnus super missus est cap. 192. de Maria loquens, sic inquit. Ipsa enim de vltimo fecit primum, & de primo vltimum: immo omnia, idest, omnem creaturam in homine reduxit ad principiū à quo exierunt, ipsi se personaliter vniendo. Vnde ipsa est illa fortis mulier de qua dicitur: cuius pretium de vltimis finibus. id est, de humanitate, & diuinitate coniunctis hominem perditum redemit. Et cap. 194. Ipsa, inquit, est mulier, quæ tria fata, idest, corpus, & animam, & deitatem coniunxit per quod naturam in primum, immo super primum statum institutionis reduxit. At hæc de intemerata nostra Virgine, eiusque nunquàm satis laudando cantico dicta sint, nunc ad ea, quæ vlteriora sunt paulatim accedamus.

D. Irenæ. G

Alb. mag. H

CAP.

A

CAP. IIII.

Prætermissis nonnullis significationibus, quibus verbum, magnifico, in sacra scriptura solet vsurpari, duæ tantùm ex Patrum sententia afferuntur, quarum vna est huius loci magis propria.

Magnificat anima mea Dominum. Luc. 1.

B VSQVE Adhuc in superficie tantum horum verborum fuimus demorati, ad illorum morem, & modum, qui Simile.
aurum, & metalla in terra fodientes, nec minima quidem frusta prætereunt antequam ad auream venã descendant, quam vbi nacti fuerint, non acquiescunt donec omnes terræ meatus exactè circunspiciant: eodem ferè modo hactenus à nobis actum est, qui ea, quæ de huius mariani cantici excellẽtia in primo statim aspectu, se se nobis obtulerunt, tacita præterire passi non fuimus, antequam ad multa alia, quæ in his recondita esse noscuntur, descenderemus. Sed nunc singulaquæque pro
C modulo nostro, iam sigillatim perscrutemur.

Verum vt hoc commodius fiat, animaduertendum nobis hic est, quod verbum, magnifico, in scriptura sacra in multiplici solet acceptione accipi. Interdum enim idem significat, quod extendere, & dilatare. Sicut videre est apud Matthæum in his Christi verbis contra pharisæos. Dilatant enim philateria sua, & magni- Mat.23.
ficant fimbrias. Interdum significat misereri: prout in illo scripturæ loco, quo dicitur: in omnibus enim magnificasti populum tuũ Sap.19.
Domine: quod idem est, ac si diceretur: in omnibus misertus fuisti populi tui. Interdum significat, magnam misericordiam osten
D dere. Sicut patet ex illo Lucæ, quo dicitur: magnificauit Domi- Luc.1.
nus misericordiam suam cum illa. Interdum significat castigare, sicut apud Isaiam In illis verbis: Vt mirabile faceret consilium, Isa.28.
& magnificaret iustitiam. Interdum significat laudare, sicut pa- Psal.68.
tet ex illo psalmi. magnificabo eum in laude. Denique, vt multas alias huius verbi acceptiones omittamus, nonnunquam significat Deum ipsum per magna opera magnum ostendere. Sicut apud ipsos Euangelistas passim inuenitur, vbi Christum propter sua

miracula ab hominibus magnificari ſæpe videmus. E

Cum ergo tot, tantęque ſint huius verbi ſignificationes, & ex his multę, nullam, nec minimam illam quidē habeant conuenientiam cum iſtis Mariæ verbis: & cùm etiam Deus ipſe nec maior fieri, nec aliquid ei à nobis poſſit accedere, iuxta illud eccleſiaſti-

Eccleſ. 18. ci: Non eſt minuere, neque addere, neque eſt inuenire magnalia

Eccleſ. 43. Dei: & iuxta illud etiam eiuſdem: Glorificantes Dominū quantum potueritis ſuperualebit adhuc. Et paucis interiectis: Quis magnificabit eum, ſicut eſt ab initio? Cum hæc, inquam, ita ſint, videndum nobis eſt, in qua nam ſignificatione, hæc verba hoc loco accipi debeant, quibus à noſtra Virgine dicitur: Magnificat F anima mea Dominum.

D. Aug. D. Auguſtinus de ſanctis Sermone 35. qui eſt ſecundus de aſſumptione, hæc Mariæ verba pertractans: Sed ſciendum nobis eſt, inquit, duobus modis dici magnificari: id eſt, aut magnum facere, aut magnum adorare, magnum admirari. Magnificatur enim Deus à nobis, cum magnificari dignatur à nobis. Hos duos

D. Euſeb. magnificandi modos, præter Auguſtinum tradit etiam D. Euſebius Emiſſenus in Homilia feriæ ſextæ quatuor temporum Aduentus, quo loco ſuper his verbis: Mariam ſic loquentem inducit: Anima mea, mens mea, omniſque intelligentia, & conſcientia G mea Dominum laudat, benedicit, & prędicat. Et deinde ſubiungit idem Euſebius: Dominum enim magnificat, qui Domini magnificentiam prędicat. Magnificat autem & ille Dominum, ſin cuius bonitate magnificatur, & laudatur dominus. Sic enim in diſcipulis magiſtri: ſic in operibus ſuis ſinguli artifices laudantur, & magnificantur. Hunc duplicem loquendi, ac magnifican-

Theophyl. di modum adducit etiam ſapientiſsimus Theophilactus in ſuis commentarijs in Lucam cap. 1. vbi ſic ait: Virgo certior reddita de fœtu concepto glorificat Deum, illi miraculum tribuens, non H ſibi ipſi: & poſt pauca alterum magnificandi modum ſubindicans, dicit: Magnificas Deum, qui dignè iuxta Deum ambulas, vocatus Chriſtianus non attenuans nomen, & dignitatem Chriſti faciendo, quod non oportet: ſed magnificans operando magna, cœleſtiaque opera. Hęc Theophylactus.

Orige. Verum antiquiſſimus autor Origenes Hom. 8. in Lucam, vnū tantum ex his duobus modis amplectens, in eoq; hęc Marię verba declarans ſic dicit: Sed ſi conſiderem Dominum Saluatorem

imagi-

A imaginem esse inuisibilis Dei, & animam factam ad eius imaginem, vt sit imago imaginis, tunc videbo quoniam in exemplo eorum, qui solent imagines pingere, quādo magnificauero animam meam opere, cogitatione, sermone: tūc imago Dei grandis efficitur, & ipse Dominus cuius imago est, in anima mea magnificatur.

Ad eundem ferè modum hæc eadem Mariæ verba explicat D. Ambrosius lib. 2. commentariorum in Lucam: Magnificatur enim, inquit, Dominus, sicut & alibi legisti: Magnificate Dominum mecum. Nō quod Domino aliquid humana voce possit adiungi, sed quia magnificatur in nobis: imago enim Dei Christus D.Amb.
B est, & ideo si quid iustum, religiosumque fecerit anima, illam imaginem Dei, ad cuius similitudinē creata est, magnificat. Et ideo dū magnificat eam, magnitudinis eius quadam participatione sublimior fit, vt illam imaginem splendido bonorum colore factorū, etiam quadam ęmulatione virtutis, in se videatur exprimere.

Cum D. Ambrosij, & Origenis sententia videtur satis congruere græcus interpres in aurea cathena à D. Tho. allegatus: qui hoc perinde esse inquit, ac si Virgo nostra diceret. Mirabilia; quę Deus pronuntiauit in meo corpore exercebit: Sed anima mea infructuosa apud Deum non erit: conuenit autem mihi & volun-
C tatis fructum afferre. Nam quantum amplo doceor miraculo, tantum teneor magnificare in me mirabilia operantem. talis est istorum Patrum sententia, ex qua aperte satis colligitur, quod tūc in nobis dominum magnificamus, quando animam nostram, quę est formata ad imaginem Dei, maiorem in bonis operibus, & virtutibus facimus: tunc enim dominus maior in nobis quodammodo fit, cùm imaginem eius magis participamus.

Sed venerabilis Beda alium significādi modum sequitur, illū videlicet, in quo magnificare, pro laudare vsurpamus, atq; ita hūc Beda.
significandi modum obseruans in Homil. ser. 6. quatuor tempo-
D rum Aduentus: eius autem anima, inquit, dominum magnificat, qui omnes interioris hominis sui affectus diuinis laudibus, ac seruitijs mancipat. Nec solum Venerabilis Beda, sed etiam grauissimus autor Ioannes Gerson tractatu 1. super magnificat hunc sensum sequitur, ac de eo discipulum volens instruere, cum illo sic Ioan.Ger.
loquitur. Hæsitas, non intelligens scripturas, quemadmodū dominus à creatura magnificatur: non in augmentum sui in se, sed quia magnus esse prædicatur, canitur, & laudatur. Ex græcis

Euthy. etiam autoribus hunc sensum sequitur. Euthimius in suis cōmentarijs in Lucam, vbi super hæc verba sic ait. Magnificat, hoc est benedicit, glorificat. Est autem hic sermo credentis, ac gratias agentis. Sic Euthymius, cuius sententia, & omnium aliorum simul qui hoc loco, magnificare, pro laudare vsurpant, mihi certe & valde, & magis probatur: præsertim cum hic sit magis proprius huius loci sensus, si magnificare pro laudibus extollere, ac Dei magnitudinem agnoscere, admirari, & prædicare, vsurpemus. E

In hoc ergo sensu hæc nostræ Virginis verba vsurpata perinde sunt, ac si Virgo diceret: tu quidem ò Elisabeth me laudas, & magnificas: verum ego ob tanta in me collata beneficia dominū ipsum magnifico, & hoc non lingua solum, sed anima, & totis præcordijs talem dominum magnifico, atque ipsius bonitatis, & potentiæ magnitudinem prædico. tanto enim munere me dominus iste sublimauit, vt nullo id linguæ officio possim explicare, & iō totū animi interioris affectum magnis laudibus offero. Vnde totū id, quod viuo, totum quod sentio, totum, quod discurro, in eius magnitudine contemplanda, ac summa tanti domini laude prædicanda impendens: magnificat anima mea dominum. F

Ex his, quæ hactenus à nobis dicta sunt liquido cōstat, magnificare, in his Mariæ verbis rectius, ac propriè magis accipi pro eo, quod est Deum laudibus extollere, quàm pro ipsum Deū bonis operibus magnum in nobis ipsis ostendere: Verum quia, sicut vidimus, nō desunt multi, & grauissimi Patres, qui hæc verba iuxta vtrunq; sensum declarent: ideo ea etiam iuxta vtrunq; sensum libet pertractare: hoc autem fiet in sequentibus: ibi enim quantū in nobis fuerit (Deo fauente) ostendemus, neminem fuisse, qui nostra Virgine melius, Deum aut laudibus prædicasset, aut bonis suis operibus in se ipso magnum demonstrasset. G

CAP. V. H

Creaturæ quomodo in se ipsis Deum magnificant: Maria non solum hominibus, sed Angelis etiam multo excellentius Deum magnificauit: ipsius Mariæ quanta pulchritudo.

Magnificat anima mea Dominum. Luc. 1.

TANTO artificio, tantoq; ornatu cunctorum opifex cōdidit vniuersa, vt si recta mentis acie in ea homines intenderent, quanta

A quanta sit ipsius Dei magnitudo, quanta magnificentia, quan ta gloria, & quantus denique splendor facile deprehenderent. Quid enim aliud sunt cœli ipsi, quos tāta planetarum, syderumq; varietate, & pulchritudine distinctos videmus: quid, inquam, sunt, nisi veluti validissimæ quædam voces ipsius conditoris potentiam, ac magnificentiam mirabiliter prædicantes? Non habent cœli os, neque linguam, neque vlla illis inest vox, sed per ipsum aspectū, sic suum factorem inculcant, vt cum eorum pulchritudo, magnitudo, situs, ac forma consideratur, necessario ille conijciatur, qui tàm pulchrum, & admirabile corpus efformauit. tacent cœli, non B nego, sed eorum aspectus vocem tuba clariorem, ac validiorem emittit, qua quāta sit ipsius admirabilis cōditoris gloria haud obscure percipiatur. Hoc regius propheta ita esse demonstrans, dixit: cœli enarrant gloriam Dei. Psal. 18.

Verum cœlis ipsis interim omissis ad inferiora ista descendamus, ipsisque animum parumper affigamus. Mare, & terra, & ipsorum ornatus, animalium genera omnigena, plantarum diuersæ varietates, omnia hæc, tùm ob magnitudinem, simul & multitudinem: tum etiam propter ordinem, & pulchritudinem, ipsum opificem veluti magno præconio annuntiant. Hinc illa sapiētis vox: Sap. 3. C à magnitudine enim speciei, & creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri: quod perinde est, ac si diceret, (sic enim exponunt hunc locum Nicolaus de Lyra, & D. Bonauentūra) à Nic. Lyr. magnitudine pulchritudinis vniuersi, & virtutis creaturarum nō D. Bonau. oculo sensibili, sed intellectuali potest artifex deprehendi, quia per tales effectus facile potest, in cognitionem talis causę deueniri. Hinc etiam electionis vas Paulus exclamat: Inuisibilia enim Rom. 1. ipsius à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas.

Verum cùm vterq; tam Paulus, quàm Salomon non in persua D sibilibus humanę sapiētię verbis, sed in doctrinis Spiritus sancti eruditi hæc pronuntiauerint: nō sane est tū mirandum, si sic clamarent. Vnum hoc est maximè quidem mirandū, quod huius veritatis cognitionē tam alto stylo mundo inculcauerit Mercurius il Mercur. le, à veteribus Trismegistus nūcupatus quasi ter maximus diceretur: quia & summus esset sacerdos, & sapiētissimus philosophus, Trimeg. & Rex potentissimus. Hic enim in libro Pimandri dialogo 5. nobis hac de re sic scriptū reliquit. Deus sane totius expers inuidię,

per

per singulas mundi particulas vbiq; splendet, atq; adeò se notum E
prestat, vt non intelligere modo, sed manibus etiam ipsis (vt ita dixerim) liceat attrectare: nam vndique nostris oculis, eius obseruatur, seque obijcit, & inculcat imago. O virum sapientissimum. Et quid aliud dicere posset, si nostrę esset fidei lumine collustratus, aut nostris in scholis maximè versatus? In scholis, inquã, in quibus tamen nequaquàm illi probaretur id, quod de imagine dicit, quam vbiq; affirmat splendere: id, quod à theologis nequaquaquam cõceditur, nisi in intelligibilibus creaturis. Verum parcamus obsecro gentili homini hac in re impropriè sic loquenti, cum in nonnullis ita bene loqueretur, vt non iam Basilium, Augu F
stinum, & Isidorum, & alios venerandę illius antiquitatis, patres, tantum admiremur, si tàm clare nobis hanc veritatem ante oculos proposuerint.

Et quòd attinet ad magnum illum D. Basilium is, homilia vndecima in Hexemeron sic dicit: Nam & mundus hic vniuersus, velut liber quidam inscriptus est, Dei gloriam denuntians, occultam, & inuisibilem Dei maiestatem per seipsum annuntians tibi, qui mentem habes ad intelligentiam veritatis. In idem ferè recidit ea sententia quam hac etiam de re afferunt pręnominati à no-
D. Bona. bis Augustinus, & Isidorus, & allegãtur à D. Bonauentura in suis G
commentarijs in lib. sapientiæ c. 13. Vbi Augustinus quidem sic ait: Omnia clamant Deus me fecit: totus enim mundus est, quasi liber quidam, in quo creator potest cognosci per eius potentiam, sapientiam, bonitatem relucentes in creaturis. Et D. Isidorus creator, inquit, per creaturam laudatur, & quantò sit excellentior ex operis sui conditione monstratur.

Hæc quę à sanctis de creaturis sic in generali tàm apte dicta sunt: de homine possunt, multo potiori iure intelligi, in quo Deus omnium creaturarum perfectiones collegit, & quem sua propria H
imagine, & similitudine insigniuit, id quod nulli alij ex corporalibus creaturis cõcessum fuit, in quibus cum intelligibiles nõ sint, nulla Dei imago reperitur, sed solum vestigium, prout in scholis loquuntur Thelogi, qui hoc discriminis esse putant inter imaginem, & vestigium, quod imago representat rem secundum similitudinem speciei: vestigium vero per modum effectus, qui ita refert suam causam, vt tamen minime assequatur eius similitudinẽ speciei. Vnde animalia, cunctæq; res corporatæ pręter hominẽ,

quia

A quia uim non habent intelligendi, non gerunt imaginem Dei, ſed cernitur in eis quaſi veſtigium quoddam diuinitatis, quatenus eorum diſpoſitioně, determinationě, & mirabilem omnium inter ſe conſociationě contěplantibus, manifeſtum fit, fieri non poſſe, quin diuina ratione, ſapientia, & intelligentia à principio conſtituta ſint.

Verum in homine multo aliter ſe res habet: quia nō ſolum eſt, viuit, & ſentit: ſed etiā vt Deus (multo tamen differentiori modo) intelligit, & ſapit, gradum diuinæ naturę attingens, & propterea imago Dei iure eſt, & appellatur: quia ſola hęc pulcherrima imago,
B quam ſui Deus poſuit intra homině, in ipſo hominis animò, facilius, & expreſsius, quam aliæ res omnes, ſimul Dei vim, & naturam non ſolū copioſe declarat: ſed etiā multis modis magnificat. Magnificat, fateor, & valde magnificat ipſius Dei potentiam pariter, & ſapientiā, tam nobiliū creaturarū (de Angelis loquor) creatio: magnificat etiam ipſam ipſius hominis efformatio: hominis, inquam, quě, ſicut regius propheta teſtatur, Deus ipſe minuit Pſal. 8. paulo minus ab Angelis. Immo (ſi D. Chryſoſtomo credendū eſt) homo ipſe ante peccatū nihil minus habuit Angelis ipſis, ſed poſt
C peccatum ab illis fuit diminutus. Id, quod ipſe D. Chryſoſtomus D. Chry. oſtendit homilia 16. in Geneſim, quo loco ex eadě prophetæ Dauidis autoritate rem iſtam cōprobans ſic dicit: Atque hoc ipſum, paulo minus ab Angelis, inobedientiæ peccatum introduxit, nam poſt præuaricationem hoc locutus eſt propheta. Ecce quomodo D. Chryſoſtomus ante peccatū, homině terreſtrem Angelū fuiſſe oſtendit. Vnde meritò dicimus nullā fuiſſe creaturā, quę Dei imaginem aut clarius repræſentaret, aut excellentius magnificaret.

At enim, vt ad id, quod eſt præſentis loci inſtitutum noſtra iam recurrat oratio, vnum hoc aſſeuerare auſus fuerimus, nullā eſſe nō ſolum ex humanis, ſed neq; etiam ex Angelicis creaturis, quę Dei
D imaginem expreſſius repræſentet, quàm Mariā; omnes enim tàm homines, quā Angelos ſecundum gratiam, & gloriam longiſſimè ſuperat. Ac proinde inter eos nullus inuenitur, qui Deo ipſi ſit ſimilior, quàm ipſa, in qua ſola ipſius Dei imago ſic elucet, ſic emicat, & ſic ſplendet, vt poſt filium ſuum, qui ſpecioſiſſimus fuit forma pręfilijs hominū, immo multis millibus Angelorum, nullus alius ſit ſicut Maria, qui Deū poſſit, nō dico, ſupexaltare: ſed neq; in eius laudě dignius decantare, Magnificat anima mea Dñm.

Nam

Nam quòd ad Mariam attinet, quis præter illã, Dei imaginem E
sic expressit? Quis creatoris sui similitudinem sic retulit, sicut Maria? Maria, inquam, quæ propterea non solùm ab ipsis fidelibus, sed quod multò magis est, ab infidelibus ipsis tantis fuit laudibus prædicata. Et vt ex ijs vnus referatur Mahumetus, is (sicut sapien
Nic.Lyr. tissimus refert Nicolaus de Lira tùm alibi sępe, tùm vel maximè in quodam tractatu contra quendam Iudęum, ex verbis euangelij secundũ Matthæum, Christum, & eius doctrinã impugnantem) de Maria loquẽs, in suo Alchorano sic dicit. O Maria Deus vtiq; elegit te, & purificauit te, & elegit te claram super mulieres popu
lorum. Taliter Mahumetus Mariam prędicat, cuius verba ex Ni- F
colao de Lira hic offerre libuit, tùm vt ex ipsis conijciatur, quantum nostram Virginem etiam Mahumetus extollat: tùm etiam vt perspiciatur, quòd multò perfectior ipsa sit, quàm suis eam verbis Mahumetus ipse depingat.

Simile. Quemadmodum enim turris, quæ ex longinquo magna apparet, multò maior quidem est, si ad illam propius accedatur, ita beatissima Virgo per illã Dauid turrem tam aptè significata, quæ ipsi Mahumeto de tàm longinquo suæ incredulitatis atq; infidelitatis aspicienti adeò magna apparuit, multò quidem maior, mul
tò perfectior, & multò formosior sane est, si ab his, qui per fidem G
propius sunt, aspiciatur. Talibus enim non quomodocunque, aut qualitercunq; magna, perfecta, ac pulchra apparet, sed tanquam viua, & expressa ipsius Dei imago Deum ipsum ad viuum mirabiliter repræsentans. talis quidem multis olim fidelibus, & præsertim magno illi Dionysio Areopagitæ nostra Virgo repræsentabatur, cui ipsa adeò perfectam sese exhibebat, vt Deus ipsa non solũ videretur, sed etiam crederetur ab ipso Dionysio, nisi Christiana fides ei obstaret. Est enim de ipso Dionysio multorũ, & grauium autorum consensu confirmata sententia, quod Dionysius iste, cum
ad videndam Mariam ipsam semel adduceretur, sic dicens excla- H
mauit. Nisi scirem alium esse Deum, hanc Virginem deitatem ipsam, ac diuinitatem esse existimarem. Talem se illi Maria exhibebat, tàm viuam & expressam ipsius diuinitatis imaginem illi referebat: ac proinde nemo, sicut apparet, maiori ratione de Deo loquens, atque ipsum laudans dicere poterat: Magnificat anima mea Dominum.

Sed quid mirum, si præ cæteris creaturis Maria sola digna exi-

stit,

A stit, quæ Deum perfectius possit magnificare. Et quid etiam mirum si homines solam oris suauitatem, & pulchritudinem in Maria contemplantes, in ea veluti numen esse existimarent: cùm Deus ipse sub sponsi nomine talibus dilectissimam sponsam suã verbis extollat? Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. O Virginem formosissimam: O fœminam speciosissimã, in qua ipsi Deo tàm bene sibi complacuit, vt in amica sua, in formosa sua, nullam, neque minimam illam quidem maculam inueniret, qui tantam, & in hominibus instabilitatem, & in ipsis Angelis reperit prauitatem: secundum illud: Ecce qui seruiunt ei, B non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit prauitatem. Cant. 1. Iob. 4.

Non sic quidem Maria, non sic, quæ tota pulchra erat, & macula in ea non erat. Vnde non immerito Virgini nostræ, illud accommodandum esse censeo, quo propheta & Euangelista Ioãnes in suo libro Apocalypsis, ipsam Virginem describens sic dicit: signum magnum apparuit in cœlo mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius. Quem locum licet multi, & grauissimi patres (immo omnes ferè) de ipsa ecclesia interpretentur, tamen nonnulli eum nostrę Virgini accommodant, dicentes, quod ipsa quidem sole tunc amicta fuit quando virtus altissimi eam obum- C brauit, illumque intra vterum concepit, qui intra omnia, extra omnia, supra omnia, & infra omnia existit incomprehensibilis. Ac etiam quod lunam sic sub pedibus habuit, vt à nemine hæc omnium rerum mutabilium cupido, ita calcari, ac contemni potuerit sicut ab ipsa. Apoc. 12.

Sed multò elegantius ipsi Marię deditissimus, ac deuotissimus Bernardus, qui sermone de istismet verbis Apocalypsis, ea ipsi Virgini accommodans, sic inquit. Nimirum ea est, quæ velut alterum solem induit sibi. Quemadmodum enim ille super bonos, & malos indifferenter oritur: sic ipsa quoque prætetita non discu D tit merita: Sed omnibus sese exorabilem, omnibus clementissimam præbet, omnium denique necessitates amplissimo quodam miseratur affectu. Nam & defectus omnis sub ea, & quidquid fragilitatis, seu corruptionis est, excellẽtissima quadam sublimitate præceteris omnibus excedit, & supergreditur creaturis, vt meritò sub pedibus eius luna esse dicatur. Alioquin nihil magnum dixisse videbitur, vt sit luna ista sub pedibus eius, quàm super omnes Angelorum choros, super Cherubin, quoq; & Seraphin exal Simile.

tatam

tatam nefas est dnbitare. Hæc D. Bernardus. Bene ergo vtrunque E
Mariæ accommodatur, & quod sit amicta Sole, & quod Lunam, hoc est, defectus omnes sub pedibus habeat, quia ad eam nihil pertinet de defectibus, quæ ab ipso Deo tota formosa, & tota pulchra inuenta erat. Talis erat Virginis nostræ, formosæ nostrę pulchritudo, quam ipsa soli Deo referens dicebat: Magnificat anima mea Dominum.

CAP. VI.

In Maria tantos perfectionum thesauros Deus deposuit, vt supra se F
solum habeat Deum, infra se autem omne id, quod non est Deus. Maria omnes suas perfectiones soli Deo tribuebat.

Magnificat anima mea Dominum. Luc. 1.

Cant. 6.



SApientissimus Rex Salomon Mariæ pulchritudinem, iam antea volens exprimere, inter cętera sic ait. Pulchra vt Luna. Sed quia Luna, vt videmus, suos nōnunquam patitur defectus, ideò veluti G
seipsum reprehendens, quòd Mariam Lunæ solum cōparauit, statim adiecit: electa vt sol. Nec

Simile. immerito, quia post Christum verum iustitiæ solem, sola Maria est formosa, & electa vt sol. Sicut enim in cœlo nihil est sole pulchrius: ita etiam in ecclesia excepto Christo, nemo est nostra Vir-

Simile. gine pulchrior. Vnde sanè est, quod de Virgine iure optimo dici potest, quod sicut sol inter septem planetas, ita medium semper locum obtinet, vt infra se quidem tres habeat planetas, nempe Venerem, Mercurium, & Lunam: supra se autem alios tres, vt sunt Mars, Iupiter, & Saturnus: sic beatissima Virgo, quę sicut Sol ele- H
cta existit, in cœlo ita medium locum obtinet, vt supra se quidem, solas habeat tres sanctissimæ Trinitatis personas, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Infra se autem tres illas Angelorum Hierarchias, quæ in nouem ordines Angelorum diuiduntur ipsa vero tanquam sol in medio istorum planetarum existens, post tres illas Angelorum Hierarchias, quas infra se habet, quartam cùm filio Hierarchiam constituit. Ipsa namque (sicut optimè super missus

est

A est cap. 190. refert Albertus Magnus) ad dexterã filij collocata, Alb. Mag.
in medio illo loco cõstituta existit, qui est inter Deũ, & creaturas.

Nec immeritò hoc sic dictum esse, quisquã arbitretur: si enim Rex Salomon iuxta thronum suum matri suæ, vt ad suam dexteram sederet, thronum iussit præparari, ipsa hoc diuina scriptura sic atteſtante, ac dicente. Positusque est thronus matri Regis, quæ 3.Reg.2. sedit ad dexterã eius: si hoc, inquam, Salomon sic fecit matri suæ, quid, oro, ipse rex gloriæ non faceret matri suæ? Vere ipsi thronus regis gloriæ, collocatur in aula cœlestis regni: eamq; ipse Rex B gloriæ, vt matrem veram, & decoram sponsam, præ omnibus diligens, amoris amplexu associat sibi. Et quid ni tanto amoris amplexu, eam sibi associaret, quæ ipsi simillima existebat? Quid ni æterni Patris sapientia filius, in quo sunt omnes thesauri sapientię, Colos.2. & scientiæ absconditi, matrem iuxta se collocaret, in qua ipse, qui illi simul & filius, & creator erat, tantos sapientiæ, & scientiæ, ac omnium simul perfectionum thesauros deposuerat?

Sed quid ego dico perfectionum, & scientiæ thesauros? Parum dico, cum in nostram Virginem tanquam in mare magnum, & spatiosum valde, veluti quandam omnium perfectionum immen C sitatem congregauerit. Et quid erit si propterea summa sapientia nostram Virginem, Mariam appellandam esse iudicauit? Etenim quod Virgo sic appellaretur, vna ex præcipuis causa (sicut ego quidẽ existimo) fuit, vt nobis sic clarissimè demonstraretur, quòd Virgo, ideò dicitur Maria, quia sicut in mari est omnium aquarum congregatio si in ipsa est maxima omnium tùm gratiarum, Simile. tùm perfectionum, & virtutum congregatio: ac propterea quod Simile. sicut in Genesi congregationes omnium aquarum à Deo vocatę Gen.1. fuerunt Maria: sic congregatio omnium gratiarum, omnium perfectionum, & omnium virtutum vocanda erat Maria, quæ sola D per se efficit magnam quãdam omnium perfectionum abyssum: quas tamen humillima Virgo sibi ipsi nequaquam tribuebat, sed in Deum omnium illarum autorem, sic dicens gratulanter refundebat: Magnificat anima mea Dominum.

Qua etiam in re, non incongruè mari potest Maria assimilari. Nam in mare omnia flumina decurrunt, nec propterea mare terminos, & ripas suas transgreditur: sed flumina ipsa per occultas terræ venas ad capita fontium regrediuntur, & de matrice abysso

A cens erumpebat: Magnificat anima mea dominum. Quibus verbis quanta fuerit erga Deum ipsius Mariæ tùm gratitudo, tùm humilitas apertè satis nobis declaratur: si quidem Virgo nostra, nihil sibi passa retineri in eum magis vniuersa refudit, cuius in se beneficia sentiebat, & sentiendo publicè manifestabat, ac manifestando prædicabat.

CAP. VII.

Deus cur hominem fecit ad imaginem, & similitudinem suam:
B *Ipse cùm sit altissimus, quomodo magnificetur à nobis:*
Maria Virgo quomodo præ omnibus ipsum
Deum magnificauit.

Magnificat anima mea Dominum. Luc. 1.

CVM Hominem sui imitatorem Deus esse vellet, eum suæ imaginis sigillo, in ipso statim mundi principio obsignauit. Confirmat hoc nobis præ-
C clara Sanctissimi Papę Leonis autoritas, qui ser- Leo. Papa.
mone primo de ieiunio decimi mensis: Si fideliter, inquit, dilectissimi, atque sapienter creationis nostrę intelligimus exordium, inueniemus hominem, ideo ad imaginem Dei conditum, vt imitator sui esset autoris: & hanc esse naturalem nostri generis dignitatem, si in nobis, quasi in quodam speculo diuinę benignitatis forma resplendeat. Et ipso Leonę multò antiquior & Papa, & Martyr Anacletus in illa epistola, quam ad omnes ecclesias scripsit, ad rem istam, de qua agimus ostendendam longioribus (elegantissimis tamen) vtitur verbis. Ea
D vero sunt huiusmodi: sicut Deus creator, qui hominem ad simi- Anacle.
litudinem suam creauit, charitas est, bonus, iustus, atque mitis, & misericors, & reliqua virtutum sanctarum insignia, quæ de ipso leguntur: ita homo creatus est, vt charitatem haberet, vt bonus, & iustus: vt patiens, & mitis, mundus, & misericors foret: quas virtutes quanto plus quisquam in se ipso habet, tanto proprior Deo, & maior est: atque sui conditoris gerit similitudinem. Si vero quod absit aliquis per deuia vitiorum, & diuortia

criminum ab hac nobilissima sui conditoris similitudine deuius E
Psal. 84. aberrat, tunc fiet de eo, quod scriptum est, homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis, & insipientibus, & similis factus est illis. Quis maior honor potuit homini esse, quàm quod ad similitudinem sui factoris conderetur? Et eisdem virtutum vestimentis ornaretur, quibus & conditor? de quo legitur. Dominus regnauit, decorem indutus est: idest, omniũ virtutum splendore, & totius bonitatis decore ornatus. Vel quod maius homini potest esse dedecus, aut infelicior miseria, quàm vt hac similitudinis gloria sui conditoris amissa, ad informem, & irrationabilem brutorum, iumentorumque delabatur F similitudinem? Quapropter quisque diligentius attendat primæ conditionis suæ excellentiam, & venerandam Sanctę Trinitatis in seipso imaginem agnoscat, honoremque similitudinis diuinę, ad quam creatus est, nobilitatem morum, executionem virtutum, dignitatem meritorum habere contendat, vt quando apparuerit qualis sit, tunc similis ei appareat, qui se mirabiliter ad similitudinem suam in primo Adam condidit, mirabiliusque in secundo reformauit. Omnis igitur homo, qui ad imaginem Dei factus est, illum debet imitari, cuius ad imaginem conditus est: illius debet sequi vestigia, qui eum ad imaginem suam condidit. G
Huc vsque Anacletus, ex cuius verbis planè perspicimus, Deum, sui imitatorem hominem habere voluisse, atque ideo eum ad imaginem, & similitudinem suam condidisse.

Verum sufficere potuit hoc Deo? Hoc nè solo contentus est? Minime. Cum enim aliter in homine esse non posset dignitas diuinę maiestatis, nisi in ipso esset imitatio diuinę voluntatis, ideo Deo hoc satis non fuit, quòd hominem, sicut diximus, suę imaginis sigillo obsignauerit, ipsoq; tàm altè, & tàm tenaciter impresso, vt salua ipsius hominis natura, signaculũ illud, auferri nullo modo posset: Sed eum crebrò etiam admonere curauit, se Patrem H in cœlis habere Deum, vt vel sic patrem, quem imagine, & similitudine referebat, bonitate etiam, quantum in se esset, referre studeret. Hinc illud Dauid: Ego dixi dij estis, & filij excelsi omnes. Hinc etiam illud Pauli: Estote imitatores Dei, sicut filij charissimi. Hinc denique Christus cùm homines doceret, orare:
Psal. 80.
Ephe. 5.
Mat. 6. Sic ergo, inquit, vos orabitis: Pater noster, qui es in cœlis: quę omnia eò tendebant, vt homo, qui se Dei filium credit, & fatetur,

viueret

A viueret,quasi Dei filius: atque etiam vt actu,vita,moribus,& honestate tanto genitori responderet: simulque cognosceret nihil iam sibi esse commune cum terris, qui confitetur, genus sibi esse de cœlis.

Cognoscebant hoc quidem Sancti illi antiqui, & hoc cognoscentes,cœlestem vitam in terrena habitatione ducebant, illamq; Dei imaginem,quam in seipsis impressam gestabant, omnino illęsam conseruare pro curabant, in eoq; sic faciendo totam suam curam,& operam collocabant. Sicut enim illi,qui pręclaris vestibus induti sunt,omnem rem sordidam fugiunt,nè fortè coinquinent eas,& perdant gratiam,candoris,& decoris sui: Sic viri sancti,qui Dei imagninem, & similitudinem in anima susceperunt, sollicitè obseruabant, nè quid eam posset contaminare, scientes quia si contaminata fuisset in se sui creatoris, imago, ipse quidem in sua natura in commutabilis permaneret,sed contaminatio imaginis, in iniuriam ipsius conditoris redundaret. Simile.

B

Verum licet sancti,tanta,tamque peruigili cura solliciti essent pro Dei imagine in seipsis illæsa conseruanda: tamen fieri non potuit,quin ipsa Dei imago aliquas in illis sordes aliquando contraxisset: id, quod adeo verum est, vt nullus fuerit inter eos, in quo hæc Dei imago, originalis labe peccati, non fuerit aspersa: nec ab hac remansit illæsus in matris vtero sanctificatus Ioannes: Ioannes, inquam, cui (sicut 3. par.q̃ō.27.artic.6. asserit D.Thomas)post suam sanctificationem præstitum fuisse creditur,vt diuina eum gratia protegente, mortaliter nunquam peccaret. Neque hoc solum contentus videtur fuisse Ioannes: Sed sicut de ipso dicitur (id, quod ad maximam etiam ipsius laudem spectat) nè leui saltem maculare vitam famine posset, petijt antra deserti teneris sub annis,fugiens ciuium turmas. Sic Ioannes sui in se creatoris imaginem illæsam conseruare procurabat. Veruntamen nec ob id,eam ab aliquibus venia lium peccatorum maculis (etiam si leuissimis) omnino conseruauit immunem. Nam hoc solùm nostræ Virgini seruabatur,quæ sola post filium,nullam peccati (nec venialis quidem) maculam cõtraxit: vt vel sic totũ illud in ea plenissimè adimpleretur, qđ dicitur. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. O candidissimum nostræ Virginis animum. O speculum purissimum, & verè sine macula, in quo sui imago creatoris ita semper lucidissimè renitebat, vt à nullo ipse

C D.Tho.

D Can. 1.

omnium creator, non dico magnificari, ſed neque dignius exaltari, & ſanctificari vnquàm potuiſſet, quàm à Maria, cui ſoli propterea datur, in ipſius laudẽ decantare: Magnificat anima mea dñm. E

Non ignoro Deum in ſeipſo, nec magnificari, nec exaltari, nec ſanctificari poſſe. Quomodo enim aut exaltabitur altiſsimus, aut ſanctificabitur ſanctiſsimus, aut magnificabitur magnus Dominus, & laudabilis nimis? Abſit, abſit, vt quidquam tale de Deo noſtro, non dico, credamus: ſed neque etiam cogitemus. Non enim is eſt, qui in ſeipſo aliqua indigeat, tam exaltatione, quàm etiam ſanctificatione, aut magnificatione. Verum Dominus iſte, qui hęc omnia habet in ſe, ea etiam vult habere in nobis, F in quibus etiam ex altari, ſanctificari, & magnificari deſiderat.

Sed quomodo inquies hoc fiet? Quomodo? Hoc modo. Si altiſsima, de altiſsimo credamus: ſi ſanctiſsima de ſanctiſsimo cogitemus, & ſi magnificentiſsima de magnificentiſsimo prædicemus. Vt vero hoc ex ſanctorum patrum autoritatibus clarius innoteſcat, horum vnum imprimis in mediũ adducemus D. Fulgentium, qui libro 2. ad Traſimundum regem cap. 2. Quid eſt autem, inquit, Dominum exaltare, niſi quæ altiſsima ſunt de altiſsimo credere? Sic in nobis verè exaltatur, quando eum exaltamus, cum ſit ipſe ſemper altiſsimus: Sicut in nobis ſanctificatur, G quando eum ſanctificamus, cum ſemper ipſe maneat Sanctus. Nam beatus Petrus admonet dicens: Dominum vero Chriſtum ſanctificate, in cordibus veſtris. Quid eſt autem Chriſtum ſanctificare, niſi de Chriſto, quæ ſancta ſunt cogitare? Quæ cogitatio non illum, ſed nos ſanctificat, & ſanctificando conſeruat.

D.Fulg. — 1. Pet. 3.

Et D. Cyprianus ſermone de oratione dominica, ſuper illa verba: ſanctificetur nomen tuum: Non quod optemus, inquit, Deo, vt ſanctificetur orationibus noſtris: Sed quod petamus ab eo, vt nomen eius ſanctificetur in nobis. Cæterum à quò Deus ſanctificatur, qui ipſe ſanctificat? Sed quia ipſe dixit: Sancti eſtote, H quia ego Sanctus ſum. Petimus, & rogamus, vt qui à Deo ſanctificati ſumus, in eo, quod eſſe cœpimus perſeueremus. Et hoc quotidie deprecamur: opus eſt enim nobis quotidiana ſanctificatione, vt qui quotidie delinquimus delicta noſtra, ſanctificatione aſſidua repurgemus. Hæc D. Cyprianus.

D. Cypr. — Leuit. 20.

Ab hac D. Cypriani ſententia, non multum ſanè diſſentit D. Chryſoſtomus Hom. 14. operis imperfecti in Matthæum.

quo

A quo loco sic dicit: Quomodo sanctificatur ab homine, qui sanctificat homines? aut quod sanctum est, vt quid sanctificatur? Sed in se quidem sanctum est, hoc autem quæritur, vt sanctificetur in nobis: idest, vt nos illum sanctificemus in nobis: vt cùm nos illum sanctificauerimus in nobis, tunc ille nos sanctificet in se. Nam qui non sanctificat Deum, non sanctificatur à Deo: sanctificamus autem Deum in nobis, quando scientes eum sanctum, timemus, & sollicitè vigilamus, ne fortè violemus sanctitatem nominis eius in nobis, per opera nostra mala. De Dei sanctificatione hunc etiam in modum D. Chrysostomus.

B Ad videndum autem, quomodo etiam Deus magnificetur à nobis, sufficere quidem possent ea, quæ à nobis in superioribus dicta sunt, ibi enim iam ostendimus Deum à nobis tunc magnificari, quando animam nostram, quæ ad imaginem Dei formata est, maiorem bonis operibus, & virtutibus facimus in nobis. Vnde cum Virgo beatissima, cæteris omnibus multo perfectius ea omnia habuerit, quæ requiruntur ad ipsum Deum nō solum exaltandum, ac sanctificandum: sed etiam magnificandum consequens est, vt affirmemus, neminem fuisse, qui illa melius Deum, non dico, sanctificasset, exaltassetque: Sed neque etiam magnificasset. C Verum quia de sola domini magnificatione, hoc loco agere æquum est: atque etiam quia ipsam Virginem, sic dicentem audimus: Magnificat anima mea dominum. Ideo alijs omnibus interim omissis, hoc solum nobis adhuc videndum erit, quomodo Virgo ipsa, cæteris altius Dominum magnificauerit.

Hoc autem, vt rectius intelligatur, fingamus, si placet, aliquem colossum, ob oculos proponamus aliquam statuam immodicæ proceritatis, qualis erat illa Regis Nabuchodonosor, quæ altitudine cubitorum sexaginta ab ipsa scriptura sacra fuisse narratur. Et huic statuę paruum aliquod speculum si apponamus, nullum D dubium erit, quin parua admodum appareat. Rursus vero si ei aliud maius speculum apponamus, iam non sic parua, sed aliquantulum maior apparebit. Si vero aliud maius speculum, adhuc illi objiciamus, multo maior vt appareat, necesse est. Et tantò maior, quantò etiam maiora fuerint specula, quæ illi objiciuntur. Quæro igitur: hoc prouenit nè ex eo, quod collossus, & statua illa in seipsa crescat, aut decrescat? Minime quidem. Nec vllus sanę mentis hoc asseuerare audebit: quia hoc solum prouenit

Simile. Dan. 3.

ex ſpeculo, in quo ipſa ſtatuta repræſentatur, ſecundum capacita- E
Simile. tem ipſius ſpeculi tantum. Pari etiam modo cùm Sanctorũ animæ eſſent veluti lucidiſſima & nitidiſsima ſpecula, in quibus ipſius Dei imago, & ſimilitudo relucebat, non quidem ſecundum totam ſuam magnitudinem: Sed ſolùm ſecundum capacitatem tantum vniuiuſque ex ipſis, hinc erat, quod ſecundum maiorem, aut minorem gradum perfectionis, & ſanctitatis ipſorum, plus, aut minus referebant ipſius Dei imaginem.

Vnde (vt ego quidem exiſtimo) in vtroque Ioanne Baptiſta, & Euangeliſta, tanto altius Dei imago, & ſimilitudo reſplendebat: quantò ipſi præcæteris maiori tùm ſanctitatis, tùm amoris F
prerogatiua refulgebant. Verum in noſtra Virgine, quæ erat non ſolum lucidiſsimum, ſed etiam pluſquàm lucidiſsimum ſpeculũ, in quo nihil aliud vnquam videbatur, quàm expreſsisſima, & viuacisſima ipſius Dei ſimilitudo, & imago, non referebatur Deus ſicut in Baptiſta, & Euangeliſta: nec ſicut in omnibus ſanctis ſi-
Heb. 1. mul. Sed referebatur in illa, quaſi in filio, in filio, inquam, qui ſolus eſt ſplendor glorię, & figura ſubſtantię eius. Ad quem glorię ſplendorem, & figuram ſubſtantię ſola Maria immediatè accedebat, cuius ſola anima, & non tantum anima, ſed & corpus etiam (poſt corpus, & animam ipſius filij Dei, & ſui) pul- G
cherrima, & nobiliſsima exiſtebant. O quanto ſplendore, quanto nitore, quanta luce, & quanta ſimul gloria, in iſto nitidiſsimo Marię ſpeculo diuina illa imago irradiabat. O quàm magnum, quàm perfectum, quàm pulchrum, & quàm glorioſum Deus ipſe in Maria omnium oculis ſe ſe exhibebat. O quàm altè etiam, quàm eximie, quàm vehementer, & quàm glorioſè denique diuina illa Marię anima Dominum ſuum magnificabat.

Magnificarunt, fateor, & valdè magnificarunt Dominum iſtum, omnes aliorum animę ſanctorum: Sed iſtorum ma- H
gnificationes, quid ſunt, ſi cum Marię magnificatione comparentur? Certè nihil, aut quaſi nihil. Et hinc eſſe iudico, quod Spiritus Sanctus Virgini non permiſit, quod alio modo ſuę erga Dominum animę magnificationem declararet, quàm iſto: Magnificat anima mea Dominum. Vt apertè ſignificaret tantùm diſcriminis eſſe, inter magnificationem Marię, & omnium aliorum, quantum eſt inter hoc verbum, magnificat, ſic in præ-

ſenti

A senti potius, quàm in præterito, aut futuro tempore significatum. Nam de omnium aliorum sanctitate, & magnificatione, non immeritò, sicut credo, dici potest, quod fuit sanctitas, & magnificatio de præterito aut de futuro, qui de non sanctis, ipsi à Deo facti fuerunt sancti: at in Mariæ sanctitate, & magnificatione nihil vnquam fuit, aut præteritum, aut futurum, sed totum præsens. Et ideo vt hoc ita esse significetur, non vult Spiritus Sanctus, quod de præterito, aut de futuro loquens dicat, magnificauit, aut magnificabit: sed de præsenti tantum: Magnificat anima mea dominum.

B

CAP. VIII.

Maria tantam ipsius Dei similitudinem referebat, vt opus esset, nè circa illam mundus deciperetur, quod Spiritus Sanctus, & Christus aduerterent, Mariam non esse Deum.

Magnificat anima mea Dominum. Luc. 1.

C

INTER Omnes Sanctos, tàm veteris, quã noui testamenti, ille, qui plus omnibus Deũ magnificauit: hoc est, qui plus Deum in se magnũ ostendit, fuit (vt mihi quidem videtur) D. Ioannes Baptista; Nam vltra hoc, quod coram domino, & non coram hominibus tantum, ab Angelo magnus futurus Zachariæ patri suo prædicebatur: tanta virtutum gloria, in omnium oculis clarus existebat, vt pro mira suarum virtutum operatione, à Iudæis Christus esse crederetur, Luc. 1.
D apud quos cùm multas Ioannis laudes Christus prædicasset, ne ipsi Iudæi propter eas, talem de Ioanne opinionem animis suis imbiberent, vt Christum, illum esse existimarent, opus fuit Christo (vt ita dixerim) & pro suo honore tunc temporis zelare; & cęcos Iudæos à tàm impio errore reuocare. Et ideo inter alias laudes, quas cœpit dicere ad turbas de Ioanne. Amen, inquit, dico vobis non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista: qui autem minor est, in Regno cœlorum maior est illo.

Hoc autem perinde erat, ac si Christus diceret: Scio optimè E o Iudęi, quam opinionem de Ioannis sanctitate, & magnitudine habeatis: neque ego hoc vobis diffiteor, immo affirmanter vobis dico, inter natos mulierum nullum vnquàm ipso Ioanne Baptista maiorem surrexisse. Vnde non erratis talia de illo credendo: Verumtamen nè fallamini plus debito illi tribuendo, opus est quod credatis, & om-ino cognoscatis, quod ego, qui secundum vestram opinionem illo minor sum, in Ecclesia Sanctorum illi prælatus sum. Sum etenim nunc minor, & quatenus Ioannes ipse prior me natus est, & quatenus etiam ipse me maior esse videtur, ego vero illo minor vobis uideor: Verumtamen illic ego F maior sum. Itaque ut ex his Christi verbis colligitur, ipsius Christi intentum erat, Iudæos ab errore omnino reuocare, nè Ioannem de quo tantam opinionem habebant, Deum esse existimarent.

Et non solum Christo domino hoc curæ fuit, sed etiam æterno eius Patri necessarium visum fuit, pro dilecti filij sui honore, tunc zelare, quando in Iordane ab ipso Ioanne Christus baptizatus est. Nam (sicut autor est D. Gregorius Neocæsariensis oratione de Epiphania) Iudæi, qui tunc vel aderant, vel propè, aut procul erant, inter se sic dicentes colloquebantur. Haud G frustra Ioannem esse Christo præstantiorem suspicabamur. Haud frustra illum, hoc esse excellentiorem putabamus. Non nè baptisma hoc Ioanni priores partes ascribit? Nonne ille, vti præstantior baptizauit? Hic autem vt inferior est baptizatus? Cum autem Iudæi hęc, & his similia inter se sermocinarentur: tunc Pater pro filio zelare decreuit, sicut his verbis ostendit, idem Gregorius loco citato. Hęc illi, inquit, dum inter se iactarent dispensationis mysterium ignorantes: ille, qui solus est Dominus, & natura Pater vnigeniti, qui solus exquisitè nouit eum, quem vnicum genuit, falsas Iudęorum cogitationes redarguens, H cœlorum fores aperuit, & in columbę specie Spiritum Sanctum demisit super caput Iesu: ac de cœlo ipse vehementer exclamãs: hic est, inquit, filius meus dilectus: Ille Iesus, non Ioannes: qui baptizatus est, non qui baptizauit: qui ex me genitus est, ante omne temporis spatium: non ex Zacharia, sed ex Maria genitus secundum carnem: Non qui ex Elisabeth pręter spem, sed qui ex Maria eius virginitate minime læsa, sine semine fructus

D. Grego. Neocæs.

apparuit

A apparuit, non ex solutæ sterilitatis ramo: qui vobiscum versatus est, non autem in deserto educatus: hic est filius meus dilectus, in quo mihi compiacui: filius consubstantialis, non autem alterius substantiæ: consubstantialis mihi in eo, quod non videtur: consubstantialis vobis in eo, quod oculis cernitur absque peccato: hic est filius meus, dilectus, in quo mihi complacui: Non alius est filius meus, & alius Mariæ filius: Sed hic est filius meus dilectus, qui & oculis & mente conspicitur: hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite. Si dixerit, qui videt me, videt & patrem, ipsum audite: Si dixerit, qui B misit me maior me est dispensatione: vocem eius suscipite: Si dixerit, quem me dicunt homines esse filium hominis? respondete illi: tu es filius Dei viuentis. His verbis de cœlo terribiliter à Patre profectis illuminatum est hominum genus, vt creatoris, & creaturæ Regis, & militis, opificis, & operis discrimen agnoscentes, & fide confirmati per Ioannis baptisma, ad eum, qui Spiritu, & igne baptizat accederent. Hæc Gregorius Neoçesariensis, ex quibus manifeste patet, quàm sedulo pro filij honore Pater zelauit, hominesque ab errore reuocauit, ne Ioanem, ipsum Christum esse putarent.

C Sed idem quoque videtur fecisse Euangelista Ioannes, qui postquàm tanta spiritus sublimitate vnigeniti Dei filij æternam nobis generationem aperuit, Ioannem mox collaudare incœpit. Sicut enim aquila, quæ ab acumine oculorum sic dicitur, celeri volatu in maximam aeris altitudinem se se attollit: indeque irreuerberato oculo, ac visu solem intuetur: cùm postea ad terram descendit, non nisi supra altiorem montem conquiescit: sic hæc regia aquila Euangelista Ioannes, alta cœlorum conscendens, postquam tanta Spiritus sublimitate, in vero iustitiæ sole in conniuentes oculos defixit, & diuinę generationis arcana tàm D profunde penetrauit, ad terras iterum rediens, non requieuit, nisi supra maiorem Sanctum, quem vnquam mulier generauit. Et ipsum sic laudare incipiens, fuit, inquit, homo missus à Deo cui nomen erat Ioannes, & nè propter illa, quæ de Ioanne dicebat homines in aliquem errorem inducerentur, solerter statim adiecit: Non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine. Ac si diceret hic Ioannes, quem ego tantùm mundo prędico, & quem à Deo missum fuisse pronuntio, non erat Deus,

Simile.

Ioan. 1.

non

non erat Christus, non erat Messias, non erat lux per quam homines erant illuminandi: Non erat ille lux. Quid ergo erat? Erat testis lucis, luminis illius demonstrator, quod datum erat ad illuminationem, ac reuelationem gentium: Vt testimonium perhiberet de lumine. Talis, tantusque erat Ioannes, tantùm in se suũ Dñm magnificabat, tàm expresse diuinam in se similitudinẽ referebat, vt opus esse Euãgelista indicaret, ne totus mundus collaberetur, ipsum mundum admonere, Ioannẽ non esse lucem, nõ esse Christum; sed tantum interesse inter ipsum, & lucem, inter Ioannem, & Christum; quantum interest inter lucem, & illum, qui de luce loquitur, aut de ipsa testimonium perhibet. E

Sed quorsum hæc ita ad longum de Ioanne? Non alia sane dè causa, nisi vt ostendamus, quantò illo excellentior fuerit Maria, in qua tanta cum vera luce conformitas fuit, & affinitas, vt multis ante seculis, quã ipsa nasceretur, opus esset, quod Spiritus sanctus aduerteret Mariam nõ esse Solem, sed electam, vt Solem. Neque hoc solum satisfuit, sed antequam à Salomone spiritu prophetico, vt sol electa Maria diceretur, pulchra vt Luna fuit appellata. Pulchra vt Luna, electa vt Sol. Quod idem est, ac si apertius diceret. Nemo iam ex nunc fallatur, nemo decipiatur, nemo infraudem inducatur cùm Virgine de qua tanto ante iubeor prędicere, ipsam fore electam vt solem: quia licet ipsa electa sit, vt sol, tamen natura non idem est quod sol. Cuius rei vel hoc signum sit, ꝙ pulchrã vt Lunam eam prædico. Sicut enim Luna lucet quidẽ, & illuminat, sed tamen luce non sua, sed ab ipso sole accepta: ita etiã Virgo ista hoc ipsum, quod tàm lucida est, non à se habet, sed à Deo. F

Cant. 6.

G

Simile.

Ecce qũo Spiritus sanctus tanto ante pręuidit, ne propter Virginem mundus, in immane præcipitium totus iret. Cum enim (vt D. Anselmi verbis vtar) ea puritate Maria niteret, qua maior sub Deo nequit intelligi: nisi Spiritus sanctus aduertisset, & nisi etiam fides obstitisset, non solum in Iudæa, vbi à lippientibus, cæcutientibusque, immo omnino cæcis Iudæis Ioannes Christus credebatur: sed etiam in toto terrarum orbe pro Deo Maria haberetur. Et quid, quæso, esset de magno illo Dionisio Areopagita hanc expressissimã Dei imaginem suis oculis conspiciente? Quid inquam de illo esset, nisi vera de Deo fides illi obstitisset? Certe, sicut ipsemet fatebatur, pro Deo Mariam habuisset. Mariam dico, cuius gratia per multi in tantam amentiam, & insaniam deuenerunt,

D. Ansel.

H

A uenerunt, vt eam non tanquam Dei matrem solum suspicerent: sed pro Deo etiam introducerent, sicut facile patebit intuẽti apud D. Epiphanium contra hæreses hęresi 78. quo loco sic dicit Epiphanius: Quemadmodum autem dicimus, nos hoc audiuisse, quosdam ita ausos fuisse, vt facillime se ipsos proiecerint in peccatum: sic admirati sumus, cum aliud rursus audiuissemus, alios nimirum rursus ita decipere, vt in tractatione de ipsa sancta semper Vergine, pro Deo hanc introducere studuerint, & adhuc studeant, & furore quodam, ac amentia ducantur. Ex quibus Epiphanij verbis abunde satis colligitur, quam stolide isti de Maria B opinari ausi fuerint, quos magis circunspectos esse oportebat erga Virginem, quam ausu tàm temerario pro Deo introducebant. D. Epipha.

Hoc autem ideò hoc loco recensuerim, vt inde quotusquisque optime intelligat, nostram Virginem tantam cum ipso Deo habuisse conformitatem, tamque expresse sui in se creatoris imaginem, ac similitudinẽ repræsentasse, ac Dominum ipsum magnificasse, siue magnum ostendisse, vt pro Deo ab illis solum non haberetur, quos diabolus fide Christi armatos inueniret: & quia eximia Mariæ sanctitas, & perfectio Diabolo ansa futura erat, C ad decipiendos miseros mortales, propterea Christus Dominus, vt eos præmuniret, nè Mariæ matri suæ diuinitatem tribuerent, sub mulieris nomine eam non nunquam nominauit. Et præsertim apud Ioannem, vbi Christus cum beatissima Virgine, & matre sua loquens dixit: Quid mihi, & tibi est mulier? Nondum venit hora mea. Ioan. 2.

Huius rei locupletissimus testis nobis etiam existit præallegatus à nobis D. Epiphanius contra hæreses hæresi 79. vbi in huius rei confirmationem, eundem Ioannis locum adducens, sic dicit: Reuera sanctum erat corpus Mariæ, non tamen Deus: Reuera Virgo erat ipsa, virgo & honorata: sed non ad adorationem nobis data: sed ipsa adorans eum, qui ex ipsa, carne genitus est, de D cœlis vero ex finibus paternis accessit. Et propterea Euangelium munit nos dicens: quòd ipse Dominus dixerit: Quid mihi & tibi curæ est mulier? Nondum venit hora mea. Quò non putarent aliqui, magis eximiam esse sanctam Virginem, mulierem eam appellauit. Velut prophetans, quæ futura essent interris, sectarum, atque hæreseon gratia, vt nè aliqui nimium admirati sanctam, in hanc hęresim, eiusque deliramenta dilabantur. Ecce quomodo D. Epiph.

etiam

etiam ex sententia D. Epiphanij Christus Dominus etiam prouidit, nè in talem homines errorem inciderent, vt pro Deo Virginem adorarent. E

Quod si etiam, præsentia ipsius Virginis verba altius velimus perscrutari, non admodum difficile nobis erit: hoc ipsum ex illis aliqua ex parte demõstrare. Nã cum pijssima, & humilissima Virgo videret se, à cognata Elisabeth tantopere laudatam, & ab ipso Deo ad tantam dignitaté exaltatã, qua sub Deo maior non potest reperiri, in suorũ bonorũ largitoré cuncta referens dixit: Magnificat anima mea Dominũ. Quatenus ex hoc tam præsentes, quam futuri omnes intelligerent, gloriã, & honoré soli Deo esse tribuenda, cui ipsa his suis verbis ea tribuebat, cuiq; ex toto corde, & ex tota anima pro acceptis tantis beneficijs, non solum gratulabatur: sed etiam illũ suũ esse Dñm, & se eius humilé ancillã ingenue fatebatur: vt vel sic nulla iam circa se errandi hominibus relinqueretur occasio, cum illa supra se Dominum recognoscat. F

CAP. IX.

Maria quantum Deo simillima. Ipsa nouum modum magnificandi Deum, in mundum inuexit. Peccatores in seipsis, quam paruum, & vilem Deum ostendunt. G

Magnificat anima mea Dominum. Luc. 1.

NEmo mirari debet, propter ea, quæ de nostra Virgine à nobis in superioribus dicta sunt, vt eximiam eiusdem Virginis tùm pulchritudinem, tùm mirabilé cum Deo similitudinem ostenderemus. Est enim (sicut autor est peruetustus pariter, ac laudatissimus scriptor Arnobius cõmentario in Psal. 81.) Hoc Deo simile in hominibus, quod ea, quæ Deus naturaliter possidet, homo per imaginé suscipit, tanto plus similaturus, quãto fuerit amplius suis moribus, eius similitudiné imitatus. Et ideo cũ præ cæteris puris creaturis sola Maria, Deum suis moribus perfectius fuerit imitata, nullus fuit, qui illa melius Deũ ipsum similauerit: Deum, inquam, in quem, totam Mariam, propter eius egregiam pulchritudinem, crederes transformatam. H

Arnob.

Sicut

A Sicut enim modica aquæ gutta, multo vino infuso à se tota deficit, viniq; saporem, & calorem induit: ferrum candens pristina, ac propria forma exuitur, & igni simillimum efficitur: solis radio aer perfusus in eandem transformatur luminis claritatem: & speculum radijs solaribus directe irradiatum, solis in se recipit similitudinem, idq; putares alterum esse solem: ita etiam Virgo sanctissima Dei claritate in intimo suo totaliter irradiata, sic est deiformis effecta, atque in ipsius Dei similitudinem transformata, vt iam non posset nisi de Deo loqui, nisi Deum magnificare, & hoc non corde, non ore, non labijs, non lingua: sed spiritu, sed anima Simile.

B Magnificat anima mea Dominum.

Id, quod de nullo alio, in tota diuina scriptura scriptũ reperies, quàm de Maria. Euolue, & reuolue, vide, & reuide, si placet, vniuersam sacram tam veteris, quàm noui testaméti paginam, & neminem inuenies, qui dominum hoc modo magnificauerit præter Mariam, quæ sola hanc nouam artem, & hanc nouam doctrinam in mundum inuexit: & homines docuit, hoc tàm nouo, tamq; inusitato modo, dominũ suum magnificare. Nam alij, non nisi tympanis, canticis, & laudibus: non nisi corde, ore, lingua, & labijs dominum solebant magnificare: sola vero Maria nequaquam talibus

C vtitur instrumentis: sed cum per fidem, & dilectioné vnus iam cum Deo esset spiritus omnino effecta, nõ aliter quàm spiritu, & anima dñm magnificat. Magnificat anima mea dominum.

O fœminam fęlicissimam. O Virginem prudentissimam. Vtinam ex te illi Virgo ediscerent, qui erga hunc dominum sic sese gerunt, vt potius illum paruifacere, quam magnum facere, & magnificare videantur. Hoc autem de illis dixerim, quorum ita sunt peruersi mores, praua natura, & vita corrupta, vt non magnum dominum, sed paruum, sed vilem, & quod magis est, sibi omnino similem, in seipsis ostendãt. Non quidem quod in seipso dominus

D talis sit, sed quia eius imago in istis est omnino deformata, atque omnium peccatorum sordibus obrupta, & omnino obscurata.

Vt enim quando speculum est obnubilatum, & multis maculis refertũ, nulla potest in eo facies, quantumcunque pulchra ipsa sit, talis videri: sed similiter obnubilata, & maculata apparet, & omnibus illis maculis referta, quæ in speculo videntur: sic etiam in istis, qui in se Dei imaginem habent omnino obscuratam, culpisque, & peccatis penitus obtenebratam, Deus ipse qui summa Simile.

est

est pulchritudo omnino deformis, & obscurus apparet, illis pręsertim, qui nullam ipsius dei cognitionem habẽt: qui omnes cum tales vident non solum nomen dei blasphemant, cum vident illos male viuere, qui nomen sanctitatis habere debebant: iuxta illud Pauli: nomen dei per vos blasphematur inter gentes: quem Pauli locum exponẽs D. Petrus Chrysologus sermone 69. Et reuera, inquit, filij nunc gentilis nomini derogat Christiano, quãdo aliter, quàm profitetur, & dicitur, viuere viderit Christianum. E

Rom. 2. D. Petrus Chrys. l.

Vnde dico, quod isti, qui dei cognitionem non habent, non solum nomen dei blasphemant: sed etiam (id, quod multò peius est) talem ipsum deum esse existimant, quales illi sunt, quos vident male viuere. Quod vero hoc ita sit ex D. Gregorij Nicessení sententia clarissime liquet, qui in suo Hexameron hac de re in hæc verba scribit. Qualem vitam inter nos viderit is, qui non dùm fidei rationem acceperit, tale nostrum quoque numen esse existimabit. Sic Gregorius. Et reuera ita esse nemo sanè est, qui dubitet. Quemadmodum enim Regis decor, & pulchritudo ab his, qui nunquam eum viderunt, ex decore, & pulchritudine suæ imaginis colligitur: Vnde si Rex sit speciosus, & decorus; tamen si ipsius imago turpis est, & deformis, talis ipse Rex esse iudicatur, qualis est & imago, in qua ipse repræsentatur: sic etiam illi, qui dei cognitionem nunquam habuerunt, talem ipsum deũ esse existimabunt, qualis est eius imago, quam in pessimus Christianis omnino deturpatam conspiciunt. F G

D. Greg. Nicess.

Simile.

O homines perditissimos: conqueritur, & optimo iure conqueritur de talibus deus ipse per prophetam Isaiam sic dicens: Cui assimilastis me, & adæquastis? comparastis me, & fecistis similem? Nam licet dominus his verbis, in eos præcipuè inuehatur (id, quod glossa etiam ordinaria adnotauit) qui tempore Achaz, & Ezechiæ idola coluerunt in angulis platearum, in hortis, & in lucis super domos: tamen non in congruè in eos assumi possunt, qui mali cùm sint, vel sibi deum assimilant, vel eius gloriam tribuunt rebus illis, quas præ cæteris maximè diligunt. Vt enim autor est D. Basilius Homilia 17. in Psalmum 28. Vnusquisque quod præ omnibus magis amplectitur, ei gloriam dei tribuit. H

Isa. 46.

D. Basil.

Ex his omnibus aperte satis colligitur, quantum nostræ Virgini laudis debeatur, in qua ipsius dei imago suum splendorem,

&

A & nitorem nunquam amisit: sed semper suam gratiam, & pulchritudinem ita conseruauit: vt illa melius nemo diuinum illud in se referret exemplar, ad cuius omnes sumus similitudinem efformati. Hoc autem quantam creatoris redundet ad gloriam, optimè Virgo, immo Spiritus sanctus per Virginem significauit, cum dixit: Magnificat anima mea dominum.

CAP. X.

Maria Deum in se ipsa multò maiorem repræsentauit, quam omnes
B *puræ creaturæ.*

Magnificat anima mea Dominum. Luc. 1.

TRes sunt personarum status, in quibus Deus pro ipsarum differentia personarum diuersimode sese ostendit: sunt enim quidam in quibus non magnus, sed paruus Deus ostenditur: sunt alij medij, in quibus nec admodum magnus, nec par-
C uus Deus conspicitur: sunt deniq; alij, in quibus non tantum magnus, sed valde magnus Deus ipse videtur.

Hæc vero vt melius intelligantur, tres speculorum differentias in medium adducemus. Nam ex speculis, quædam sunt rotundæ, & prominentis figuræ: quædam figuræ planę: quædam deniq; figuræ nec prominentis, nec planę: sed concauæ. Quemadmodum ergo illa, quæ in speculis figuræ rotundæ, & prominentis repræsentantur, licet magna sint, parua tamen apparent: & tantò magis parua, quantò specula prominentiora, & rotundiora fuerint: sic etiam in nonnullis Deus non magnus, & exi-
D mius: sed omnino paruus, & exiguus apparet: & tantò magis paruus, quantò quisque fuerit superbior & elatior. An non satis paruus, & exiguus Deus in superbo repræsentatur? Quis de hoc dubitet? superbus enim tanquam alter filius perditionis: Aduersatur, & extollitur (sicut ait D. Paulus) supra omne id, quod dicitur Deus, aut quod colitur. Et quid hoc tantùm dico de superbo? Vnusquisque ex superbis non solum extollitur supra Deum, sed ipsum omnino negat, sicut fecit ille insipiens dè quo dicitur:
Dixit

Simile.

2. Thess. 2.

Psal. 13. Dixit insipiens in corde suo, non est Deus. Et quis iste est insipiens, qui hoc dicit in corde suo? Ille qui sic vitam agit, tanquàm non sit Deus, quique desiderijs suis, & non Deo obedit. Itaque in his talibus, vel Deus omnino non apparet, vel paruus admodum conspicitur. E

Sunt præterea alij medij, sicut diximus, in quibus Deus, nec omnino paruus, & exiguus: nec magnus, & eximius in summo; Sed medio quodam modo repræsentatur. Et huiusmodi sunt omnes viri sancti. Sicut enim in speculis figuræ planæ, repræsentantur res, nec omnino paruæ, nec totaliter magnæ: Sed mediocriter magnæ: sic in istis Deus, nec omnino paruus, nec omnino magnus, sed tantum mediocriter magnus repræsentatur, diuerso tamen modo pro ipsarum virtutum diuersitate in vnoquoque. F

Simile.

Sunt denique alij, in quibus Deus, non iam paruus, & exiguus: nec medio quodam modo magnus, & eximius, sed omnino, & simpliciter magnus conspicitur. Huiusmodi sunt, tàm Christus Dominus, quàm eius mater sanctissima. Sicut enim in concauis speculis videntur res multo maiores, quàm in alijs speculis: Sic imprimis in illo homine Christo, in quo habitabat omnis diuinitatis plenitudo, Deus & repræsentabatur, & erat secundum totam suam magnitudinem. Deinde vero in Virgine matre, non quidem eodem modo, sed alio, huic tamen propinquiori, quàm aut inueniri, aut excogitari poterat, in omnibus puris craturis. G

Simile.

Simile. Sicut enim Virgo sanctissima per humilitatem erat magis con caua, quàm omnes aliæ puræ creaturæ: sic etiam multò maiorem in se Deum repræsentabat, quàm illæ. Repræsentarunt, ac magnificarunt, fateor, & non nego, Deum ipsum alij Sancti seipsos sub Deo ipso captiuantes, & valde humiliantes: Verum quia Virgo præceteris seipsam humiliauit: ideo cæteris altius Dominum magnificauit. Et ideo sicut nulli alij concessum fuit, taliter Deum posse magnificare: sic etiam nulli alij datum fuit, hanc magnifiationem excellentiori modo posse extollere, quàm illi: Vnde & dicit: Magnificat anima mea dominum. Hoc autem sicut iam supra diximus, de nullo alio in vniuersa sacra scriptura reperimus, quàm de Maria, cui soli hoc tanquam speciale priuilegium seruabatur. H

CAP.

A

CAP. XI.

Mariæ laudes, quæ ex maximo sui cordis affectu procedebant, omnium fuerè eccellentissimæ: tantaque eius vocis dulcedine Deus capiebatur, vt ipsam, vt sibi caneret, inuitaret.

Magnificat anima mea Dominum. Luc. 1.

B Iximus supra, magnificare hoc loco duobus modis accipi posse: nempe, pro eo, quod est, Deum bonis operibus in se magnum ostendere: & pro eo etiam, quod est, Deum laudibus prædicare. Quia vero in præcedentibus satis iam egimus de primo magnificādi modo, quo Maria præ cœteris omnibus Dominum magnificauit: Nunc consequens est, vt de secundo etiam, qui est huius loci magis proprius nonnihil dicamus, ostēdamusque quàm excellenter Virgo ipsa hoc etiam modo Dominum suum magnificauerit.

Ad debitam, perfectamque laudem tria requiri adnotauit D. Bonauentura super hunc locum. D.Bonau. C Quorum primum est laudantis affectio: secundum laudandi ratio: tertium modus diuinæ laudis. Hęc vero tria ad perfectam laudem ita necessaria esse, asserit idem D. Bonauentura, quod sine illis perfecta laus esse non possit. Non enim est, inquit, perfecta laus, nisi adsit debitus affectus, debita causa, & debitus modus. Omnia hęc tria à Maria in hoc suo cantico, inuenimus maxime obseruata: in quo imprimis fuit maxima laudantis Virginis affectio: propter quam dicit: Magnificat anima mea Dominum. Deinde laudandi ratio, quam subindicat cum subdit: quia respexit humi- D litatem ancillæ suę. Tertio, & vltimo diuinæ laudis modus, qui in eo clarissime ostenditur, quod dicitur: Et misericordia eius a progenie in progenies timentibus eum. De istis duobus vltimis suo loco (Deo volente) nobis agendum erit: nunc vero circa primum tantum immorabimur, quod est laudantis Virginis maxima animi affectio.

Mellifluus Pater D. Bernardus in suis sententijs, tria enumerans, quæ in diuinis laudibus esse oportet, primum locum tri- D.Bernar.

buit laudantis affectioni. Oblatio inquit, nostræ laudis, quam D
Deo immolamus, triformis esse debet: affectuosa, vt mens concordet voci, fructuosa, ut ædificationem pariat intuenti, gratiosa, vt placeat conditori, qui gratis dedit. Ecce quomodo D. Bernardus primo loco laudantis assignat affectionem: dicitq; laudem ita affectuosam esse debere, vt mens concordet voci. Et reuera si laudantis vox mẽti nõ respondeat, nec mens voci,
Simile. talis laus omnino nihil valet. Quemadmodũ enim in coronis non satis est flores esse puros, nisi pura sit etiam manus ipsas coronas contexens: sic etiam in sacris hymnis, & in diuinis laudibus opertet non verba tantum esse pura, pia, & affectuosa, F
verum etiam animum hymnos, & laudes concinentem, talem esse oportet. Quomodo enim hymnorum cantus, & laus grata Deo esse poterũt si desit & cordis puritas, & deuotionis feruor? Nam in istis totius nostrę laudis valor, & perfectio continetur.

Chry. D. Chrysostomus in psalmum 112. Angelicam puritatem Dei laudatori necessariam esse ostendens, sic dicit: oportet itaq; Angelum fieri, & ita laudare. Ita Chrysostomus; nec immerito.
Simile. Quemadmodum enim Deus ipse voluit, vt super cœlestes illæ creaturæ, quas ipse ideo creauit, vt ab ipsis cõtinuę semper laudes sibi deferrentur, puræ essent, & ad diuinas semper laudes G
Psal. 103. accensę: iuxta illud: Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem: ita etiam vult, vt terrestres sui laudatores tales sint, hoc ipsum D. Paulo sic attestante, ac dicente: Spiritu feruentes Domino seruientes.

His & alijs similibus admonemur, a Deo non tam considerari substãtiam operum, & verborum, quę in eius laudem offerimus, quam deuotionem, feruorem, & charitatem, qua talia illi exhibemus. Minimum namque ac simplex verbum in Dei laudẽ magno feruore, & charitate exhibitum, maxima ab eo censetur laus: E contra vero innumera, & maxime ornata, ac perpolita verba negligenter, & tæpide pronuntiata, minimę Deo sunt laudes, qui non linguę elegantiam, nec verborum compositionem quærit: Sed cordis feruorem, & animæ polchritudinem requirit. H

Simile. Vt enim apud illos, qui se vnice diligunt, minima semper dona in magno pretio haberi solent, quia in illis, & cum illis, amicorum corda sibi simul data esse videntur. sic exi-
guæ

A quæ laudis apud Deum in magna æstimatione sunt, dummodo ex magno cordis affectu offerantur, quia ipse non tàm verbis, quam corde delectatur: & non tàm laude, quam amore ducitur, qui ad vnumquemque nostrum dicit: fili præbe mihi cor tuum. Si ergo Deus in minimis laudibus tantum delectatur, dummodo ex maximo cordis procedant affectu, quid putas, non summe delectaretur, omniũ, quæ vnquam fuerunt prẹstantissimis, & feruentissimis nostrẹ Virginis laudibus? quibus in eius auribus ipsa Virgo sic insonuit: Magnificat anima mea Dominum. Prou. 23.

B Crediderim sanè tantis Mariæ laudibus, tamq; suaui, & dulci ipsius Virginis cantu; Deum ipsum summè fuisse delectatum, ac eius voce maxime recreatum: ipse enim Mariam vt sibi canetet, tenerissimis verbis sic dicens inuitabat: Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Sed quænam est hæc facies ab sponso, in sua sponsa tantopere adamata? Quæ nam etiam est hæc sponsæ vox ab eo tantopere laudata? D. Bernardus super cantica sermone 62. Vox, inquit, admiratio in animo contemplantis, uox gratiarum actio est. Et post puca de facie sic inquit: Cant. 2. D. Bern.

C Hæc forma, quam videre desiderat, cum Ecclesiẹ dicit: ostende mihi faciem tuam, forma pietatis, & mansuetudinis. Quamuis autem loco citato mellifluus Pater sponsi verba sic exponat: nihilomnius tamen nobis multo magis placet ea eiusdem mellifluui Patris sententia, qua serm. 40. super eadem cantica, faciem pro mentis intentione, sub his verbis significat: Cogita animæ faciem, mentis intentionem, ex qua nimirum rectitudo operis, sicut ex facie pulchritudo corporis æstimatur. Simile.

Si ergo accipiamus vocem, prò gratiarum actione, & faciem pro mentis intentione, perspicuum nobis relinquitur,

D Deum ideo Mariæ voce, cantu, & laude tantopere delectari: quia talia concomitabatur decora & pulcra intentionis facies. Non enim tanta solius vocis suauitate Deus ipse caperetur, nisi ipsi simul ex vocis dulcedine, & ex ipsius faciei decore vnus concentus efficeretur. Quemadmodum enim in musicis, si vocum, aut chordarum harmonia fuerit consonanter aptata sonum suauem modulati carminis reddit: si vero aliqua est in vocibus, aut fidibus dissonantia ingratissimus sonus efficitur, & Simile.

totius cantici, & carminis dulcedo corrumpitur: ſic etiam ſi E
in his duobus, nempe, voce Virginis, & eius intentione eſſet aliqua diſſonantia in ſuauis omnino Deo eius cantus redderetur. At quia vox cõcordabat cum intentione, & intentio cùm voce, ideo Deo gratiſſimum ſonum efficiebat, in cuius laudem, non tàm vocis clamore, quàm cordis feruore ipſa Virgo concinebat. Magnificat anima mea Dominum.

CAP. XII.

Maria quali vocis ſono Deum magnificabat. Qualis conſideratio in Virgine amoris flammas excitabat. Nullius vox fuit, quæ Deum ita delectaret, ſicut vox Mariæ. F

Magnificat anima mea Dominum. Luc. 1.



Iximus ſuperiori capite Mariam, non tàm vocis clamore, quàm ipſius cordis feruore Dominum magnificaſſe: Non enim ea Maria erat, quæ incompoſite vocem eleuaret: ſed quod ore tam alte depromere non poterat, propter ſummam ſuam mo- G
deſtiam id corde clamabat, ac ipſius cordis maximo intra ſe cla
D.Proſp. more intonabat. D. Proſper in pſalmum 118. ſuper illum eiuſdem pſalmi verſiculum: Clamaui in toto corde meo exaudi me Domine, iuſtificationes tuas requiram: oſtendens quid ſit clamor cordis. Clamor, inquit, cordis eſt ſilenti ſono vocis magna cogitationis intentio. Talis clamoris voce Maria decantabat: talis laudis cantu Dominum ſuum magnificabat. Licet enim dulciſſima Domina ore caneret diuina ſibi præſtita beneficia: tamen ea aſſidua ſuæ mentis, cordiſque cogitatione
contemplans, in ſuis intimis dulcius reſonabat, ac eorum libe- H
ralisſimum largitorem, ſic dicens ſumme prædicabat: Magnificat anima mea Dominum.

D. Baſi. D. Baſilius homilia 20. in pſalmum 33. nonnullos modos tradens, quibus a nobis Dominus in noſtro interiori magnificatur, ſic dicit: Magnificat porro Dominum qui magna mente, & eleuato Spiritu tentationes pro pietate ſuſtinet. Deinde etiam, qui magna mente, & ſpeculationibus profundiſſimis

magni-

A magnitudines creationis cõtemplatur, quo ex magnitudine, ac pulchritudine creaturarũ, opificem ipsarum speculetur: quantò enim quis se amplius immerserit rationibus, iuxta quas facta sunt vniuersa, & secundum quas gubernantur, tanto magis magnificentiam Domini speculatur, & quantum in se est Dominum magnificat. Hæc Basilius. Si ergo Dominus ab eo tantum magnificatur qui creatoris magnitudinem magna mente comtemplatur: quomodo satis, & superque satis a nostra Virgine ipse nõ magnificaretur, quæ alta mente, & cogitationibus profundissimis nõ tàm creationis magnitudinem, quàm recrea-
B tionis amplitudinem speculabatur, & speculando clamabat. Magnificat anima mea Dominum.

Reuoluebat Virgo animo, & tacita secũ mentis altercatione versabat diuinum illud donum, quod acceperat, & propter illud suum Dominum tanto amplius magnificabat, quãto clarius cognoscebat tale donum, dona cætera tantum excedere, quantum donator excedit, & ipsa. Hæc secum tacita Virgo cogitabat, & cogitando in Dei laudem sic dicens exultabat: Magnificat anima mea Dominum.

In hoc Dei dono, propter quod Virgo tãtopere Dominum
C magnificabat, pręcipue cognoscitur, quanti humanam naturam suus conditor æstimarit. Cum enim homini multum dederit, quod eum ad imaginem suam fecerit, & multo amplius tribuit, quod eum tali modo reparauerit, & seruili formæ, huius rei gratia ipse se Dominus coaptauerit. Quamuis enim ex vna, eademque pietate sit, quidquid creaturæ creator impendit, minus tamen est hominem ad diuina proficere, quam Deum ad humana descendere. hæc, & huiusmodi alia in suis profundissimis cogitationibus mente Virgo pertractabat: hęc ad amandum, ac magnificandum Deum ipsam Virginem vehementis-
D sime excitabant, nec immerito excitabant.

Si enim Dauid à facie Absalon filij sui in fuga positus, non solum non mouebatur contra impium, & immanem filium eũ durissimè persequentem, sed ex charitate, quam habebat erga filium, potius dolebat de eius culpa, quàm de persecutione cõtra se mota tristabatur: in cuius testimonium sic dicebat: concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet Psal. 38. ignis: si, inquam, Dauid hoc ita faciebat, & omnem iræ,

odij, & indignationis materiam, in amorem conuertebat, quo E
eius cor sic exardescebat, & in tãti criminis cõsideratione, charitatis igne concalescebat: quid non faceret Virgo Beatissima? Quid non faceret Virgo pijssima secũ ipsa perpendens, ac profundissima mente reuoluens nõ quidem aliquam filij iniuriam, sicut Dauid faciebat, sed tantam bonitatem, tantaque, & tàm innumerat sibi, & humano generi præstita beneficia?

Vere omnium istorum consideratio tantas amoris, ac ignis faces in Sanctissima nostræ Virginis anima excitabat, vt merito de se cum Dauide, immo plusquàm Dauid dicere posset; concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis. Tantas namq; tamque viuaces, & ardentes flammas, has F
ob res Spiritus Sanctus, in mẽte Virginis accenderat, vt diutius iam contineri intus non possent, quin extra illud Sanctissimum

Simile.

Mariæ pectus prodirent. Nam sicut ignis in fornace quanto magis in vnũ colligitur tanto amplius nutritur, & quanto amplius flammas intus continet, tanto vehementius, & impetuosius foras erumpit: ita etiam mens Virginis, quę tantopere intra se fuerat commorata, quęq; vnum, & viuidissimum amoris incendium effecta existebat, minime iam contineri diutius poterat, quin exterius prodiret, atque in hæc verba foras erumperet. Magnificat anima mea Dominum.

O verba ignita, & tota penitus inflammata; verba veræ sa- G
pientiæ suauissimo nectare condita, verba denique diuinarum laudum splendore irradiata. Sed quomodo non talia essent verba, in tanta amoris officina præparata: atque ex tanto, tamque feruenti cordis, animique affectu eructata? Vere non hominibus tantùm, sed ipsi etiam Deo gratissima extiterunt verba ista: & quid nì talia essent Mariæ verba, cuius vox ipsi Deo ita suauis erat, vt nullius vnquàm vox fuerit, qua ipse tantum posset delectari, quantum voce Mariæ, siue eam intelligas quatenus oris sonum: siue quatenus cordis affectum significat. Nam se- H
cundus hic significandi modus est etiam in scriptura Sacra frequentissimus, in qua quidem vox prò animi affectu crebrò vsurpatur.

Hoc vero ita esse, præter alios complures optime adnotauit,

D.Hila. Psal. 140.

& rationabiliter satis ostendit D. Hilarius enarratione in psalmum 140. super hæc eiusdem psalmi verba. Domine clamaui

ad te

A ad te exaudi me, intende voci orationis meæ, dùm clamauero ad te: quo loco super hæc verba sic dicit. Et vt clamorem istum non vocis sed fidei doceret esse: adiecit. Intende voci orationis meæ. Clamor, etiam inuitis nobis penetrat in auditum: ac se sponte in aures nostras vi intentæ vocis immittit: Sed quia propheta non tali clamore clamat: orat, vt clamante se Deus in vocem orationis intendat: id namque quòd intenditur fidei inspectio est, non clamoris auditio. Id enim quod interius est, intenditur. Cæterum clamorem intendi non necesse est, per se metipsum omnem sensum aurium occupantem. Hæc Hi-
B larius.

Siue igitur oris, siue cordis vocem in Maria spectes, nulla Deo vox sic in amore, ac delitijs fuit, sicut vox Mariæ: id, quod ex eo vel maxime colligi potest, quia ad alias voces audiendas Deus ipse ab hominibus inuitabatur: sicut patet ex præallegato psalmi loco, & ex alijs ipsius scripturæ sacræ perquammultis: Ad audiendam autem suauissimam Mariæ vocem, non opus erat, vt ab aliquo Deus inuitaretur, sed ipse se ipsum inuitabat, ipse Mariam, vt loqueretur, rogabat. Ostende, inquit, mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis. Sed
C quænam est huius rei causa? Ea, quam statim in hunc modum ibi Spiritus Sanctus assignat: Vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Vocis erat dulcedo: harmoniæ erat suauitas, qua in Maria Deus tantopere oblectabatur.

Nam de aliorum vocibus dici potest, quod omnes aliquid habuerunt amaritudinis. Omnes enim (sicut ait D. Paulus) Rom. 3. peccauerunt: & ideo illis accommodari optime potest illud Ecclesiastici: Non est speciosa laus in ore peccatoris, id, quod Eccle. 15. de Maria nequaquã dici potest, si quidem nunquam peccauit: Vnde eius laus est speciosissima, & plusquam omnium sancto-
D rum laus excellentissima. Nam aliorum sanctorum laus, licet sit suo modo decora, tamen respectu Mariæ laudis, & vocis, non potest dici ita speciosa: in solo enim Mariæ ore, quę (sicut diximus) nunquam peccauit, laudis vox est tota decora, totá speciosa, tota dulcis, & suauis, & tota denique talis, qualem ipse Deus audire desiderãs dicit: sonet vox tua in auribus meis: Vox enim tua dulcis, & facies tua decora.

E

CAP. XIII.

In Mariæ laudibus quanta deuotio. Diuinus amor quantum de ipsa Maria triumphauit.

Magnificat anima mea Dominum. Luc. 1.



N considerandis his Mariæ verbis, vlterius adhuc procedamus oportet, licet enim pauca sint, tamen in illis innumeræ virtutes continentur. Sicut enim floridum pratũ varios, & omnigenos flores nobis ostẽtat: sic etiam in his paucis Mariæ verbis variæ nobis virtutes ostenduntur. Sed ex illis omnibus duę solũ a nobis hoc loco tractandæ sũt: quarum prima est Virginis nostræ maxima deuotio: secũda eximia eius, & nunquã satis laudanda fides, in eo vel maxime spectata, ꝙ Domino suas laudes Maria offerebat, cui soli eas debitas esse cognoscebat. De illa præsenti capite: de hac vero proxime sequenti agendum nobis erit.

Simile. F

Agemus autem hoc capite de Mariæ deuotione, tùm vt plerosq; Patres imitemur, & inter eos pręcipue Nic. de Lyra, qui super his verbis, Mariæ laudem ex eo imprimis magnã esse cõsiderat, quod dixit: Magnificat: Deinde vero deuotã ex eo, qđ addidit: anima mea. tùm etiã q̃a cùm superius egerimus, de causa ipsius deuotionis, amore videlicet, charitate, & deuotione, ex quibus tàm affectuosa Virginis laus ꝓcedebat: nũc recto ordine de istorũ effectu tractãdũ videtur: de deuotione videlicet, quæ (sicut 22.q.82.ar.2. tradit D. Thomas) ex charitate causatur.

Nico. lyr. G

D. Thom.

Vt vero quàm deuota fuerit erga Dominũ sanctissimę Virginis laus melius perspiciatur, vidẽdum imprimis nobis est, quid sit deuotio. Doctissimus Guilelmus Peraldus Lugdunensis Episcopus, duobus modis deuotionẽ describit, quorum primus est huiusmodi. Deuotio est teneritudo cordis, qua quis de facili in lachrimas resoluitur. Secũdus modus ẽ: Deuotio ẽ feruor bonę voluntatis, quem mens cohibere nõ valẽs certis manifestat indicijs. Et secundus iste deuotionis modus, est Mariæ deuotioni his verbis ostensę magis conformis. tãtum enim in ipsius volũtate amoris, & charitatis ignis feruorẽ, & deuotionem excitauit

Peraldus. H

vt

A vt fieri nequaquam posset. quin cum foras indicaret, & his verbis clarissime manifestaret; Magnificat anima mea Dominum.

Propheta Hieremias de illo igne tractãs, qui in suis pręcordijs sẽtiebatur. Et factus est, inquit, in corde meo quasi ignis exestuãs, clausus'q; in ossibus meis, & defeci ferre nõ sustinẽs. Magnus ꝑfecto ignis, quo cor, & ossa ꝓphetę exurũtur, & ita exurũtur, vt sustineri ab ipso nõ possit. Verũ multò maior erat ignis ille qui in Virgine latebat: quiq; nõ cor, neq; ossa tantũ ipsius, sed animam exurebat, & taliter exurebat, vt cõtineri Virgo nõ posset. quin eum foras ostenderet. Sicut enim quãdo fornax est B optime incensa, fieri minime potest quin igneæ scintillę foras exeãt: sic fieri nequaquã potuit, quin dulcissimũ illud Virginis os emitteret, nõ igneas tãtùm scintillas, sed viuacissimas flãmas maximi illius testes incẽdij, quod charitas, & amor in eius anima effectũ habebat: quoq; Virgo ipsa in Dei amorẽ, & laudẽ sese totã sic inquiẽs effundebat. Magnificat anima mea Dominũ. Hiere. 20. Simile.

Duplex consideratio (sicut ego quidem existimo) Mariam potissimum inducebat, vt in diuinam laudem sese totam effunderet. Vna ex parte ipsius Dei, & beneficiorũ ipsius. Alia vero ex parte ipsius Virginis considerantis paruitatem, vilitatem, & C abiectionem suam. Quantò enim humilissima Virgo sese viliorem & abiectiorem reputabat, tantò indigniorem se, tantis sibi à Deo collatis beneficijs iudicabat. Et sic ex hac duplici consideratione totus ille tàm magnæ deuotionis feruor in Virgine excitabatur. Sicut enim ex crebra ferri ac lapidis collisione excitatur ignis: sic ex frequenti consideratione, & memoria beneficiorũ Dei, vehemẽtissimi amoris ignis in sanctissima Marię anima accendebatur: ignis, inquam, non qualiscunq; sed maximus, & illo amoris igne, qui erga Deum in aliorum sanctorum animis excitabatur tanto maior, quantò maiora etiam erãt D tùm ipsius Dei in Mariam collata beneficia: tùm etiam ipsius Virginis charitas, qua prò tantis beneficijs Deo respondebat. Nam quanto maiora sunt beneficia, & dona, quę cuique conferuntur: tanto maiorem obligationem habet, ad reddendam Deo prò ipsis rationem. Vnde est illa D. Gregorij vulgatissima sententia, qua vtitur hom. 9. in Euangelia. Cum augentur, inquit, dona; rationes etiam crescunt donorum. Simile. D.Greg.

Et ideo cum in sola Maria particulariter, magis aucta fuerint

rint dona, quàm in omnibus generaliter: consequens est quòd E
ipsa etiam magis diligere tenebatur, quàm alij. Hoc vero ita es-
Luc. 7. se, ex illo Euägelij apud Lucam perspicue satis cõprobatur. Ibi
enim cum Phariseus ille intra se, coutra Christum murmuras-
set, quòd mulierem peccatricem admitteret: Christus tùnc ei-
dem Phariseo similem proposuit quęstionem. Duo debitores,
inquit, erant, cuidam fæneratori. Vnus debebat denarios quin
gentos: & alius quinquaginta. Non habentibus illis vnde red-
derent, donauit vtrisque. Quis ergo eum plus diligit? Æstimo,
respondit Pharisæus, quia is, cui plus donauit. Tunc Christus:
recte, inquit, iudicasti. Ex his aperte colligitur quòd ille plus F
tenetur diligere, cui plus donatur: & pari ratione quod Beatis-
sima Virgo, cui super omnes creaturas a Deo donatum fuit,
plus super omnes, ipsum Deum diligere tenebatur. Sed quan-
tum diligere tenebatur tantum dilexit: ergo Deum plusquàm
omnes puræ creaturæ dilexit. Et ex consequenti cum habuerit
maiorem charitatem, maiorem etiam habuit charitatis feruo-
rem, maius desiderium, & maiorem deuotionem, qua diuino
obsequio se se totam tradebat.

Cum enim secundum D. Thomæ opinionem loco, & quæ-
stione à nobis supracitatis deuotio dicatur prompta, & parata G
voluntas exequendi ea, quæ ad diuinum pertineat cultum,
haùd obscure ex his nostrę Virginis verbis possumus conijce-
re, quàm perfecte hæc omnia, ipsa Maria fuerit executa, de qua
diuinus amor, ita triumphauit, vt non tantum Mariæ volunta-
tem, sed intellectum, sed memoriam, sed animam, sed cor, sed
os, sed linguam, sed denique omnia sibi vendicaret: & ita qui-
dem vendicaret: vt præceps, flagrans, vehemens, & impetuo-
sus amor præter Dominum, aliud Mariam nec cogitare, nec
loqui sineret. Magnificat anima mea Dominum.

Et quid mirum, si Marię os non sinitur loqui, nisi Deum; si H
eius diuinissimum cor, & anima non habet nisi Deum? Nam
Simile. sicut ex igne naturaliter non emicat nisi splendor: & ex præ-
stanti quoque vnguento non effunditur nisi odor; sic ex pu-
rissima illa Marię anima, quę tota per amorem, vnum cum ip-
so Deo effecta erat, nihil poterat exire nisi Deus: Magnificat
anima mea Dominum, dicit Virgo: quod perinde est, ac si cla
rius diceret. Totum, quod in me est voluntatis, quod intel-
lectus,

A lectus, quod memoriç, quod cordis, quod rationis, quod iudicij, quod consilij, quod virium totum Domini mei amor sibi vendicauit: fastidit cætera, contemnit vniuersa, vno solo Domino contentus, præter quem sicut nec aliud anima mea nouit amare; ita etiam nec aliud nouit prædicare: Et ideo, Magnificat anima mea Dominum.

CAP. XIIII.

B *Laudes Deo quanto iure debitç: ipse si nostris laudibus non indiget cur à nobis laudetur. Mariæ erga Deum tanta fides, vt cognatam Elisabeth suis laudibus occupatam doceret, laudes ipsas soli Deo deferre, cui illæ iure debentur.*

Magnificat anima mea Dominum. Luc. 1.

IAM vero quod attinet ac singularem Mariæ fidem: hæc in his Mariæ verbis tantum enituit, vt illi soli suas laudes deferret, cui soli eas debitas esse cognoscebat. Laudes tanto iure Deo deben- C tur, vt ipsi soli reseruatæ repeiantur. Nam Dominus quinque res sibi particulariter reseruauit. Harum prima est creatio. Cum enim creare sit ex nihilo (nullam omnino supponendo materiam) aliquid facere. Nemo, prçter Deum, habet hãc potestatem, quam ipse sibi particulariter reseruauit. Secunda est vindicta iuxta illud Pauli. Mihi vindictam (sub intelligitur, reseruate) & ego retribuã dicit Dominus. Quia enim homines tales sunt, vt in vindicta semper velint modum excedere, nec valet cùm animi trãquillitate se vindicare, cùm ex ira, odio, & huiusmodi alijs moueantur, idcirco misericordiosissimus Do- D minus præcepit, sibi vindictã reseruari: vt ipse solus eã exequatur, qui immutabilis cum sit, nulla ira mouetur, sed cunctos cùm tranquillitate iudicat. De illo enim sic dicitur. Tu autem Domine cùm tranquillitate iudicas omnia. Ex quibus optime liquet, quàm merito Deus sibi ipsi vindictam reseruauerit. Est enim illius solùm iudicis æquum, iustumque iudicium, qui neque eccedit modum, neque in suo iudicio perturbatur. Tertia est cognitio diei iudicij. Vnde Dominus ipse dicit: de die autem

Rom. 12. Psal. 12. Mat. 24.

tem illa, & hora nemo sit, neque Angeli cœlorum nisi Pater E
solus. Quarta est cordis, inspectio, & cognitio. Hinc Dominus
Ierem 17. ipse per Hieremiam. Ego inquit, Dominus scrutans corda, & probans renes. Quinta denique est laus, honor, & gloria.
1.Thim.1 Vnde D. Paulus Regi autem sęculorum immortali, inuisibili, soli Deo honor, & gloria. Hoc autem cùm Virgo optime sciret: cùm, inquam, sciret, honorem, gloriam, & laudem soli Deo deberi à creaturis, ideo ipsi Domino, quod suum est tribuens dicit: Magnificat anima mea Dominum.

Videbat Virgo beatissima, videbat Virgo fidelissima, videbat cognatam Elisabeth totã in suis laudibus occupatã, & ideo F
tantis se ab illa laudum præconijs extolli non patiens, ipsique cognatæ volens ostendere, quem potiori deberet iure laudare; Magnificat, inquit, anima mea Dominum.

Quãdo ille Angelus, qui in persona Christi, vt pleriq; Patres exponũt, ad Ioãnem missus fuit, vidit ipsũ Ioannẽ ante suos pedes
Apoca.22 prouolutũ, vt eum adoraret: narrat scriptura qđ ne tale faceret, eum sub his verbis ꝓhibuit. Vide ne feceris cõseruus tuus & fratrũ tuorũ sum, habentium testimonium Iesu. Ac si diceret. Caue, caue mi Ioannes, caue nè tale feceris, quia vnum Deum habemus ego, & tu: & ego in nullo tibi prelatus sum, nisi in do- G
ctrina, quã missus sum te docere. Nec solum tuus conseruus, & socius sum, sed etiã omniũ fratrũ tuorum, fideliũ scilicet hominum, me coæqualẽ profiteor, qui habuerint fidem Iesu. Taliter tùnc Angelus Ioannem prohibebat. Neq; hoc loco pręteribo tacitus, ꝙ cùm sæpe, in veteri testamẽto Angelos ab hominibus adoratos fuisse legamus, nusquàm tamẽ reperimus, eos ab Angelis fuisse prohibitos, nè tale quid facerent. Postquam autem Dominus assumptũ hominẽ sup cœlos erexit, tùnc Angelus ab homine adorari timuit, quẽ sup se, & esse, & regnare cognouit.

Vnde quando Angelus Ioanni interdixit, nè se adorare de- H
beret, statim ei ostendit, quẽ, eum oporteret adorare sic dicens. Deum adora. Ac si diceret: Noli me adorare ò Ioãnes qui verba tantum tibi depromo, sed eum in cuius persona tibi appareo. Eodem etiam modo videbat Virgo sanctissima, videbat omniũ Angelorum vera Regina, videbat cognatam Elisabeth totam suis laudibus intentam. Et ideo licet nõ expressis, tacitis tamẽ eam verbis ꝓhibet dicẽs. Desine iam, desine o charissima mihi

co-

A cognata Elisabeth, desine me tuis tantum, & in tàm sublime laudibus extollere. Vnum enim Dominum habemus ego, et tu. conserua tua sum, & non tantum conserua, sed etiam ancilla, & sicut tua ancilla veni in tuam istam domum, vt tibi possem deseruire. Nam licet videas me in hoc tibi præferri, quod in Domini matrem electa sum: tamen de cœtero scio, quæ sum. Scio nec mea me fallit opinio me creaturam esse vilissimam, ac tanto Dei munere non solum indignissimam, sed etiam tuis laudibus tàm eximijs. Vnde eas ne mihi, quæso, tribuas, sed illi soli refer, cui potiori satis iure debentur, quemque non os, neq; B labia tantum, sed anima mea laudat, & exaltat, & laudando, exaltandoque dico: Magnificat anima mea Dominum.

Sic, vt ego quidem existimo, Maria cognatæ suæ Elisabeth Dominum, quem laudare deberet, ostendit: sic quoque suo exemplo nos etiam, ad ipsum Dominum laudandum induxit. Non propter ipsum Deum, ac Dominum, quẽ cũ incomprehẽsibilis sit, & ineffabilis, Virgo sciebat omni semper laude maiorẽ existere: Sed propter nos, quorum affectus excitatur in Deũ ex laude ipsius, quem honor, & laus nostra minime tangit, sed nos ipsos, quibus plurimum cõfert Deum ipsum laudare. Nam C Deus nostris non indiget, sed nos illo indigemus: & cum illum honoramus, nos ipsos magis honoramus. Sicut enim ille, qui apertis oculis solis lucem intuetur, dum ipsum solem laudat, & illius pulchritudinẽ admiratur, soli ex hoc nihil confert, quippe cùm nec intuendo, nec laudando maiorem, aut clariorem solem facit: sed sibi ipsi soli prodest, cum & solis luce illuminetur, & eius calore adiuuetur: ita etiam Deum laudando, nos nihil prorsus illi conferimus, sed nobis ipsis magis proficimus: maxima inde emolumenta lucrantes, & innumera apud ipsum nostrarum laudum præmia procurantes. **Simile.**

D Sed dices: quomodo nostris laudibus Deus non honoratur: cùm ipse de seipso dicat: Sacrificium laudis honorificabit me? **Psalm.49.** Ad hoc responderi potest cùm D. Thoma 22.q.91.ar.1.vbi dicit quòd Deus dupliciter consideratur. Vno modo quantum ad **Eccl.43.** eius essentiam: & hoc modo consideratus maior est omni laude. Et secundum hanc considerationem debetur quidem Deo, non laus, quę illo multò inferior est, sed maior aliquis cultus, & maior aliqua reuerentia, sicut est latriæ honor. vt patet ex

illo

Psal. 64. illo psalmi: Te decet hymnus Deus in syon. Quod translatio E
D. Hieronymi sic vertit: tibi silet laus Deus. Alio modo consideratur Deus ipse secundum suos effectus, qui in nostram vtilitatem ordinantur. Et hoc modo debetur laus Deo: sicut patet
D. Tho. ex eodem D. Thoma loco citato, ad quem lectorem remittimus si de Dei laude plura videre desiderat.

CAP. XV.

Quid sit quod animam, suam animam Maria dicat. & cum amor Dominum nesciat, quid sit etiam quod ipsa Deum Dominum appellet, quem præ cæteris plus amabat. F

Magnificat anima mea Dominum. Luc. 1.



Vfficere possent, sicut ego quidem existimo, ea, quę pro præsenti huius Mariani cantici versiculo, hactenus à nobis sic ad lógum dicta sunt. Verũ cum in illo adhuc nõ nulla pertractãda nobis offerãtur, nõ prius videtur desistendum, quam omnia absol-
D.Theod. uantur. Ad quod ita faciendum vnius etiam Theodoreti autoritate maximè mouemur, qui in sermone tertio de græcarum affectionum curatione, tali ad hoc demonstrandum vtitur si- G
Simile. militudine. Sicut, inquit, illi, qui aurum, argentum vè effodiunt, simulatque in multa quædam ramenta inciderint, eiusmodi vestigia sectantes vberiores rimantur venas, neque prius ab effodiendo desistunt, quàm multam auri vim, copiamque inuenerint: ita exhauriendi scripturarum fontes. Sic Theodoretus, cuius nos autoritatem secuti, non prius nobis cessandum esse statuimus, quàm omnia absoluantur, non quidem mysteria, quæ in paucis his Mariæ verbis prope infinita noscuntur esse abscondita: hoc enim impossibile esset nõ H
solùm nobis, verum & cuicunque alij quantumuis altioris sit ingenij: sed ea omnia, quæ pro nostri tenuitate, & exiguitate ingenij super his verbis adhuc dicenda sese offerũt. Inter illa vero illud imprimis adnotandum venit, quod vbi primum, magnificat, Maria dixit: anima mea, statim adiunxit in hunc modum dicens: Magnificat anima mea Dominum.

Et re-

A Et rectè animam, suam animam Maria dicit: rectè animam suam, Dominum magnificare ostendit. Nam, Maria ipsa excepta nemo sic bene dicere potest, anima mea, nisi solus ille, qui peccatum non fecit, neque inuentus est dolus in ore eius. Et quis, quæso, animam, suam animam potest nominare? Quis nisi ille solus, qui prorsus est absque peccato? Oportet, mihi crede, vt animam ab omni peccati seruitute liberam habeat, qui vult dicere, anima mea. Nam vbi peccati seruitus est, quę oro, libertas est? Nulla certe. Dilecto ipso & Apostolo & Euãgelista Ioanne, immo Dei filio per Ioannem, sic attestante: B Qui facit peccatum seruus est peccati. Et huius rei talem Nicolaus de Lyra super eundem Ioannis locum assignat rationem: Sicut ille dicitur liber, qui mouetur proprio motu: sic dicitur seruus ex eo quod mouetur ad imperium Domini sui. In opere autem peccati, homo mouetur contra illud, quod est sibi proprium, quia viuere secundum rectam rationem, est proprius hominis motus. in peccato autem homo mouetur contra rectã rationem. Et ideo licet peccatum sit volũtarium, tamen in ipso consistit maxima seruitus. De peccati seruitute sic Nicolaus de Lyra ex cuius verbis optime liquet, quàm magna illius sit mi- C seria, qui sub graui peccati iugo captiuus detinetur & ita captiuus vt sui iuris iam esse non possit: sed sub dura peccati maneat tyrannide.

1.Pet. 2.
Ioan.8.
Nic.Lyr.
Simile.

Et quid hac tyrannide miserius? Quid hac seruitute infelicius, aut dici, aut excogitari potest? si ipsa mors est minus formidabilis, & horribilis, quàm sit captiuitas corporalis: in cuius rei signum, permulti vita se potius priuare voluerunt, quàm in inimicorum manus captiui deuenire: quid de peccati misera dicemus seruitute? Seruitute, inquam, ea, quę corporalis est tãto miserabiliori, quantò & difficiliori. Nam ab ea quæ corporalis D seruitus est, potest quis liberari aut pecunijs, aut principum fauoribus, aut alijs huiusmodi, atq; etiam per alicuius Angeli ministerium, sicut contigit D. Petro. Ad illam vero, quæ spiritualis est, nec pecuniæ, nec fauores, & quod magis est, nec ipsi Angeli sufficiunt, nisi solus Deus, ad quẽ solũ spectat peccata dimittere, & dimittendo miserum peccatorẽ in suam libertatẽ restituere. Vt vel sic animam, suam animam cùm Maria (multò tamen differentiori modo quàm Maria) possit appellare.

Acto.12.

Dico

Dico multo differentiori modo quàm Maria quia quantumcũque aliquis à vitiorum sorde inueniatur immunis, aut sanctitatis prærogatiua reperiatur insignis: tamen neque ob id potest, eximium hoc tanti honoris insigne sibi vendicare, vt animam, suam animam; sicut Maria, in hunc modum possit appellare. Magnificat anima mea Dominum. E

Hoc autem ideo dicimus, quia licet omnes alij sancti magna fuerint sanctitate præditi, tamen sub duro peccati iugo omnes aliquando fuerunt, à quo nec illi extiterunt immunes, qui materno in utero fuerunt sanctificati. Vnde illorum anima saltem prò illo tempore, quo in peccato fuerunt sua non erat, nec dici poterat. F Quamquam enim per talem sanctificationem isti hoc fuerint adepti, quod de cœtero diuina eos protegente gratia, mortaliter nnnquam peccarent, tamen venialia peccata nonnunquam (raro tamen) committebant. Et ideo non tàm bene illis competebat hæc facultas dicendi, anima mea, sicut Mariæ, quæ ab omni semper peccati, & totius peccati seruitute fuit libera. Et ideo cùm nullum fuerit, non dicam, tempus, sed neque temporis instans, quo eius anima, non fuerit sua anima, merito semper dicere poterat: Magnificat anima mea Dominum. G

Quid ais Virgo beatissima? Quid ais? Dominum dicis, quẽ tantopere diligis, & à quo tu etiam tàm vnice diligeris? si ipse à te tantum amatus, quomodo Dominus? Nam amor Dominũ nescit. Et si ille etiam te tantùm amat, quomodo etiam Dominus? Quos enim iste tuus dilectus amat, amicos habet non seruos; quia qui de magistro factus est amicus, quomodo discipulos diceret amicos, si non essent? Ioan. 15. Vos amici mei eritis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis; inquit ille. Amicos eos vocat si quæ illis præcepta sunt fecerint. H Si ex hoc illi amici vocantur: quanto magis tu Virgo Domina, amica illius vocari digna es, quæ alia multa, præter illa, quæ tibi pręcepta sunt, fecisse inuenta es? Voca ergo Virgo beatissima, voca Virgo pijssima, voca hnnc tuũ dilectũ, nõ Dominum, sed amicum, sed filium.

Et amicum, filiumque vocabo (inquit Virgo nostra, & tota ratio spei nostræ) & Domini titulum, illi non negabo. Quomodo enim Dominum non appellem, quem cùm æterno Patre ęqualem potestatẽ habere cognosco? Aut quomodo Dominũ

A non vocem, quem non tantum ego, Sed & insensibilia ipsa Dominum recognoscent? Terra enim hunc dominum, tunc cognoscet, quando ad vocem virtutis eius cum voce magna clamauerit: Lazare veni foras: mortuum hominem sub oculis omnium viuũ reddet. Ioan. 11. Cognoscet etiam mare quando solidum se præbebit sub pedibus eius. Et quid ego de terra, marique loquor? Ipse infernus eum Dominum, tunc experietur, quando ipse portas eius æreas, & vectes ferreos non solùm confregerit, sed etiam illum insatiabilem homicidam alligauerit, qui vocatur diabolus. Neque his ego solùm rationibus adducor, vt illum Dominum debeã B appellare: Sed etiam vno hoc ad id faciendum moueor, & maxime moueor, quòd sciam ab hoc, quem Dominum voco, vniuersum esse mundum redimendum, non auro, neque argẽto, sed proprio sanguine suo. Si ergo illius, qui emitur, aut redimitur, Dominus censendus iure ille est, à quo redimitur, quo ego iure Dominum illum non appellem, quem scio de cœlo ad terras, ideo venire, vt humanum genus, quod à Diabolo captiuum tenebatur, ab eius potestate eripiat? Appellabo quidem illum Dominum, & tàm libenter, quàm etiam audenter de illo pronuntiabo: Magnificat anima mea Dominum.

C

CAP. XVI.

Maria cur Deum, Dominum appellet, & non sponsum, nec Patrem, nec filium. Deus solus verus Dominus, & homines quantumuis sanctitate eximij solum ipsius Dei serui.

Magnificat anima mea Dominum. Luc. 1.

D

POTERAT, & optimè poterat Virgo, si vellet, dicere: Magnificat anima mea Deum, aut sponsum, aut filiũ, aut patrem: sed nè se se laudare videretur: solum Dominum dixit: qui habet respectum ad seruos, vt vel sic clarè ostenderet, se esse huius Domini ancillam quem ipsa laudans, & magnificans dicit. Magnificat anima mea Dominum.

Vbi aduertatur oportet, quod cùm Dominum Virgo dicit: E
non quemcunque Dominum intelligit, sed illum solum, à quo principium habet, & originem quæcunque alia potestas. De isto
Prou.8. Domino ait sapientissimus Salomon. Per quem Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Hunc, & non alium Dominum Maria vocat: quia si qui sunt alij, qui hoc Domini nomine appellentur, hoc non verè, sed abusiuè solùm dicuntur, sicut
D. Chry. homilia 16. in Matthæum, hunc in modum tradit D. Chrysostomus. Nam abusiuè & homines, Domini dicuntur: verè autem nemo Dominus est nisi Deus.

1. Cor. 8. Et D. Paulus hac etiam de re sic inquit. Nam & si sunt, qui F
dicantur Dij siue in cœlo, siue in terra (siquidem sunt Dij multi, & Domini multi.) Nobis tamen vnus est Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illo: & vnus Dominus Iesus Christus per quem
Haymo. omnia, & nos per ipsum. Hoc autem secundum Haymonem perinde est, ac si Paulus ipse diceret: Et si sint, qui vocantur à paganis Dij in cœlo, vt Saturnus, Iupiter, Mercurius: aut certè à Christianis, vt Angeli, & Sancti nuncupatiuè, & non substantialiter: siue
Exod. 7. in terra à Paganis, vt Neptunus, Pluto, aut certè iusti homines, vt
Psal. 81. Moyses cui dictum est, constitui te Deum Pharaonis: & de quibus dicitur in psalmo: Ego dixi Dij estis. Nobis tamen Apostolis, alijsque fidelibus vnus est Deus Pater substantialiter, ex quo G
omnia constant, & à quo originem cuncta sumpserunt, & nos in illo subsistimus: siue in illum, quasi intra illum subsistimus, quia omnis creatura intra illum consistit: & ipse est extra omnia, & intra omnia. Et vnus Dominus Iesus Christus cùm Patre, & Spiritu sancto, per quem Dominum Iesum omnia facta sunt, & nos per ipsum creati sumus, & redempti. Sic Haymo.

In quibus quidem Apostoli verbis, hoc pro principali scopo videtur fuisse Paulo nempe vt ostenderet, quod sicut quantumcūque multi dicantur Dij siue abusiuè à Paganis, siue nuncupatiuè H
à Christianis, nihilominus tamen substantialiter vnus, & solus est Deus: ita etiam licet multi abusiuè dicantur Domini, substantialiter tamen vnus, & solus verus est Dominus Iesus Christus ante quem nullus nec Rex, nec Dominus dici potest.

Matt. 2. Estque huius rei nobis euidentissimum exemplum in tribus illis magis qui ab Oriente Hierosolymam venisse narrãtur, vt Christum adorarent. Nam cùm Magos istos Reges fuisse dicant

D. Atha-

A D. Athanasius de varijs quæstionibus q. 2. Tertullianus lib. 3. cōtra Marcionem. D. Leo Papa, & D. Augustinus de Epiphania Domini. Venerabilis Beda homil. de eadem solemnitate, D. Thomas tàm sermone de Epiphania, quàm etiam in Aurea cathena, glossa ordinaria, ac tandem catholica Ecclesia: Cum, inquàm, Magos istos, Reges fuisse dicant præallegati Patres: tamen Euangelista Matthæus cùm de vero Rege Christo, ac de ipsis agit, eos tali nomine appellandos esse nequaquam sentit. Neque immeritò; sicut enim coram Sole aliæ stellæ minimæ apparent: sic coram vero Rege Christo alios Reges nihil esse comprobatur. D. Athan. Tertull. Leo Papa. D. August. Beda. D. Thom. Simile.

B Videtur quidem Magis illis, illud euenisse, quod prætoribus, & iudicibus coram suo Rege solet euenire. Isti namque cū Regem suū allocuturi aduenium, prius quàm in conspectu eius cōpareant, virgas submittunt, quæ ab ipso Rege in eorum signum potestatis illis collatæ sunt. Sic Magis illis contigisse videtur coram vero Rege omnium Regum Christo, ante quem Regum titulum, nomenque deponunt, Simile.

Sed quare? Quia sicut psalmista nobis testatur; Deus magnus Dominus, & Rex magnus super omnes Deos. Quoniam ipse C est, de quo in Apocalypsi dicitur. In capite eius diademata multa. & habet in vestimento, & in fœmore scriptum. Rex Regum, & Dominus dominantium. Quoniam omnes alij præter istum non sunt natura Reges, sed eius vices gerunt. Et in huius rei signum ante illum Regum titulum, nomenque deponunt, ad illorum viginti quatuor seniorum modum, qui ante sedentem in throno adorabant, & mittebant coronas suas, ante thronum dicentes. Dignus es & Domine Deus noster accipere gloriam, & honorem & virtutem. Sic planè faciebant Magi illi, capitis diademata, D coronasque deponebant, nec Reges dicebantur coram verò Rege, sed illum veneraturi accedebant regio nomine, coronis, sceptris, alijsque regalibus insignibus omnino depositis. Hæc omnia hoc loco, ideo dicere animum subijt, vt inde colligatur qualis sit iste Dominus in cuius laudem sic dicendo, Maria se se totam effundit: Magnificat anima mea dominum. Psal. 46. Apoc. 19. Apoc. 4.

Non alios Dominos Virgo laudat: Sed istum, quem solum, vt tali nomine appelletur dignum, non solum sentit, sed credit. Huius se Domini ancillam Virgo profitetur. Huius etiam

nos serui sumus, & intantum serui, vt omnino nostri non simus, E
sed illius, à quo non exiguo, sed magno pretio empti sumus. An nescitis, inquit electionis vas Paulus, quoniam membra vestra templum sunt spiritus sancti, qui in vobis est, quē habetis à Deo, & non estis vestri? Et velut si ab eo ratio quæreretur: quare Corinthij sui non essent, statim subiunxit: empti enim estis pretio magno. Ac si diceret: ideo vestri non estis, quia cum empti sitis, illius estis, qui pretiosissimo sui sanguinis pretio, vos redimere dignatus est.

Ecce quomodo ex sententia D. Pauli nos qui ab isto DOMINO tā-
to sui sanguinis pretio empti, atque redempti sumus nostri non su- F
mus: sed illius solū sumus, à quo sic empti sumus. Ecce quō in huius Domini obsequium totos nos expēdere debemus: Ecce denique quomodo pro illo tenemur ponere vitam nostram, qui pro nobis posuit & suam. Et quid ego dico vitam nostram? Nonne si conferrentur in nobis omnes vitæ filiorum Adam, & omnes dies sæculi, omnesque labores omnium hominum, qui fuerunt, qui sunt, & qui erunt, nihil esset ad comparationem corporis illius, quod spectabile, & stupendum est virtutibus etiam supernis? Sed in quibus ipsis virtutibus supernis spectabile,
stupendumque? In conceptu de Spiritu sancto in ortu de Vir- G
gine, in vitæ innocentia, in doctrinæ affluentia, in coruscatio-
Simile. nibus miraculorum, in reuelationibus sacramentorum. Et ideo
sicut exaltantur cœli à terra, sic exaltata est vita illa à vita nostra,
Simile. quæ tamen posita est pro vita nostra. Et sicut etiam nihil ad aliquid, nullam habet comparationem: ita etiam vita nostra nullam habet ad vitam illam proportionem, cum illa dignior, ista miserior esse non possit. Nec me quisquam putet rem exagerare sermonibus, quia hic deficit omnis lingua, nec sufficit oculus ad intuendum tantæ dignationis arcanum.

Cum ergo tanto, ac tali Domino donauerimus quidquid su- H
mus, quidquid possumus, & quidquid habemus: nonnè istud sic est, sicut stella ad Solem, gutta ad fluuium, lapis ad montem, granum ad aceruum? Non habemus, nisi minuta duo, immo minutissima corpus, & animam: vel potius vnum solum minutum, voluntatem nostram; & non dabimus illam ad voluntatem illius, qui tantus tantillos tantis beneficijs præuenit, & toto se totos nos comparauit? Demus, demus, &

libenter

A libenter demus, demus huic Domino quidquid viuimus, quidquid ſapimus, quidquid intelligimus, quidquid habemus, quidquid poſſumus & valemus: omnia iſta, & ſi quæ nobis, & in nobis ſunt alia huic vni, & ſoli Domino dedicemus, qui totus eſt nobis datus, & totus in noſtros vſus expenſus: ipſi propterea cum Patre, & Spiritu Sancto ſit gloria, & imperium per infinita ſæculorum ſæcula. Amen.

B

FINIS LIBRI PRIMI.





DE VERBIS DOMINAE AD ELISABETH COGNATAM.

LIBRI SECVNDI.

CAP. PRIMVM. F

Reiecta falsa quorundam opinione, qui duas in vnoquoque homine animas esse contendebant, ostenditur per spiritum, & animam in verbis Virginis, eandem essentiam significari secundum diuersas proprietates.

Et exultauit Spiritus meus in Deo salutari meo. Luc. 1.



VM Omnia, quæ à nostra Virgine dicta G sunt, ab intima summæ illius veritatis luce, cui ipsius mens Virginis tàm singulariter inhęserat, emanauerint, nihil sine magna ratione Mariam dixisse credendum est. Et ideo priusquam aggrediamur cætera, de quibus pro præsentis versiculi explicatione dicere, in animo est. considerare operępretium imprimis fuerit, quid sibi velit, quod Regina Angelorum & Domina animam, & Spiritum distinctè posuerit. H Atque etiam quod anima primo Dominum magnificauerit, & deinde spiritu in Deo suo salutari exultauerit.

Hoc autem vt perfectius intelligamus, aduertendum est, Virginem beatissimam, ideo animam, & spiritum distinctè posuisse, vt vnius, & eiusdem essentiæ diuersam operationem, ac proprietatem ostenderet, non autem vt diuersas essentias significaret: sicut illi faciebant, qui (Hugone Victorino teste super magnificat) duas

Hug. Vict.

duas in vno quoque homine animas esse contendebant. Vnam rationalem, & alteram sensualem rationis expertem, qualis est anima brutorum animalium. In cuius rei confirmationem, præter multa alia, hoc imprimis adducunt, quod in catholicis scripturis frequenter inuenimus, in quibus in vna persona anima, & spiritus geminato vocabulo nominatur. Atque illud etiam quia cùm sine vlla erroris suspicione, quotidie in precibus ecclesiæ fidelium funeri obsequium reddimus, animam, & spiritum defuncti, Domino cõmendamus: quibus rationibus comprobare nituntur, vnum quemque hominem duas animas habere, alteram qua viuit, alte-
B ram qua sapit: & vtramque in futuro in electis beatificandam. Rationalem quidem per visionem creatoris: sensualem vero per incorruptionem corporis. Similiterque in reprobis vtramq; cruciandam, alteram per ignem: alteram per malam conscientiam.

Verum fides catholica hanc assertionem minime recipit. Sed vnam, eandemque animam esse, verissimè testatur, quæ in homine & corpori vitam præbet per sensum, & in semetipsa viuit per intellectum. Neque ab istis adductæ rationes, contrarium probãt. Licet enim aliquoties in sacra scriptura propter vnam, & eandem personam designandam, spiritus, & animæ diuersa vocabula ad-
C ducantur, tamen hoc non propter diuersas essentias significandas factum est: Sed propter vnius, & eiusdem essentiæ diuersam proprietatem. Quia vnus, idemque spiritus, ad seipsum, spiritus dicitur, & ad corpus, anima. Vnde & illi spiritus, qui primo conditi sunt, vt in sua puritate persisterent. neque corporibus miscerentur, spiritus dici possunt, & animæ dici non possunt: quia naturam spiritualem habent, & animationem corporalem non habent. Brutorum autem animalium spiritus, quia essentialiter corpus sunt, & extra viuificationem corpoream esse non habent, magis propriè animæ dicuntur, quàm spiritus. Anima
D autem humana, quia & in corpore esse habet, & extra corpus, propriè & anima vocatur, & spiritus. Sed anima dicitur inquantum est vita corporis: spiritus autem inquantum est ratione prædita substantia spiritualis.

Ad illud autem, quod de commendatione animarum fidelium defunctorum adducitur. Dicendum est: quod sancta Ecclesia, quæ carnis resurrectionem fidelissime credit, non solùm pro spiritibus, sed etiam pro suorum fidelium animabus orat. Hoc vti-

que petens, vt in visitatione iustorum, cum illa beatitudine, quæ E
ex visione Dei, mundis cordibus erit, hoc etiam ad gloriam vitæ æternæ immortale, & incorruptibile per resurrectionem carnis recipiant, quod nunc per mortem carnis corruptibile deponunt. Cum igitur pro defunctis orans, de animabus, & spiritibus mentionem facit Ecclesia, hoc pro illis petit: Verum duas in vnoquoque homine animas, nequaquam esse intelligit: Sed vnam solam, quæ licet anima, & spiritus nuncupetur: tamen vnum, atque idem est.

Neque hoc est sanctorum Patrum dictis parum conforme, qui omnes pro vna, eademque re animam, & spiritum accipiunt. Ex F
D. August. his D. Augustinus sermone 2. de Mariæ assumptione hunc locū explicans, in persona Virginis, sic inquit: Anima mea, quæ magnificat Dominum non in quolibet alio, sed in illo tantum exul-
Euthym. tat, quem amando magnificat. Euthymius quoque in suis commentarijs in Lucam, per spiritum, animam hoc loco intelligen-
D. Euseb. Emiss. dam esse asserit. Id, quod etiam tenent D. Eusebius Emissenus Homilia feriæ 6. post 4. Dominicam Aduentus: &
D. Thom. D. Thomas in Aurea cathena in Lucam. Denique
Cor. Ians. Cornelius Iansenius in sua concordantia in Lucam, hunc Marianum versiculum explanans, sic pro vna, atque eadem re accipit animam, & spiritum, vt G
inter vtrumq; differentiam illam nequaquam admittat, quam in eo positam habent, quod licet vna, atque eadem res sint anima, & spiritus: tamen anima dicitur quatenus animat, & viuificat corpus, & quæ humana sunt curat: Spiritus verò quatenus superioribus, & cœlestibus intendit, legesq; naturæ transcēdit. Quæ differentia (sicut ipse ibidem dicit Iansenius) hic locum habere non videtur, quia nulla conueniens ratio assignari potest, quare animā suam Maria dicat magnificare: spiritum vero exultare. Nā psal-
Psal. 34. mista inquit: Anima mea exultabit in Domino, & delectabitur super salutari suo. Ac proinde (eodem Iansenio teste) cum Vir- H
go prius dixit animam, & postea spiritum nominauit: id hebræorum more fecit, quibus solenne est, & erat (maxime in canticis) idem sub diuersis tamen verbis repetere.

D. August. Verum D. Augustinus in paruo quodam tractatu (si tamē Augustini ille est) quem fecit super magnificat, hunc locū explanās, eam differentiā sub his verbis constituit. Vnus & idē spiritus, & ad seipsum spiritus dicitur: & ad corpus anima. Et paucis interie-

A ctis: anima dicitur inquantum est vita corporis: spiritus autẽ inquantum est substantia spiritualis. Præterea Hugo Victorinus in suis annotationibus sup magnificat, quærens quare anima magnificat, & spiritus exultat, sic respondet. idem fortasse alio verbo repetitum est. Nam anima, & spiritus in homine idem est, quamuis aliud anima, & aliud spiritus notet. Nam spiritus ad substantiam dicitur, anima ad viuificationem. Sed D. Augustino, & Hugone Victorino multò clarius D. Bonauentura in Lucam, vbi hunc locum explicans ostendit, spiritum hoc loco pro anima accipi secũdum suum supremum, animã vero in cõparatione ad corpus. Et B in huius rei testimonium adducit illud Pauli, quo ad Thessalonicenses scribens ait. Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia, vt integer spiritus vester, & anima, & corpus sine querela in Aduentu Domini nostri Iesu Christi conseruetur. Hug. Vict. D. Bonau. 1. Thessal.

Hunc D. Pauli locum etiam explicantes D. Chrysostomus, & Theophylactus, & ex alijs græcis etiã D. Gregorius Nissenus, & ex Latinis autoribus Haymo, & Nicolaus de Lyra, pro spiritu superiorem animæ partem; pro anima vero, inferiorem declarant: sicut autores illos fecisse videmus, qui hæc Mariæ verba exponentes, spiritum pro superiori ipsius animæ parte, animam vero pro C inferiori assumunt, nulla interim inter vtrumque admissa differentia, nisi quoad diuersam proprietatem tantùm. D. Chrys. Theophy. D. Gregor. Nissen. Haymo. Nic. Lyr.

Iam vero ad illud venientes, quod in principio de nostra Virgine etiam dicebamus, nempe quid sibi vellet, quod anima Dñm prius magnificauerit, & postea spiritu in Deo suo salutari exultauerit: quid circa hoc negotium senserint D. Bonauentura, & Cornelius Iansenius in medium adducamus: quorum Iansenius super hunc locum, sic dicit: Bene autem prius dixit, magnificat: Deinde exultauit. Cum enim magnificare pertineat ad intellectiuam vim, exultare vero ad voluntatem, & affectum, istud ex il- D lo nascitur. Verum D. Bonauentura loco à nobis supracitato, non dicit magnificationem causam fuisse exultationis, sed potius exultationem magnificationis. Quia enim spiritus interius exultauerat (inquit D. Bonauentura) ideo anima in uoce magnificabat. Et ideo exultationem de præterito, & magnificationem de præsenti ponit, quia exultatio est natura prior. Sic D. Bonauentura, non immeritò (sicut credo) exultationem magnificatione priorem ponens. Cor. Ians. D. Bonau.

Nam

Simile. Nam ſicut in Magis, qui ab Oriente venerũt, vt dominum ado E
rarẽt, prior fuit ſtellæ viſio, quàm domini adoratio, in cuius rei ſi-
gnificationẽ de vtroque loquentes, viſionẽ ſtellæ in præterito, ado
Mat. 2. rationem vero in præſenti, ſic dicentes ſignificarũt. Vidimus enim
ſtellam eius in Oriente, & venimus cum muneribꝰ adorare eum:
ſic etiam in Virgine beatiſſima prior fuit in Deo ſuo ſalutari exul
tatio, quam ipſius domini magnificatio. Nam cum illud æternum
lumen, cùm toto ſuæ mageſtatis fulgore in Mariam deſcenderit,
dubium non eſt, quin cœleſtium gaudiorum, & æternæ dulcedi-
nis miram, atq; indicibilem ſuauitatem conceperit, & ita concepe
rit, vt ſpiritu quidem in Deo ſuo ſalutari imprimis exultauerit, & F
deinde dominum ſua voce etiam magnificauerit. Neq, minus fa-
cere Virgo potuiſſe videtur, quin ex magna illa ſpiritus hilaritate,
quam Spiritus ſanctus ipſi copioſiſſime infuderat in aperta aliqua
tantæ ſuę lętitiæ indicia, aliquando tandẽ ipſa erumperet. Nã fer-
uor ille Spiritus ſancti, intus ſe in illa cohibere non valebat.

Iob. 32. Vnde recte hoc loco Virgini noſtræ, illud accommodari poſſe
videtur, quo dicitur: En venter meus, quaſi muſtum abſq; ſpiracu
lo, quod lagunculas nouas dirumpit, loquar, & reſpirabo paulu-
lum, aperiam labia mea, & reſpondebo. Nam tanta Virgo noſtra
ſpiritus lætitia, & exultatione plena erat, vt intus ſeſe cohibere mi- G
nimè valeret, quin in vocem magnificationis erũperet. Neque hoc
cuiquam mirum eſſe videatur, præſertim cùm videamus aliquos
ex ſtulta leuitate ſeſe à riſu cohibere nõ poſſe, ibi etiam vbi pudor
humanam imperat diſciplinam. Et in humano etiã dolore, & tri-
ſtitia ſimiliter videmus alios à fletu ſe nõ poſſe temperare, quãuis
id libenter facerent. Vbi ergo propter ſolas humanas affectiones,
hoc quotidie videmus euenire, mirum non eſt, ſi virgo intra ſui pe
ctoris anguſtias tantam lętitiam, tantum gaudium, & tantam exul
tationem cohibere non valens, illam exterius indicauerit, & flam-
mam illam, quam intus patiebatur, tam dulci magnificationis vo- H
ce foras manifeſtauerit.

His ita prænotatis cùm Seraphico doctore magis tenendum
putamus, qui exultationem in noſtra virgine, magnificatione prio
Simile. rem poſuit. Sicut enim in nobis prior natura eſt cordis lætitia, ſi-
ue triſtitia, quàm riſus & fletus. Sic in virgine prior fuit in Deo ſuo
ſalutari exultatio, quam poſtea ſubſecuta fuit tàm eximia domi-
ni magnificatio.

CAP.

A

CAP. II.

Mariæ in sui filij conceptione diuinam essentiam clarè vidit. Virgo ipsa diuina essentia visa, quare non defecit. Eadem quomodo ipsam diuinam essentiam vidit, si in corpore, an extra corpus.

Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Luc. 1.

B Vamuis in Deo suo salutari semper Maria exultauerit, tamen ad spiritualem exultationem, tunc copiosius fuit excitata, atque omnem abundantiam solitę lætitiæ tunc excessit, quādo Dei mater fuit effecta. Eo enim tempore, nō solum multorum mysteriorum conscia esse cępit: sed claram diuinæ essentiæ visionem suscepit. Id, quod ego hoc loco ideò dixerim, quia Virgo beatissima, cùm in hac mortali vita nōnunquam euecta, atq; eleuata fuerit ad videndum clare diuinam essentiam, saltem per breue aliquod temporis spatium, pro ut ex multorum, eorumq; grauium autorum sententia colligitur, vt ex C Ioanne Gersone alphabet 88. titulo 9. Vbertino lib. 1. arboris vitæ crucifixi cap. 9. & D. Cypriano sermone de natiuitate, vbi dicit, in die natiuitatis datum fuisse virgini abundātiorem gloriam, qua Christi præsentia intus, & extra frueretur. Cum, inquam virgo, in hac mortali vita ad talem diuinæ essentiæ visionem fuerit eleuata, verisimilius videtur hoc magis illi contigisse, in filij sui conceptione, quàm alibi vnquàm. Ioan. Ger. Vberti. D. Cypri.

Facit pro maiori huius rei, de qua agitur, confirmatione, imprimis D. Augustini expressa sentētia tractatu super magnificat, quo D loco sic inquit: Nā cum se Dominum magnificare perhibuit, reuerendam vniuersis æterni numinis magestatē interna visione contueri, se manifeste declarauit. D. Augustini sententiam sic secutus est Hugo Victorinus super Magnificat: vt eius verba nihil fere immutato ibidem adduxerit. Præterea D. Antoninus 4 p. titulo. 15. cap. 17. §. 1. hac eadem de re sic dicit: forte in ipso conceptu, vel partu illi datum est, ad horam, vt videret mysterium huiusmodi, vt in Patria, sicut Paulus vidit Deum in raptu. D. Aug. Hug. Vict. D. Ant.

His D. Augustini, Hugonis Victorini, & D. Antonini sententijs

ego

ego adductus probabilissimum esse putauerim Virginem beatis- E
simam, in sacrosancta diuini Verbi incarnatione, Deum clare
vidisse, in illaque visione tantis diuini spiritus splendoribus fuisse
irradiatam, totque charitatis iaculis vulneratam, vt non sine maxi-
mo miraculo contigisse videatur, quod virgo ipsa tantam verę lu-
cis claritatem videre, tantumque gloriæ pondus sustinere potue-
rit, absque eo quod immenso illo tot sacramentorum pelago, ac
lætitiæ abysso mens eius omnino non absorberetur.

Mat. 17. Nam si D. Petrus solùm Christi trāsfigurata humanitate, duo-
rumque sanctorum societate ad punctum visa, ita fuit delectatus,
vt præ gustu quid diceret, ignoraret, & vere ignoraret, qui oblitus F
Regnum Dei sanctis à domino non alicubi terrarum, sed in cœlis
esse promissum; neque recordatus se, suosque condiscipulos mor-
tali adhuc carne circumseptos, immortalis vitæ statum subire nō
posse neque etiam quòd in domo Patris, quæ in cœlis est, domus
manufacta necessaria non sit, in monte Tabor tabernacula facere
volebat: si, inquam, Petrus præ illius gloriæ suauitatem ita à ra-
tione mansit alienus, quid, oro, virgo non faceret prę gaudio, præ
lætitia, & prę exultatione ob claram summæ illius Deitatis visio-
nem? Et si illo etiam in monte Petrus simul cum Iacobo, & Ioāne,
propter solum illius vocis auditum, quæ de nube lucida facta est, G
omnes ceciderunt in faciem suam, & territi sunt vehementer, fer-
re non vallentes nubis illius fulgorem, neque vocem ex illa emis-
sam: quomodo, quæso, non dicam ad unius lucidæ nubis visum,
aut vocis auditum: sed ad claram illius diuinitatis visionem, quę
in Virginem descendebat, ipsa non facta esset velut mortua, nisi
diuina eam manus tùnc sustentaret?

O quàm bene tùnc virgo tantæ lętitiæ vbertate perfusa, illud
Cant. 2. sponsę dicere poterat: fulcite me floribus stipate me malis, quia
amore langueo. Verum non defuit tunc dilectus dilectæ suæ, nec
filius matri suæ: sed lęua eius sub capite illius, & dextera ipsius H
amplexata est illam. Nam si corruentibus discipulis, & prę timo-
re in terra ita iacentibus, vt surgere non valerent, Christus clemen
Mat. 17. ter accessit, & tetigit eos dicens: Surgite, & nolite timere: quid di-
lectę suæ, quid sponsæ suæ Deus non faceret, nè præ tanta læti-
tia ipsa deficeret? Vere diuina eam tunc virtus clementissimè su-
stentauit, & ita sustentauit, vt velut odoriferis floribus, & vernan
tibus lilijs fulcita Virgo non solum non deficeret, sed etiam, vt
quòd

A quod domi suæ intus acccepit, foras sic dicens manifestaret: Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.

In quibus verbis illud imprimis adnotare nos decet, quod virgo dicit: Et exultauit: quod verbum idem significat, quod extra saltare. Vnde est illud poetæ: Exultantque vada, atque æstu miscentur arenę. Cum vero huius verbi significatio talis sit. Inuestigandum est hoc loco, vtrum in hac exultatione, quam Virgo habuit, propter claram diuinæ essentię visionem, anima, & spiritus Virginis à corpore omnino recesserit, sicut in morte nobis contingit: an vero vtrum manente anima in corpore, (sicut in vehemen-B tiori extasi, & excessu solet fieri) in illa visione exultauerit.

Pro maiori ergo huius difficultatis intelligentia, est magnopere adnotandum, non nullos esse, qui vt hanc Mariæ exultationem declarent, triplicem gradum exultationis ponunt, nempe, infimũ, medium, & supremum. Et sic existis gradibus, illum infimũ esse dicunt, quandò anima super naturaliter eleuatur, ad videndum aliquod occultum, & magnum mysterium. Tùnc enim exultat, & lætatur anima, corpore in suo officio immoto permanente. Et hoc modo exultauit Anna Samuelis mater quandò dixit: Exultauit cor meum in domino: & exaltatum est cornu meum in Deo salu- 1.Reg.2.
C tari meo. Vbi per cor, animam intelligunt, & per cornu intellectiuam potentiam prophetantem, & ad illa cognoscenda eleuatam, quæ in illo cantico dicebantur.

Medius exultationis modus est, quando anima non solum rapitur, sed secum etiam rapit, & attrahit corpus in altum. Et hoc modo raptum fuisse dicunt D. Franciscum, D. Bernardum, & alios sanctos, quando à terra eleuati in aere videbantur. Quo etiam modo D. Paulum raptum fuisse dicunt, vsque ad tertium cœlum. Verum vnde hoc nouerint, nescio; cum ipsemet Paulus dicat se nescire, & ipsum Deum solum scire, an in corpore, an D extra corpus raptus fuerit.

Denique tertium ipsumque supremum exultationis gradum ponunt, quandò anima à sensibus abstracta, & à corpore minus quàm in morte, plus tamen quàm in somno alienata, rapitur, & ita rapitur, vt corpus languidum relinquat, neque actus vitales exerceat, sed præ lætitia in Deo tota absorbeatur, & isto modo dicunt Virginem exultasse. Ac proinde dicunt quòd ideò Maria in præterito dixit: Exultauit: & non exultat, in prę-

senti,

sensu, quia tempore illo, quo erat rapta, & ad tantam lætitiam E
Psal. 84. eleuata, à sensibus ita erat abstracta, vt de præsenti dicere nequaquam posset, exultat spiritus meus, sed de præterito: exultauit, quod tunc fecit quando anima ad vitales operationes obeundas rediit. Hæc ex istorum sententia, quæ, vt ex dictis patet, inter D. Pauli, & nostrę Virginis raptum, discrimen constituit.

D.Ant. Sed D. Antoninus, (sicut ex ipsius à nobis supra citata autoritate constat) nullum inter vtriusque uisionem discrimen statuit, sed aperte dicit quod Virgo beatissima habuit hanc visionem in raptu sicut Paulus. Cũ ergo probabilis sententia sit, quòd D. Paulus viderit diuinam essentiam in illo raptu, qui secundum docto- F
Act. 9. res communiter, in illo triduo factus fuit, de quo in Apostolorum actis sub his verbis mentio fit. Et erat tribus diebus non videns, & non manducans, neque bibens. Cum, inquam, probabile sit quòd Apostolus in illo raptu viderit diuinam essentiam, idem de nostra Virgine sentire non solum est probabile: sed etiam probabilius pręsertim cum omnia priuilegia gratię reliquis concessa, perfectiori, atq; abundantiori modo ipsi Virgini collata fuerint.

CAP. X. G

Maria multo perfectius vidit diuinam essentiam, quàm D. Paulus in raptu.

Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Luc. 1.



His, quę à nobis superiori capite dicta sunt, & pręsenti etiam dicentur, nequaquàm obstat, quod H ex nulla diuinę scripturę autoritate expresse colligitur diuinę essentiæ visio Marię concessa, sicut fit de Paulo, cuius diuinę essentię visio clarè colligitur ex ipsius scripturæ diuinę autoritate. Quamuis enim diuina scriptura de Maria minime videatur aperte indicare, quod viderit diuinam essentiam, sicut de Paulo, dè quo ex ipsius scripturę verbis expresse colligitur (& sancti ita ea exponunt) ipsum vidisse diuinam essentiam. Ait enim de ipso scriptura:

A scriptura: Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim siue in corpore, siue extra corpus nescio, Deus scit, raptum huiusmodi vsque ad tertium cœlum. Et scio huiusmodi hominem siue in corpore, siue extra corpus nescio, Deus scit, quoniam raptus est in Paradisum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Quæ verba exponens D. Augustinus lib. 12. in Genesim, & lib. de videndo Deum, expresse dicit D. Paulum in illo raptu vidisse diuinam essentiam. D. Augustinum sequitur D. Thomas multis in locis, & præsertim 1. p. q. 12. ar. 11. & multò clarius 2. 2. q. 175. artic. 3. vbi expresse affirmat D. Paulum vidisse B diuinam essentiam. Quamuis, inquam, hoc ita sit, quòd ex scripturæ expressa autoritate aperte colligatur D. Paulum vidisse diuinam essentiam, tamen hoc minimè obstat quin idem de Virgine multò probabilius credi possit, tum quia (sicut supra iam vidimus) non de sunt Patres, qui idem de Vergine similiter sentiant, tùm etiam quia licet nullum sit scripturæ testimonium, ex quo id expresse colligatur, sicut de Paulo, tamen hoc nullum est inconueniens, in primis quia non opus est speciale scripturæ testimonium spectare, vbi in ipsa dignitate matris Dei tanquam in radice, & fonte hæc omnia continentur. 1. Cor. 12. D Aug. D. Tho.

C Deinde quia multa priuilegia probaliter credimus virgini fuisse concessa, de quibus tamen in ipsa scriptura nulla mentio fit. Vbi enim in ipsa scriptura legimus, quòd Christus Dominus, post resurrectionem suam, matri suę primò apparuerit? Certe nullibi. Et tamen absque vlla prorsus dubitatione tenendum, & credendum est Christum Dominum prius apparuisse matri suæ, quàm alijs. Id, quod etiam affirmant D. Ambrosius libro tertio de virginibus. Sedulius lib. 5. paschalium carminum, D. Bonauentura de meditationibus vitæ Christi cap. 87. Rupertus Abbas de diuinis officijs cap. 25. & D. Anselmus lib. de Virginis D excellentia cap. 6. quo loco Anselmus in primis rogat: cur Euangelistæ non narrauerint Christum primo, & præcipue matri apparuisse? Et deinde respondet hoc fuisse, Primo quia hoc videri poterat superfluum. Deinde ne eam viderentur æquare cæteris, quibus Christus apparuit. Id quod ego pari etiam ratione dicendum esse putauerim in materia visionis diuinæ essentiæ, quæ probabiliter creditur Virgini fuisse ostensa, quamuis D. Amb. Seduli. D. Bona. Ruper. D. Ansel.

uis

nis hoc scriptura non indicet, id, quod scriptura ipsa ideò E fortassis fecit, nè aut videretur superfluum, aut alijs Virginem videretur æquare, de quibus ipsa scriptura hoc aperte indicat.

Ex his omnibus (sicut credo) manifestum satis relinquitur, Virginem beatissimam vidisse diuinam essentiam, sicut Paulum, immo multò clarius, & perfectius quàm Paulum. Quemadmodum enim oculi corporis nostri, non æqualiter illuminantur à Sole, sed quanto quis in altiora loca conscenderit, tantò amplius, & perfectius eius vim percipiet, & calorem. Ita etiam mens Virginis non æqualiter cum Paulo, sed multò perfectius F quàm Paulus diuinam essentiam contemplata est. Quanto enim altius, & perfectius Deo appropinquauit, tantò magnificentius, & clarius illius supremę, atque incommutabilis essentiæ lumine persusa est.

Simile.

Hoc autem videtur manifeste expressisse Rupertus Abbas lib. 3. Commentariorum in Cantica super illa verba: Oculi tui columbarum. Si enim, inquit Rupertus, quispiam dixit, & teste Deo, vel conscio non mentiens dixit: Raptum se fuisse in Paradisum siue vsque ad tertium cœlum, ita vt nesciat siue in corpore, siue extra corpus raptus fuerit, & audisse arcana G verba, quæ non licet homini loqui: quantò magis tu Regina cęlorum per sæpe cœlestibus interfuisti, quippe quam & circunsteterunt obstetricum vice gloriam Deo concinentes Angeli, & inter hæc didicisti, vel assecuta es aliquid, quod latet, & latere nos debet. Hæc Rupertus.

Ruper.

Verum hac ipsa de re Ruperto ipso multo sanè clarius, & luculentius Albertus Magnus super missus est cap. 96. quo loco non solum indicauit nostram Virginem Deum vidisse, sed etiam in eo videndo, cognoscendoque tantam perspicacitatem ipsi Virgini tribuit, vt asserat, quod non sicut D. Paulus sed mul H to perfectiori modo Deum viderit, quàm Paulus. Ac pro inde huius rei rationem reddens Albertus, sic inquit. Vnde Paulus excellentiori visione stupefactus dicit: Vtrum in corpore, vel extra corpus nescio, Deus scit. Hunc autem stuporem beatissima Virgo non habuit, cuius intellectus Deiformior, & illi luci proportionabilior fuit. Vnde sicut lux eadem, quæ est ægris oculis

Alb. Mag.

2. Cor. 12.

Simile.

A oculis odiosa, sanis oculis est amabilis, & sicut per eandem lucem clari oculi perfectius vident, & sine perturbatione, ægri autem minus perfecte, & cum perturbatione: ita lux spiritualis quæ oculis Pauli fuit improportionabilis raptum fecit cùm stupore; talis autem lux oculis Beatissimæ Virginis fuit proportionabilis sine stupore, cùm delectatione. Hoc enim debebatur ei ratione puritatis, & munditię, qua super Paulum, & omnes viatores nitebat improportionabiliter, & excellenter. Taliter Albertus Mariam prędicat, taliter nostræ Virginis, excellentiam visionis diuinæ essentię extollit; vt sine stupo-B re, & cùm maxima delectatione Mariam, Deum vidisse affirmet. Simile.

Et quid si Virgo ipsa, hoc ipsum etiam voluit significare, cum dixit: Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo? Videtur enim Virgo in istis verbis perinde se habere, ac si apertius diceret. Cum ad perfectam, & claram diuinæ essentię visionem eleuata fui, nullus ibi mentis excessus, nulla extasis, nullus stupor, nullus sopor, nulla denique à sensibus abstractio, sed immensa suauitas, delectatio maxima, & dulcedo summa, qua perfusus spiritus meus exultauit, in Deo salutari meo.

C Hoc vero ausim ita existimare tùm propter hęc Virginis verba, quæ idem videntur sonare, tùm etiam propter eundem Albertum, qui loco citato de modo cognitionis Mariæ agens sic dicit: Modus etiam cognoscendi non fuit per modum abstractionis, vel stuporis, vel extasis, vel etiam soporis, hæc autem contingunt propter excellentiam, & improportionabilitatem luminis ad intellectum, vt patet in lumine corporali in transfiguratione Domini, quando ostendit eis claritatem simillimam claritati glorię. Dicitur enim quod Petrus, & qui cum eo erant grauati erant somno, ita vt videre non possent. Vn-D de tunc Domino Petrus: Bonum est nos hic esse, nesciens quid diceret, stupor enim circumdederat eum. Similiter in lumine spirituali est. Cum ergo ex ista Alberti sententia hęc omnia contingant ex improportionabilitate luminis ad intellectum illuminabilem, & Virgo ex ipsius etiam Alberti sententia talem improportionabilitatem non habuerit, sed maximam proportionabilitatem ad diuinam lucem, fit consequens quod absque istis viderit diuinam essentiam, id quod de nullo alio dictum Alb.Mag. Mat 17. Luc.9.

reperitur, quam de Virgine. De Virgine, inquam, cui D. E
D.Atha. Athanasius lib. quæstionum ad Antiochum Principem quęst. 28. perspicacitatis, & acuminis tantum attribuit, vt asseuerare non dubitet: sola vero sancta Dei mater (sunt verba Athanasij.) nudam substantiam, sicut re vera est Gabriel, ipsa vidit.

Alb.Mag. Sed ego sanè non miror tale quid de Virgine dixisse Athanasium, præsertim cum Albertus magnus non angelorum, sed diuinissimæ, ac simplicissimæ essentię visionem ipsi adaptauerit, & talem visionem, qualem neque Paulo, neque sanctorum vlli vnquam concessam inuenimus. O Virginem Beatissimam. O aquilam vere Regiam. F
Simile. Nam sicut de nulla auium nisi de sola aquila dicitur, quod solis fulgorem inconniuentibus oculis potest aspicere: ita etiam de nullo sanctorum, nisi de sola Virgine dicitur: quod irreuerberatis mentis oculis in corpore mortali adhùc existens, veram illam æterni solis claritatem potuerit contueri.

CAP. IIII.

Maria huic mundo omnino mortua fuit: De ipsa diuinus amor maximè triumphauit. G

Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Luc. 1.

Alb.Mag. 
Lbertus Magnus super missus est cap. 96. iam à nobis superiori cap. allegato. Vt marianæ visionis excellentiam melius ostenderet, dixit: Virginis cognitionem Pauli cognitionem, in habitus possessione longe superasse. Huius rei (sicut ille inquit) ratio est: quia talis habitus actus, qualem habuit Paulus in raptu ad tempus in eo fuit, & postea non fuit. H
Cessauit enim habitus cum actu. Id, quod etiam sub alijs uerbis ostendit Nicolaus de lyra super 17. cap. Matthæi, vbi dicit quod lumen eleuans animam Pauli in raptu ad videndam diuinam essentiam non fuit in Paulo, per modum qualitatis permanentis, sed per modum passionis transeuntis: In nostra
Nin. lyr.

stra

A ſtra Virgine vero non item: quia ſicut ipſe dicit Albertus, perfectiorem habitum ſemper, & continuè habuit ab eo tempore, quo mater Dei fuit effecta vſque dùm ille habitus in glorioſam cognitionem ſecundum ſtatum patriæ perfectus fuit. Et deinde ſubdit idem Albertus: & ita continuatio poſſeſsionis debebatur ei ſecundum maiorem perfectionem, qua huic uitæ ſuper omnes viatores funditùs mortua fuit, propter quod vita eius cùm Chriſto, in Deo abſcondita ſemper fuit, & curiæ angelicæ præſens, intra ſanctuarium Dei habitauit.

B Sed quomodo (vt interim multa alia hoc loco taceamus) huic vitæ funditus mortua non eſſet, cui Deum ſic videre datum erat? Sanctus ille Symeon à Luca Euangeliſta, immo ab ſpiritu ſancto per Lucam tantopere laudatus, ſimulac Dei Verbum ſuis oculis conſpexit, illico omnia reſpuens exclamare incępit. Nunc dimittis ſeruum tuum Domine ſecundum verbũ tuũ in pace, quia viderũt oculi mei ſalutare tuum. Quia viderunt, inquit, oculi mei ſalutare tuum. O uere Beatos Symeonis oculos: oculos, inquam, non tantum corporis, ſed animæ: illis ſiquidem viſibiliter puerum ſuſpiciebat: iſtis vero non ſolum C ad puerum attendebat, ſed illuminatus fulgore Spiritus Domini Verbum in carne cognoſcebat: illis cernebat ex Virgine natum tantillum infantem: iſtis conſpiciebat Dominum omnibus dominantem: illis creatum, iſtis creatorem: illis infirmum, iſtis fortiſſimum: illis alendum, iſtis alentem; illis non loquentem, iſtis angelos in cœlo docentem: Et ſic cùm ſenex ille Symeon vtroſq; oculos ad vtraque flecteret, & Dei atque hominis filiũ manibus teneret. Te inquit, laudo, te Domine benedico: & pro iam adimpleta promiſsione tua, & pro cõpleto deſiderio meo. Dimitte ergo nunc ſeruum tuum in pace, quia uidi Dominum D Ieſum, quia vidi ſalutare tuum. Luc. 2.

Sed quomodo iſtud ò Sancte ſenex? Quomodo iſtud? Hùcuſque mortem nolebas, & vitam volebas, & nùnc quando vitam vides, mortem vis, & vitam non vis? Sciebat Beatiſsimus ſenex quia beati eſſent oculi, qui Chriſtum eſſent viſuri, & ideo donec illum ipſe videret, nolebat morte diſſolui, quem tamen vt vidit mox optabat in pace dimitti: Conſpexit ſuis oculis Dominum Ieſum, & ideo dicebat: Nunc dimittis Domine

 ſer-

ſeruum tuum. Ac ſi diceret: ſi ad hoc vſque tempus, mortem nolebam, & vitam volebam, ideo erat, quia ſalutare tuum meis oculis videre ſperabam: Sed nùnc quādo iam ipſum vidi, ad quid volo viuere? Non enim æquum iudico, vt amplius viuam, nec illis oculis iam aliud vnquàm aſpiciam, qui viderunt ſalutare tuum. E

Si ergo (vt iam ad inſtitutum reuertamur) ob ſolam Verbi incarnati viſionem, beatiſſimus ille ſenex talis remāſit, vt huic vitę penitus mortuus eſſe vellet: qualis, putas Virgo remaneret, ob clariſsimam, atque ſimpliciſſimam illam Dei viſionem, quam habuit in filij ſui conceptione? Crediderim ſanè quòd ob illam Dei viſionem, huic mundo ſic mortua Virgo remanſit, quòd nihil amaret, aut cuperet, aut admitteret pręter Deum, ſic ab ipſa tàm clare viſum. Ac proinde tanquam ſi ab ea ratio quæreretur, quare ſibi omnia tantopere vileſcerent, Virgo dixit: Et exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Ac ſi apertius diceret: Ideo totus mundus mihi crux; carnis voluptas inſtar fellis, corpus carcer, vita mors, & mori lucrum mihi videtur, quia exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. F

O amorem ardentiſsimum, qui ita de Virgine triumphauit, & eius, non tantum cor, & linguam: ſed ſpiritum ita ſibi vendicauit, vt iam Virgo in nulla re alia, quàm in ſolo Deo nouerit exultare. O ſi huius ignis vnica tantum fauilla tangeremur. Quomodo tùnc faſtidiremus omnia, & contemneremus vniuerſa præter ſolum Deū, in quo ideo cùm Virgine non exultamus, quia nec minima quidem ipſius amoris ſcintilla tangimur: ſi enim tangeremur, nulla iam humanarum rerum dulcedine caperemur: Sed in ſolo Deo Virginis exemplo exultaremus, quam totam diuinus amor in Deum adeo rapuerat, vt corpore quaſi liberata loqueretur. Et exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Marię enim in Deum amor & ſuccenſa charitas mētem, & ſpiritum Virginis à corporalibus ad ſpiritualia, à præſentibus ad futura, à viſibilibus denique ad inuiſibilia ita tranſtulerat, vt in terra eſſet, & animo prorſus in cœleſtibus habitaret, in corpore degeret, & ſpiritu in Deo ſuo ſalutari exultaret. G H

CAP.

A

CAP. V.

Maria solo corpore in terris posita, semper animo versabatur in cœlo. Ipsa non cibum de terra sumebat, Sed de manu Angeli: Deus solus à nobis amari vult: nec sui amoris socium ullum admittit.

Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Luc. 1.

B ANtiquus ille, & nequaquam contemnendæ autoritatis autor Arnobius in suis commẽtarijs in psalmos super illa verba psalmi 76. nempe; Et vox tonitrui tui in rota: Eos qui in terris sunt, & ad sola cœlestia aspirant, rotæ comparat siue voci in rota: sic inquiens. Rota licet in terra voluatur, tamen dùm steterit magna pars eius aliena est à terra. Et parua pars eius in terra consistit: Vox ergo Dei in rota est, qui paruis rebus terrenis contentus totum, quod sursum est, quęrit: quò sursum est pergit, vbi Christus est. Si ergo Arnobius eos, qui paruis rebus C contenti totum, quod sursum est quærunt, rotæ, siue voci in rota comparat, quę dum stat magna sui parte à terra eleuatur, & parua in ea consistit: Quomodo nos maiori ratione Virginem rotę non comparabimus? Virginem, inquam, quæ sicut rota, immo multo perfectius quàm rota tantilla sui parte corpore scilicet, in terra tantummodo existens, sic dicens pergebat in Deum: Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. [Arnob Psalm. 76] [Simile.]

An non perexigua sui parte rota ista terram tangebat, & maiori sui parte in cœlum tendebat, quæ in terra erat, & nec cibum quidem de terra sumebat? Nam (vt autor est D. Hieronymus de vita beatæ Virginis, & allegatur etiam à D. Bonauentura de meditationibus vitæ Christi cap. 4.) Angelus Virgini apparebat, de cuius manu ipsa cibum accipere solebat. Id, quod etiam, præter Hieronymum, affirmãt Cedrenus, & Gregorius Nicomediensis: ille in suo compendio historiarum: iste vero homilia de oblatione Virginis in templo. [D. Hiero. D. Bona. Cedrẽ. Greg. Ni.] D

Nec hoc cuiquam mirum esse videatur, præsertim cùm hoc ipsum de multis alijs sanctis memoriæ etiam proditum reperia-

mus:ex quibus duos solũ hoc loco adducemus sanctissimos Abbates Apollo, & Anuph, quorũ vtrumq; ab angelis enutritum narrat Palladius, qui in vita Apollo: Eius aũt, inquit, alimentũ, tunc quoq; sicut prius admirabili, & præter opinionem ratione seppeditabatur. Ei enim in solitudine per angelum afferebatur nutrimentum. Quòd vero attinet ad Abbatem Anuph de illo etiã, in eius psona sic dicit idẽ Palladius in vita ipsius Anuph. ex quo seruatoris nomen professus sum, humani cibi nihil sumpsi, me cœlesti alimento alente quotidie angelo. E

Palla.

Quòd si cœlesti alimento sanctos istos Deus sustentabat, qd mirum, si Mariam sic enutriret, & per angelum sustentaret? Vt vel sic ostẽderetur quantum à terrenis rebus Virgo inueniretur aliena, quæ nec terreno quidem vteretur cibo. Sicut illi, qui in mari sunt non hauriunt, neque bibunt de mari, neque ex eo victum, aut vestitum sibi sumunt: sic Virgo licet in mundi mari esset, tamen à mundo nihil volebat, sed à Deo propter quẽ mundana omnia, libentissime ipsa despiciebat. F

Simile.

Simile.

Neque mirum si diuinus amor hoc efficiebat in Virgine. Si enim corporalis amor sic deuinctam tenet animam, vt ab omnibus, etiam necessarijs actibus cogat abscedere, & illi soli, quem amat, operam dare: quomodo amatrix Dei virgo animam, & spiritum à reliquis omnibus non abstraheret, ac affectionibus cunctis non renuntiaret: vt solius Dei amori tota incumberet? Renuntiauit quidem, ac verissime, & libentissime renuntiauit, sicut ipsa sic dicens nobis clarissime demonstrauit. Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. G

Cognoscebat Virgo Beatissima amãtissimi Dei sui cõditionẽ: sciebat ꝙ ipse cùm à nobis amatur, solus vult amari, neq; secùm sui amoris socium vllum admittit; & ideo cum illo nihil amare volebat Deus in amore comparem nullum vult, sed ipse solus esse vult. Hinc illa ipsius verba tota, velut zelotipiæ plena: H

Deut. 32. Videte quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me. Non est Deus noster sicut alij gentium Dij, seu potius dæmonia. Nam alij gentium Dij, immo dæmonia: cum soli esse non vellent dùm colerentur, nihil curabant, si alij etiam tanquam Dij ab hominibus haberentur. Verum Deus noster non sic: sed

Isa. 42. ait: Ecce ego Dominus hoc est nomen meum, & gloriam meã alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus.

Habe-

A Habemus euidétissimum huius rei exemplum in ipsa diuina scriptura, vbi dicitur ꝙ cum Philistim arcã Dei assumerẽt eamque in templum Dagon inferrent, & iuxta ipsum Dagon eã statuerent, altera die diluculo reuertentes, suum Dagon ante Domini arcam, iacentem inuenerunt: quem cùm iterum in suo loco reponerent, die altera summo manè cõsurgentes, Dagon similiter in terra iacentem inuenerunt. Permittebat Dagon Dei arcam in altari sibi dicato collocari: sed ipsa Dei arca non sustinebat, illum secùm ibi diutius immorari: & ideo eum in terram deiecit: Vt vel sic hominibus innotesceret, Deum nolle ali- B quem sui amoris comparem habere. 1.Reg.15.

Hac de causa regius vates: Quid enim, inquit, mihi est in cœlo, & à te quid volui super terrã? pro quo hebraica veritas, sic habet. Et tecũ quippiam nolui in terra. Id, quod etiã vertens Chaldæus interpres ait: Tecum sociũ non habui in terra. Hoc autem (siue vno, siue alio velis modo interpretari) nihil melius inueniri potest, ad ostẽdendam hanc Dei nostri conditionem: ad quã significandam, illud quoque Moysis maximè spectat, quo dicitur: Diliges Dominum Deum tuũ, ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota virtute tua. Id, quod exponẽs D. Petrus Chry- C sologus sermone 147. qui est de in Darnationis Sacramento: Quidquid est, inquit, cordis, quidquid mentis, quidquid virtutis humanæ, ita Dei amore voluit possideri, vt hominis mundanus non haberet, quid violaret affectus. Psal. 72. Exod. 20. D. Petrus Chry.

Sciebat hæc omnia Virgo Beatissima: sciebat quidem ex vna parte Deum, totum hominem sibi velle, ex alia vero ꝙ Deum ipsum minus amat, qui cũ eo aliquid amat. Et ideo se se à terrenis omnibus libẽter abdicauit, vt Deum suum diligeret, ex toto corde, ex tota anima, & ex tota virtute sua. Hoc est, ex omni, quod esset, quod sciret, quod posset. Neque hoc solum Virgo conten- D ta est. Sed cùm tanta huius sui amati dulcedine caperetur, & istius dulcedinis, omnes etiam participes esse vellet. Et exultauit, inquit, spiritus meus in Deo salutari meo.

Hoc autem perinde est ac si apertius Virgo diceret. Quid tàm casso labore desudatis? Quid ibi vestra gaudia quæritis vbi nequaquam inuenietis? Si vultis inuenire, ea in Deo quęrite, in quo solo ego ipsa inueni. Et si fortè non uultis credere mihi dicenti, saltem credite experienti: quia exultauit

ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Dummodo ergo totum id fa- E
ciatis, quod in vobis eſt: non uos ab huius dulcedinis inquiſitio
ne retardet, quòd charitate ex æquo contendere non valetis,
cùm eo, qui charitas eſt: quia etſi minus diligit creatura, quia
minor eſt: tamen ſi ex tota ſe diligit, nihil deeſt, vbi totum eſt.

CAP. VI.

Veram animi delectationem, in ſolo Deo conſiſtere Maria docuit. Deus ſolus, totum bonum noſtrum, & tota fęlicitas noſtra.

F

Et exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Luc. 1.

VEram animi delectationem in ſolo Deo conſiſtere, ita clarum, atque apertum eſt, vt etiam veteres illi ethnici, quicunque in hac re inueſtiganda paulò altius philoſophati ſunt, aliud ſentire minime potuerint. Ex iſtis philoſophus cùm multa de fælicitate, in qua ſumma eſt delectatio diſſeruiſſet, tùnc illud ad extremum concludens adiecit, nimirum eam eſſe in cognitione, & contemplatione Dei & mentium (ſicut ille ait) à corpore, & ab omni G concretione abſtractarum. Hæc igitur cùm ab homine cæco, & à philoſopho euangelicę veritatis ſummè ignaro tàm benè dicta ſint; quid à chriſtianis hominibus, & à veræ fidei lumine colluſtratis philoſophis dici, aut exiſtimari par eſt? Verè nihil aliud, niſi illud, quod veriſſimum eſt: nempe, quòd nullibi quàm in Deo, ſumma hominis fælicitas eſt. Nam in Deo ſolo ipſius hominis animus perfectè ſatiatur. Omnia enim alia pręter Deum, famem homini magis prouocant, quàm extingunt. Neque omnino eſt ponere ſatietatis modum, donec videatur impletus; donec vnum ſolum bonum adeptus ſit, quo valeat H eſſe contentus.

Vnde eſt quod ille, qui verbi gratia, vxorem habet ſpecioſam, petulanti oculo, vel animo reſpicit pulchriorem? Et qui veſte pretioſa indutus eſt, pretioſiorem affectat? Vnde eſt quod ille, qui multas poſſidet diuitias, inuidet ditiori? Vnde eſt, quòd videmus per quam multos prędijs, & poſſeſſionibus ampliatos, adhùc tamen agrum agro copulare, atque infinita cupidita-

A cupiditate dilatare terminos suos? Vnde denique est, quod videmus multos, qui regalibus domibus amplisque habitantes palatijs, nihilominus nō cessant coniungere domum ad domum, & inquieta curiositate ędificare, diruere, mutare quadrata rotundis? Vnde hęc omnia? Plane ex eo, quia (sicut sermone Euāgelij, Ecce nos reliquimus omnia, dicit mellifluus Pater D. Bernardus) ad imaginem Dei facta anima rationalis, cæteris omnibus occupari potest, repleri omnino non potest: capacem Dei quidquid Deo minus est non replebit. Quemadmodum vas rotunda figura præditum, non potest omni ex parte repleri B nisi à corpore similiter rotundo: ita etiam animus hominis ad imaginem Dei factus repleri, & satiari non potest, nisi à Deo cui similis est. Cum enim homo ad imaginem Dei factus sit, vt posset esse æternitatis, infinitatis, & diuinitatis quodammodo capax, nullum, præter Deum tàm ingens bonum inuenitur, quod ipsum explere, & satiare valeat. D.Bern. Simile.

Si vero vniuscuiusq; hominis tāta est animi capacitas, vt nulla queat re alia perfecte saturari, quam Deo: quid quæso vel dici, vel existimari poterit de augustissimo nostræ Virginis animo, vbi eius solùm vteri fuit tanta capacitas, vt ipsum, quem cę C li capere non possunt, ipsa suo gremio conferret, & vtero contineret? Quid tantam tamque in immensum protensam altitudinem, latitudinem, & profunditatem ad plenum posset implere? Sane nihil nisi vna, & sola ipsius trinitatis, & diuinitatis magnitudo. Sicut enim si in triangulare aliquod uas, rotundum aliud velimus includere, nihil prorsus efficiemus, cum tres anguli vacui semper remaneant. Si vero in ipsum vas, triangulare aliud includamus, id proculdubio quadrabit, & vacuos alterius vasis angulos replebit: ita etiam sanctissimum Virginis animum, nihil, non dico mundanum: sed neque totus D etiam mundus replere poterat. Quid enim commune rotundo cum triangulari? Quid affine mundo, qui figuræ est orbicularis cum Maria? Maria inquam, quæ erat vas admirabile opus excelsi: quæ erat vas elaboratissimum, & perfectissimum? Nam licet vas istud non esset tribus angulis, hoc est, tribus animę potentijs distinctum à cæteris: tamen ad hoc electum, & prælectum erat præ cæteris, vt esset totius sanctissimę receptaculum Trinitatis, Patris, Filij, & Spiritus Sancti: Vnius Dei, Simile. Eccle.43.

qui

qui eſt in pſonis trinus,& in diuinitatis eſsētia vnus,ęternus, vi E
uus, & verus Deus, in quo ſolo noſtra Virgo ſatiatur,& ſatiatā ſe vidēs: Et exultauit,inquit,ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.

Quid ais Virgo Beatiſsima? Quid ais? te ſatiat, te inebriat,& ita ſatiat,& inebriat Deus tuus: Et ſolùm exultat ſpiritus tuus? Certe miror potius, quod præ tanta ſatietate, & ebrietate non defecerit animus tuus, quàm quòd præ gaudio exultauerit ſpiritus tuus. Nam ſcio hominem tali ſatietate, & ebrietate madentem, ſed quid circa ſe ageretur, omnino neſcientem. Si-
2.Cor.12. ue in corpore, inquit, ſiue extra corpus neſcio, Deus ſcit. Ita inebriatus erat, ſic mundus ei in obliuionem venerat, quòd ſe F
ipſum neſciebat quanto magis Mundum: Tu vero non item Virgo Beatiſsima, ſed cùm te ſatiat Deus tuus, in eo exultat ſpiritus tuus. Vnde hoc niſi quia ipſe qui te ſatiauit, ipſe te ſimul ſuſtentauit, vt omnino non deficeres, ſed nobis ſic diceres: Et exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.

Ad quid hoc Virgo Santiſsima? Ad quid Virgo pijſsima? Plane vt vel ſic tuo nos doceres exemplo, vt in ſolo Deo noſtrum nos gaudium quæreremus, in quo tu inueniſti,& tuum: & eo inuento dixiſti: Et exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Ac ſi apertius Virgo dixiſſes: Quærite veſtrū gaudium, vbi G
eſt ſummum bonum, quia gaudij,& lętitię illis nihil deeſt, quibus ſummum bonum, bonum eſt. Sunt enim & inferiora bona, quæ alijs bona ſunt: Nam pecori nihil bonum eſt niſi implere ventrem, niſi carere indigentia, niſi dormire, geſtire, ſanum eſſe, & alia huiuſmodi: bonum hoc eſt illi, ſed vſque ad quendam modum conceſſum: vſq; ad certam menſuram ab omnium rerum creatore Deo tributum. Non tale eſt veſtrum bonum; neque in eo vos veſtrum ponatis gaudium, cum ſitis hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti. Sed erigite ſpem veſtram, ſubleuate deſiderium veſtrum, ad bonum bonorum omnium: H
quia ſicut citra illud nulla vos poterit quies reuocare: ſic nec vltra illud vos valebit inquietudo aliqua ſollicitare. Tale ego bonum ſemper deſideraui, & cùm deſiderarem inueni, & cùm inuenirem poſſedi, & cùm poſsiderem, & quid vltra illud iam quęrerem omninò non haberem. Exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.

O ſi huius Virginis exemplo, vellemus quęrere bonum noſtrum:

A ſtrum: quomodo inueniremus gaudiũ noſtrũ. Sed noſtrum gaudium ideo non inuenimus, quia bonũ noſtrum non quærimus, aut ſi q̃rimus, ibi quærimus, vbi nequaquàm inueniemus. Putas nè in terrenis iſtis inuenies bonum tuum? Reperies gaudium tuum? Erras quidẽ, & vehementer erras, ſi ita putas. Ad altiora aſpires oportet: vt ad ipſum Deum te conferas, tibi eſt omnino neceſſariũ. Quia ſicut ipſe ſolus eſt bonum tuum: ita in eo ſolo inuenies gaudium tuum. Et non qualecunq; gaudium ſed plenum gaudium. Huius rei cauſa Dauid cum ſe ad laudandum Dominũ vellet excitare: Benedic, inquit, anima mea Domino, Pſal. 102.
B & omnia, quę intra me ſunt nomini ſancto eius. Et deinde ſuæ benedictionis, & laudis cauſas multas enumerans, ſimul adiunxit: Quia replet in bonis deſiderium tuum. Ac ſi diceret: hunc ſolum ò anima mea debes amare: hunc ſolũ debes, & optimo iure debes laudare, qui ſolus poteſt deſiderium tuum ſatiare.

CAP. VII.

Deus ſolus, & nihil aliud, poteſt nos perfecte ſatiare. Ipſe Deus quomodo à nobis eſt amandus.

C

Et exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Luc. 1.



Vòd ſolus Deus animam noſtram valeat ſatiare, illis verbis Chriſtus uoluit nobis aperte ſignificare, quibus miniſtrantem, & circa frequens miniſterium ſatagentẽ Martham ipſe alloquens: Martha, Martha, inquit, ſolicita es, & turbaris erga Luc. 10. plurima, porro unum eſt neceſſariũ. Video ait, o Martha, video
D te nimis ſolicitam, & circa plurima turbatam, quibus me reficere paras: Verumtamẽ ſcito unum ſolum eſſe neceſſarium, quod uere reficit. Scito quod una ſola refectio, unus cibus, unus potus, unũ ferculum, unum alimentum neceſſarium eſt, in quo ſolo uera ſatietas poſita eſt, quæ non in multitudine, ſed in ſola unitate ſita eſt. Cætera omnia quæ in mundo ſunt, hominem ſatiare non ualent. Vnum ſolum eſt bonum, & hoc ſolum cum inuenitur, ſatietas inuenitur: in eo ſolo parando, ac tibi comparando ſollicita ſis. Nam illud ſummo ſtudio comparandum

parandum est, quod solum bonum, & verum bonum est: & in E
quo solo ratio totius boni sita est, quod solus Deus est, qui est essentialiter bonus,& ideo in illo solo perfecta satietas est. Taliter Christus Dominus videtur distractam Martham, ad hoc solum bonum parandum, colligere voluisse, immo & in Martha nos ipsos, vt hoc vnum bonum comparare omnes studeamus,in quo solo mens nostra vere reficitur,& perfecte satiatur. Talem igitur satietatem, vt habeamus, omnem alium affectum à nobis ipsis excludere debemus: Et præter hoc vnum bonum nihil aliud diligere studeamus. Hoc vnum solum amemus,hoc
vnum concupiscamus, hoc vnum sitiamus, ad hoc vnum an- F
helemus, ad hoc unum suspiremus, & si uere sapimus nihil nobis unquam sapiat,nisi hoc uno solo bono cõditum uideamus.

Si uero ad hoc ita faciendum adhùc satis non mouemur exemplo tàm matris, quàm filij: filij quem cùm Martha ita nouimus colloquentem, & matris, quam in sólo Deo uidimus exultantem: hoc saltem nos moueat, quòd ab ipso Deo creati sumus, ut ipse in nobis suas delitias haberet: & nos in ipso etiã

Simile. nostras. Sicut enim quia animalium nullum inueniebatur Adę simile, cùm quo ipse societatem, amicitiam, & familia-
ritatem posset inire, creauit Deus Euam tanquam eius sociam: G
ita etiam creatis rebus corporeis, cùm nulla esset Deo similis, cùm qua Deus ipse societatem,amicitiam,& familiaritatem habere posset, fecit sui similem hominem, quem Deus ipse amaret, & à quo uicissim tàm unice Deus ipse, etiam diligeretur,ut ab alijs omnibus homo semotus, cum nostra Virgine in ueritate dicere possit: Et exultauit Spiritus meus in Deo salutari meo.

Nouerat in Deo hunc uehementissimi amoris affectum, qui

Iob. 7. dicebat, & dicendo interrogabat, & non qualitercunque, sed totus admirabũdus interrogabat. Domine quid est homo,quia
magnificas eum:aut quid apponis erga eum cor tuum? Sentie- H

Prou. 8. bat,& in se ipse Deus,qui amabat,ac amans talia prorumpebat in uerba. Delitiæ meæ esse cùm filijs hominum? Quibus uerbis Deus ipse abunde satis ostendit,suum gaudium, suam delectationem,& suas delicias esse in homine, quem non solum fecit, sed et refecit,& non tàm facile refecit,quàm fecit. Nam qui hominem dicendo, & tantùm dicendo fecit: faciamus homnem ad imaginem, & similitudinem nostram: in reficiendo profe-

A cto, & dixit multa, & gessit innumera, & pertulit dura, & non tantum dura, sed & indigna.

Quid ergo retribuemus tanto amatori prò omnibus, quæ ipse tribuit nobis? Nam in primo opere nos nobis concessit: in secundo se nobis dedit. Et ubi se dedit nos nobis reddidit. Dati ergo, & redditi nos prò nobis debemus, & bis debemus. Te igitur debitum, & bis debitum o homo da datori tuo: rependе creatori tuo. Sed quomodo, inquies? In ipso tuas delitias constituendo, qui in te posuit & suas. Erga ipsum cor tuum apponendo, qui erga te apposuit, & suum: Denique amando, & sic a-
B mando copiosissimum amatorem tuum, ut ex toto tui cordis affectu dicere ualeas: Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.

Sed quomodo, inquies, amabo? Quomodo in Deo meo salutari exultabo? Amat me immensitas, amat æternitas, amat supereminens scientiæ charitas, amat ille cuius magnitudinis non est finis, cuius sapientiæ non est numerus, amat me Deus meus, & me ex toto se amat (si tamen totum dici potest de infinito, & incomprehensibili, aut certe de simplici) quia tota trinitas amat: Et ego illum amabo? Ego uicem rependam?
C Quę proportio tantilli ad tantum? Quomodo amor meus dirigetur in immensum? Quomodo conabitur in infinitum? Sufficit, sufficit frater, sufficit quia ita est: sed tamen scito, quia nec sic quidem amandi obligatio tibi deest. Quid enim? Putas fortasse euacuabitur debitum tuum? Destruetur obligatio tua, ex eo, quia non uales ex ęquo concurrere cum Gigante, dulcedine cùm melle contendere, lenitate cùm agno, candore cùm lilio, claritate cùm sole, charitate cùm eo, qui charitas est? Non propterea deerit obligatio tua: quia & si minus diligis, quia creatura es: tamen si ex toto te diligis nihil deest,
D ubi totum est.

Oportet ergo, ut tuam insufficientiam agnoscens, dicas cum propheta: Imperfectum meum uiderunt oculi tui. Veruntamen quia licet imperfectus sim à me tamen uis amari: Psal. 138.
Diligam te Domine fortitudo mea: firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus, & meum denique quid quid optabile, & amabile dici potest. Sed diligam te prò bono tuo, & modo meo: minus qui dem iusto, sed planè non minus Psal. 17.


nus

nus posse meo. Quia & si quantum debeo non possum, pote- E
ro tamé plus, cùm tu plus donare dignaberis nunq̃ tamen pro-
ut tu dignus haberis. O beatum te, o terque quaterque bea-
tum si sic Deum amaueris, & prò eius amore quidquid potes
feceris, & si totum quod debes, non potueris.

CAP. VIII.

Deus homines rebus prosperis sui oblitos, flagellis nonnunquam ad se reuocat. Homines prosperis à Deo recedunt, & aduersis ad ipsum accedunt. F

Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Luc. 1.


Iximus superiori capite, nec pręsenti nos iterare piget, veram animi delectationem in solo Deo consistere. Et quamquàm hoc maximè cuiquam sit notum, qui brutum penitus, aut stupida planta non sit: tamen vt notius fiat nonnulla adhùc præsenti capite afferemus, quibus ostendemus, omnia illa, quæ in mundo sunt, mille esse miserijs plena; nec vllibi consolationé posse reperiri, quàm in Deo, qui cùm sit summum hominis bonum, hoc ita esse voluit, vt vel sic, homo ipse obligaretur, ad ipsum Deũ, tanquam ad vltimũ finęm, & verum ipsius hominis bonũ recurrere, in quo solo vera inuenitur quietudo. Quéadmodũ amantiores filiorũ parentes, cùm paruulos suos viderint, à se q̃dé sępe discedere, & aliorũ puerorũ lusibus detineri, ꝑcipiunt famulis, vt terribilia multa ipsis simulatè obijciant, vt exagitati metu paruuli, ad paternũ sinũ confugere festinent: ita Deus cũ homines à se recedere, & creaturis videat adhęrere, ipsis creaturis præcipit, vt tribulationibus & aduersitatibus à se homines repellant, vt ita compulsi ad ipsum Deum accedant. Hac de causa Deus filios Israel in Ægypto detẽtos, & in promissionis terrã ꝑducẽdos, in ipsa terra Ægypti durè, & aspere tractari, flagellis cędi, & operibus duris opprimi ꝑmisit, vt tãtis laboribus vexati, iam in Ægypto nolẽt habitare, sed ad ꝓmissam terrã properare.

Simile. (margin, beside "bonũ recurrere") G H

Hac de causa ẽt, cùm Deus vellet vt filius ꝓdigus ad patré rediret, ipsum ꝑmisit tàm misera fame torqueri, vt neq; porcorũ

quidem

A quidem ſagina ſaturaretur. Nam ſi Iſrael filij Ægyptum tantopere diligebant, vbi tàm durè tractati, & tam crudeliter fuerant flagellati, vt in media via conſtituti, inde vellent in Ægyptum reuerti. Et ſi etiam Prodigus filius ſui amantiſsimi, ac liberaliſsimi patris omnino oblitus, omnibus iam bonis diſſipatis, deputari porcis, porcis addici, & porcorũ tradi ſeruituti potius voluit, quàm ad patrem redire. Si, inquam, iſti taliter tractati ita ſe geſſerunt quid, quęſo non feciſſent, ſi cuncta eis proſpere ſucceſsiſſent? Profectò neque Iſraeliticus populus ab Ægypto vnquàm diſcederet: neque prodigus ille filius ad domum paternam aliquando accederet. Et ideo opus erat, vt ille ſub tàm miſera poſitus ſeruitute torqueretur, & iſte vt neque ſiliquis famelicus cùm eſſet, ſaturaretur.

B

Hinc D. Petrus chryſologus ſermone ſecũdo de filio prodigo ſic dicit: fames te vocat, quẽ ſaturitas exularat, fames illi patrẽ dedit ſapere, cui copia tulerat ſentire genitorẽ. Similia fere ſunt ea, q̃ de eodẽ filio prodigo lib. 1. cõmentariorũ in libros Regũ adducit D. Eucherius, quo loco ſic inquit: longè quidẽ à ſe receſſerat, quãdò peccauit, & ſi non eſurijſſet, in ſe minime redijſſet, qui poſtq̃ terrenis rebus indiguit, tùnc cogitare cæpit, quid de ſpiritalibus amiſit. Et reuera ita eſt, & ita plane eſſe in nobis quotidie experimur. Flagellis. n. Deus nos ad ſe nonnunq̃ reuocat, & maximè cùm videt ꝙ nobis, rebus omnibus ꝓſpere ſuccedentibus, ipſius penitus obliuiſcimur. Sunt enim fratres Manaſſes & Ephraim: hoc eſt, abundantia & obliuio (id, quod etiam adnotauit D. Eucherius lib. 2. inſtructionum cap. 1. quod eſt de hebraicorum nominũ interpretatione) Ephraim. n. hebraicè, latine frugifer, ſiue vbertas, vel auctus: Manaſſes verò hebraicè, latine oblitus dicitur. Vñ ne ex rerum ubertate, & abundantia Dei obliuio in nobis gignatur, ſæpe in hoc mundo affligimur, ſępe moleſtamur, vt uel ſic oculos in cœlum attollamus, & in ſolo Deo cum noſtra Virgine noſtram lętitiam & exultationẽ conſtituamus, & conſtituentes dicamus: Et exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.

D. Petrus Chry.

D. Euche.

C

Gen. 41.

D

Quandò Iſaac poſt illam famem, quę acciderat in diebus Abraham patris ſui, abijt ad Abimelech Regem Palęſtinorum in Gerera, narrat ſcriptura quòd apparuit illi Dominus, & dixit. Nè deſcendas in Ægyptum. Verum cùm Iacob filius eius audito

Gen. 26.

audito quòd Ioseph viueret vellet in Ægyptum proficisci, E
vt antequàm moreretur filium videret, tunc audiuit Deum
Gen.46. se vocantem, ac dicentem: Iacob, Iacob noli timere, sed
descende in Ægyptum, quia in gentem magnam faciam te
ibi: Est circa hoc, scitu satis dignum, quid sit quòd vni Deus
prohibeat, nè descendat in Ægyptum: alteri vero consulat, ne
timeat, sed quòd in Ægyptum descendat. Nam Isaac ne descendas, inquit, in Ægyptum: Iacob autem: noli timere, ait,
sed descende in Ægyptum. Vnde hoc? Quare hoc? Quia Isaac
orta fame super terram, vt saturitatem quęreret in Ægyptum descendere volebat. Quia vero in Ægypto, hoc est in mundo nulla vera saturitas reperitur, sed in solo Deo, ideo Isaac ab ipso F
in Ægyptum descendere prohibetur. At vero Iacob, quia non
simili intentione in Ægyptum descendere volebat, sed vt filiũ
videret, ideo ei consulitur, quod descendat in Ægyptum. Desiderabat, & valde desiderabat Iacob filium suum videre, verum formidabat in Ægyptum descendere, tùm quia senex erat:
tùm etiam quia timebat in aliena terra sepeliri extra sepulchra
parentum suorum. Et ideo Dominus qui eius descẽsum in aliorum etiam vtilitatem, & commodum destinabat: Noli timere,
inquit, sed descende in Ægyptum. G

Possumus quoq; huius rei aliam rationem reddere, nostro forsan instituto magis accõmodam. Nam cùm per Ægyptum mundus, per Isaac risus, & per Iacob supplantator significetur: bene
Isaac & nõ Iacob in Aęgyptũ descendere prohibetur: vt vel sic
optimè conijciatur Deum potius voluisse vetare risui, lætitiæ,
& gaudio ne in mundum venirent, quàm supplãtationi, dolo,
& fraudi, quàm pugnæ, & mille alijs aduersitatibus, & miserijs:
quia risu, lætitia, & gaudio: hoc est, rebus prosperis à Deo,
& eius amore recedimus: supplantationibus vero, dolis, ac
fraudibus, pugnis, miserijs, tribulationibus, & aduersitatibus H
ad ipsum Deum accedimus. Nam cùm in mundo nihil nisi triste inueniamus, ad Dominum cùm propheta clamamus: Quid
enim mihi est in cęlo, & à te quid volui super terram? Et sic per
fidem, & amorem soli Deo adherentes ex intimis visceribus cũ
nostra Virgine toti lætabundi decantamus: Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.

CAP.

A

CAP. IX.

Homines terrenis dediti, quam facile a cęlestium amore retrahuntur. Cor nostrum quomodo in solum Deum sit leuandum.

Et exultauit Spiritus meus in Deo salutari meo. Luc. 1.

B FOELICES admodum, & nimium fortunati homines essent, si tędio affecti ex amaritudine terrenorum, ipsius dulcedinis fontem in eo quærerēt, de quo ad homines per prophetam sic dicitur: Gustate, & videte, Psal. 33. qm̄ suauis est Dn̄s. Sed heù hominum insania, qui terrenæ dulcedini, imò potius amaritudini, sic inhiant, vt ad Deum, in quo vera dulcedo repetitur, cor, & animam leuare non curent. Quod si aliqn̄ in Deo delectari student ab eo statim proposito ob terrenorū amorem retrahuntur. Sicut passerculus pede alligatus si in altum Simile. volare incipiat, illico funiculo illo, quo est alligatus in terram retrahitur: ita homines terrenis affectibus alligati, si ad cœlestium C amorem aduolare contendunt, à suis affectibus iterum abducuntur, & in terrā retrahuntur, à qua difficillimè eriguntur; ad modū Simile. piscium, qui quāuis in ipso statim mundi principio simul cū auibus ex aqua à Deo creati sunt, iuxta illud: producant aquæ reptile animę viuentis, & volatile super terrā: tn̄ in ipsarum aquarū gur- Genes. 1. gitibus semper remanserunt, nec se simul cùm auibus in aerē erexerunt. Tales sunt, qui terrenis dediti sunt, quia sicut pisces permanent in loco vbi creati sunt, nec sicut aues, sicut boni, & sancti in altum extollūtur. Nam sicut aues suo volatu semper superiora pe- Simile. tunt, ita boni, & sancti semper ad superiora extolluntur. An non D sicut piscis illi, qui deserto creatore solis creaturis adhęrentes dice Sap. 2. bant. Venite, & fruamur bonis, quę sunt, vtamur creatura tanquā in iuuentute celeriter? An non sicut pisces, qui dicebant; Comeda Isa. 22. mus, & bibamus cras enim moriemur? Deniq; an non sicut piscis ille stultus, qui secum sic confabulabatur: Anima mea habes mul Luc. 12. ta bona posita in dies plurimos requiesce, comede, bibe, epulare? Verè non talis piscis Dauid, qui ex creaturis ad creatorē celeri volatu se se transferens inquit: Ad te Domine leuaui animam meā. Psal. 41.

O Verè

Verè etiam non tanquā piscis, sed tanquam regia, & velocissima E
aquila Maria quæ à terrenorū amore omnino eleuata, & in solo Deo
recreata. Et exultauit, inquit, spiritus meus in Deo salutari meo.
Genes. 8. De columba illa, quæ tempore diluuij à Noë ex arca missa
fuit, dicit scriptura, quod cùm non inuenisset, vbi requiesceret pes
eius reuersa est ad eum in arcam. Quis hic per columbam, nisi
Mariam existimet significari, quæ affectione in creaturis minimè
vnquàm quiescens in solo Deo lætabatur, & in suæ lætitiæ signū
in hunc modum loquebatur: Et exultauit spiritus meus in Deo
salutari meo. O columbam verè sine felle. Quis iam Virgo tuo
exemplo cor non leuet ad cœlum? Quis cor in cœlo non collo- F
cet, quod in terra tàm malè positum est? An non malè in terra
est cor? In terra enim putrescit cor: & si leuetur ad Deum sem-
per ab omni putredine liberum existit.

Hoc autem cum ita sit, neque ob id tamen, miserum cor nostrū
è terra leuamus, sed illud tàm parui facimus, vt in terra vilescere,
in terra torpescere, in terra denique illud computrescere sinamus.
Simile. O cæcitatem plusquàm dolendam. Frumentum si habemus in
inferioribus, nè computrescat ad superiora leuamus: frumento
quærimus mutare locum, & cor permittimus in terra putrescere.
Cur quæso, id, quod facimus pro frumento nostro, non facimus G
pro corde nostro? Si frumentum leuamus ad superiora: cur cor
nostrum etiam non erigimus ab inferioribus ad altiora? Verum
quò, inquies, leuandum est cor? In cœlum. Et quomodo, in-
quies, possum? Qui funes, quæ machinæ, quæ scalæ opus sunt?
Scalæ, & gradus affectus nostri sunt. Iter nostrum nostra volun-
tas est. Amando ascendimus, negligendo descendimus. Stantes
in terra in cœlo sumus si diligamus Deū. Non.n.ita eleuatur cor,
sicut corpus. Corpus vt eleuetur locum mutat: cor vt eleuetur vo-
luntatem mutat. Sed quomodo mutat? Nihil aliud, præter solum
Deum amando; id, quod bene nobis sapiens, tūc significauit cùm H
Sap. 1. dixit. Et in simplicitate cordis quærite illum. Hoc est, non aliud
tanquàm illum, non aliud præter illum, non aliud post illum.
Simplex enim natura simplicitatem cordis exquirit. Et hinc il-
lud est, quod dicitur: Et cum simplicibus sermocinatio eius: ac
si dicatur, Illos sapientiæ suæ secretis illustrat, ac cœlestis dulce-
dinis munere donat, quos nihil terreni effectus, sed totum cœlestis
amoris habere considerat.

Quod

A Quod si humani cordis naturam velimus attente considerare, nõ difficile nobis erit, ex eo in huius dilectionis cognitionem, quã à nobis omnium creator exposcit, deuenire. Ipse enim hunc dilectionis modum in ipsa humani cordis figura perfectissimè depinxit. est enim cor superius quidem latum, & inferius acutum. Vt ex eo planè ostendatur, quod ad sola cœlestia amanda dilatandus est noster affectus, & quod hæc omnia inferiora in solo puncto tangere debemus, discentes hoc ab Apostolo, qui ad Collocenses scribens ait; Quę sursum sunt quærite, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Quibus verbis bene sursum bona quærere nos docet Apostolus. Nam in terra nihil est erga quod, non dicam, affectu: Sed neq; cogitatione quidem detineri debeamus. In terra enim vel modica affectione esse, non solum bonum non est, sed omnino molestum est, graue est, periculosum est. Nimirum vbi malitiæ plurimum, sapientiæ modicum, vbi viscosa omnia, vbi lubrica omnia, vbi operta tenebris omnia, vbi obsessa laqueis peccatorum omnia, vbi periclitantur animę, & affliguntur sub sole spiritus, & denique vbi tantummodo vanitas est, & afflictio spiritus.

Collo. 3.

B

CAP. X.

C

Maria Virgo in primo suæ conceptionis instanti quomodo fuit à Christo sanctificata. Ipsa quare Deum, suum salutare appellauit.

Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Luc. 1.

DIGNVM non est, vt illa hoc loco taciti prætereamus, quę in extremis huius versiculi verbis de Deo suo salutari Maria nobis tractanda obtulit. Illis.n. Deũ, qui omnium est salus, suum etiam saluatorem esse, apertissimè profitetur. Hoc autem quanta ratione ducta Virgo dixerit, ex eo liquidissimè constat, quia totius generis humani vniuersalis redẽptor Christus fuit, & pro omnibus mortuus, vt multis suarum epistolarum locis docuit Paulus, & prę sertim ad Corinthios, & ad Timothęum scribens. Nam ad Corinthios sic ait. Charitas enim Christi vrget nos ęstimantes hoc, quoniam si vnus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt: & pro omnibus mortuus

D

2. Cor. 5.

eſt: ergo omnes mortui ſunt: & pro omnibus mortuus eſt Chri- E
ſtus, vt & qui viuunt iam non ſibi viuant, ſed ei, qui pro eis mor-
1. Tim. 2. tuus eſt, & reſurrexit. Ad Timotheũ vero: Vnus, inquit, Deus, & vnus mediator Dei, & hoĩum Ieſus Chriſtus, qui dedit redẽptionẽ ſemetipſum pro oĩbus nobis. Quibus locis apertè inſinuat Paulus Chriſtum Dñm vniuerſalem oĩum fuiſſe redemptorẽ. Ab hac autẽ generali ſcripturę regula Virginẽ excipere, non ſolũ eſſet aliquo modo Chriſti dignitati derogare: Sed etiã catholicę fidei maximè contrariũ. Si.n.quiſpiam excipiatur, qui à Chriſto redẽptus
D.Auguſt. eſſe nõ dicatur, hoc contra fidẽ eſſe docet D. Auguſt. de peccatorũ meritis, & remiſſione ad Marcellinũ lib. 1. c. 27. & 28. Et ideo circa Virginis redemptionẽ nullus omnino relinquitur dubitandi locus. Quomodo verò fuerit redempta, & vtrum poſt contractum originale peccatum: an vero ante illud, de hoc oĩs dubitatio eſt. F

Antiqui ſcholaſtici, inter quos omnes pręcipuum ſanè locum obtinet D. Thomas, fere omnes tenuerunt beatã Virginẽ in originali peccato fuiſſe conceptam: & paulopoſt ab ipſo originali peccato redemptam, & ſanctificatã fuiſſe. Confirmantq; ſententiam ſuam imprimis ex ipſius ſcripturę ſacrę generalibus locutionibꝰ,
Rom. 3. ſicut eſt illa apud Paulum ad Romanos: Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei. & multę alię, quæ paſſim in ipſa ſacra ſcriptura reperiuntur, à quibus regulis (ſicut illi dicunt) neminẽ licet excipere. Secundò ex multis concilijs, quæ hoc ipſum videntur diffinire. Tertiò ex patribus, quorũ teſtimonia ad hoc ipſum cõprobandũ adducunt. Quartò denique ex rõnibus, ſicut eſt imprimis, quia aliàs beata Virgo non fuiſſet à Chriſto redẽpta. Deinde quia in beata Virgine fuit radix originalis peccati, nẽpe libidinoſa cõceptio. Tertiò quia in illa fuerunt fructus, & pœnæ originalis peccati ſicut mors, & ſimilia. Quartò quia aliàs ſi Virgo ipſa ante Chriſtum mortua fuiſſet vidiſſet Deum ſtatim, quia ad hoc nullũ habuiſſet impedimẽtum peccati originalis, quod omnino falſum eſt. Alias Chriſtus non pateféciſſet Virgini per mortem ſuam ianuam Regni cœleſtis. Quintò denique (vt multas alias rationes interim omittamus, quia aliàs tolleretur Chriſto ſingulare ipſius priuilegium ab ipſo Angelo Virgini ſub his verbis demonſtratũ, G H
Luc. 1. Quod ex te naſcetur ſanctum vocabitur filius Dei.

Verum iſta ſententia cùm omnibus ſuis rationibus, & fundamentis non obſtante, alij, ipſiq́ue grauiſſimi Theologi tenuerunt

Virgi-

A Virginem beatiſſimam in ipſo primo ſuæ conceptionis inſtanti fuiſſe ſanctificatam, & ab originali peccato præſeruatam. Cum enim duplex ſit redemptionis modus. Vnus ſubleuatiuus, qui fit erigendo lapſum: & alter præſeruatiuus, qui fit præueniendo iam iam lapſurum nè cadat. Et cùm ex his duobus modis poſterior ſine dubio ſit maioris gratiæ, & beneuolentiæ, & cæteris paribus maioris efficaciæ, & maioris poteſtatis, decuit vt modo iſto nobiliſſimo Chriſtus matrem ſuam redimeret. Quis enim ita erit impius vt neget, ipſius Chriſti merita potuiſſe ad vtrumque extendi, præſertim cum ipſa ſint infinita, & multò efficaciora ad
B influendam gratiam, quàm Adæ peccatum ad culpam. Quod ſi merita illa fuerunt (ſicut re vera fuerunt) efficacia ad hunc effectum, & in aliquo debuerunt manifeſtari, in nullo ſanè alio hoc melius debuit fieri, quàm in eius matre, tùm propter ſingularem cùm ipſo coniunctionem: tum etiam quia proprio, & ſingulari modo ad redemptionem cooperata eſt, ipſius redemptionis pretium de ſuis ſanguinibus quodammodo conferendo, quatenus ex illis caro Chriſti formata eſt. Et hinc ſanè eſt, quòd quamuis Chriſtus, vt ſupra iam diximus, omnium hominum ſit ſalus: tamen beatiſſima Virgo ſingulari modo eum vocat ſalutare ſuum.
C Et exultauit, inquit, Spiritus meus in Deo ſalutari meo.

Quanta vero ratione ducta Virgo, Chriſtum ſuum ſalutare ſingulariter appellet, facile quiſpiam deprehendet, ſi aduerterit, quod ſicut melius eſt quempiam à vulnere præſeruare, quam ei poſt acceptum vulnus remedium adhibere: ita etiam longe nobilius, ac perfectius eſt, Virginem à peccato nè in ipſum caderet præſeruaſſe, quàm ipſam poſtquàm in peccatum caderet, ab eodem peccato liberare. Hoc vero cum ita ſit proculdubio cenſendum eſt, Chriſtum dominum nobiliori redemptionis modo, Virginē matrem ab originalis peccati labe liberaſſe, cùm ipſaque in illa lege Ephe. 2.
D diſpenſaſſe, qua omnes (ipſo Apoſtolo teſte) naſcimur iræ filij: præſertim cùm ipſe Chriſtus, propter Virginem hoc fecerit in alijs legibus, ſicut in lege fomitis, & in illa: In dolore paries filios: Gen. 3. & in illa: In puluerem reuerteris; quia non minus potens eſt ad diſpenſandum in illa, quàm in iſtis, in quibus minor erat cauſa diſpenſandi. Præſertim cùm ad honorem tàm matris, quàm filij non tantum pertineret diſpenſatio in illis legibus, quàm in iſta. Nè videlicet Virgo beatiſſima, ſicut cæteri, iræ filia naſceretur.

E

CAP. XI.

Dei filius erga suam matrem, in ipsius matris conceptione quomodo se habuerit: Ipsa Virgo mater, in matris suæ vtero existens multò perfectius in gaudio exultauit, quàm Ioannes.

Et exultauit Spiritus meus in Deo salutari meo. Luc. 1.



VANDO Rex Assuerus illam sententiam tulit, de pro F
fligandis, & extinguendis Iudæis cùm coniugibus, & liberis suis: Narrat scriptura quòd Regina Esther à Mardochæo sollicitata ingressa est ad Regem, vt rogaret pro populo suo. Verum cùm contra Regem in regni sui solio sedentem stetisset Esther, in pallorem colore mutato penè examinata est, & lassum (sicut ipsa scriptura ait) super ancillam reclinauit caput. Hoc vbi Rex Assuerus vidit festinus exiliuit de solio, & Reginam Esther vlnis suis sustentans, donec rediret ad se his verbis blandiebatur. Quid habes Esther? Ego sum frater tuus noli metuere: non morieris, nō enim pro te, sed pro omnibus hęc G
lex constituta est. Si Assuerus hoc modo erga Esther coniugem suam, sui amoris comprobauit affectum; quid, putas, Deo faciendum esset cùm Virgine? cum Virgine, inquam, quam potiori iure, & multò rationabilioribus de causis adamabat, quàm suā Assuerus Esther? Crediderim sanè (nec mea me fallit opinio) quod Deus statim in illo primo instanti, quo fœlicissima illa Virginis anima corpori fuit infusa, eam arripuit, ac suis proprijs manibus sustentauit, nè vllæ eam originalis peccati sordes attingerent. O' quam bene in Virgine, tunc illud adimpletum est, quod tanto ante à Salomone de illa prophetatum, atq; in ipsius Virginis per- H
sona hunc in modum pronuntiatum est. Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Quibus verbis (si ea ad præsens institutum accommodanda sunt) Virgo videtur velle sic dicere. Quando in meæ matris vtero concepta fuero, ideo nulla originalis peccati sorde maculata ero, quia tunc Dei lęua erit sub capite meo, & dextera ipsius amplexabitur me, & ita amplexabitur, vt in peccatum me cadere non permittat.

Esther 15. Cant. 2.

Sed

A Sed quid? sufficeret nè DEO, erga nostram Virginem, se talem exhibuisse? Minime id quidam. Non sufficiebat Assuero proprijs vlnis suam, nè caderet, sustentasse Esther: Sed mollibus etiã verbis eam confortabat, & à timore reuocabat: & sufficeret tanto Virginis amatori DEO, suam leuam sub Virginis capite solùm habuisse, ipsamque sua dextera totam amplexatam fuisse? Etenim si sicut Assuerus cùm Esther locutus fuit, ita DEO cùm Virgine, tunc loquendum esset, talibus eam verbis alloqueretur. Noli timere Maria, noli timere, quia non solum frater tuus sum, sicut Assuerus Esther, sed sponsus, sed filius, sed pater. Omnia hæc. B & alia multò plura tibi sum. Et ideo noli timere, quia sub peccato, non dicam, non morieris, sed neque etiam concipieris. Non enim pro te, sed pro omnibus alijs, hæc lex de peccato originali constituta est. Ego enim te ab illa liberabo, ego qui DOMINUS ipsius legis sum tecum in illa dispensabo. Ad idque faciendum me non solum mouet singularis meus in te amor: Sed etiam propria mea totius puritatis amatrix condito. Si enim adeò sum munditiæ amator, quod permissurus minime sim, vt meum ex te assumẽdum corpus, postquàm iam fuerit emortuum reponatur, nisi in sepulchro nouo, & non nisi in Sindone munda inuoluatur, quomo C do permittam: vt illud ipsum corpus, quod opere Spiritus sancti formandum est, reponatur nisi in te, in qua nec modo, nec alio vnquam tempore, dæmon per peccatum, aliquid habebit, & ideo non habebit, quia tu, & non alia, tu sola es vera illa summi sacerdotis sponsa, quæ secundum legem, nec vidua, nec repudiata, nec alienigena futura erat. Tu es vera illa terra sacerdotalis, quæ ab omni tributo immunis esse debebat. Tu denique es terra nõ maledicta mihi secundo Adæ formando præparata. An non modo etiam ego is sum, qui antea fueram? An non eadem mihi nunc potentia est cum illa, quæ antea fuit? Est quidem. Et cùm sit pro D me etiam nunc volo facere, quod ante feci pro primo omnium parente Adamo. Sicut enim tunc illum ex terra non maledicta efformaui: ita etiam nunc volo, vt tu nequaquam sis maledicta, ex qua ego secundus Adam efformandus sum. Neque hoc solum volo, sed etiam quod sicut in Adamo primo humani generis principio factum est, & in me vltimo eiusdem generis humani fine faciendum est; ita etiam fiat in te, quæ es medium, per quod ipsum genus humanum saluandum est: vt vel sic principium, me-

Deut. 21.
Gen. 47.
Simile.

dium,& finis recte inter se conueniant. Et quomodo conueniēt E
Simile. nisi sicut Adam absque originali peccato factus fuit, & ego sine eo concipiendus sum; ita etiam tu absque illo concipiaris? Fuit etiam alia conuenientia inter Adamum, & eius vxorem Euam
Simile. quam ego etiam inter me, & te esse volo. Nam sicut Eua, quæ fuit primum medium pro humani generis conseruatione, atque vna caro cùm Adamo, absque originali peccato fuit efformata: ita quoque necessarium est, vt tu, quæ ab æterno electa es, vt sis vltimum medium pro hominum reparatione, atque vt vna sis mecū caro tuo futuro filio, absque vlla peccati originalis macula concipiatis. Vnde noli timere Maria, noli timere, quia ego, qui hæc in F
illis feci, & in me facturus sum, ecce ad sum, vt in te etiam totum illud perficiam.

O' animam felicissimam. O' Virginem purissimam tantis benedictionibus præuentam dulcedinis. O' beatos Ioachimi lumbos, ex quibus tàm immaculatum semen effluxit. O' præclaram matris Annæ vuluam, in qua sanctissimus fœtus tantis, tamq; inusitaris incrementis formatus est. Cæterum vt de Ioachimo, & Anna dicere hoc loco omittamus, Quanto tunc, putas, fuit gaudio perfusa Virgo quando tot benedictionibus, tot misericordijs, tot gratijs à Domino præuentam se esse conspexit? Exultauit in G
gaudio ad vocem Mariæ adhuc in matris vtero inclusus, & reclusus Ioannes: & non etiam in maximo gaudio exultaret ad tàm dulcem Domini sui vocem, in matris vtero adhuc existens Maria? Verè exultauit. Nam exultatio illa, quæ fuit in Ioanne, erat amoris signum erga Deum, à quo per vsum rationis, quem tunc habuit se sanctificati cognoscebat, id, quod multo pfectiori modo in Virgine concedendum est, cùm ipsa (sicut inferius ostendemus) actualem rationis vsum habuerit in primo instanti conceptionis, & sanctificationis suæ.

Vnde concedendum est Mariam habuisse, & multò perfectiori, atque excellentiori modo gaudium habuisse, quàm Ioannem. H
Nam Ioannes licet in matris suæ vtero exultauerit in gaudio, tamen exultauit post transactos sex menses à conceptione sua: Maria vero non post sex menses, nec dies, nec horas, sed in ipso primo suæ sanctificationis instanti in Deo suo salutari exultauit. Exultauit Ioannes, non nego, matris inclusus in vulua, verumtamen exultauit postquàm se sanctificatum, & ab illo peccato liberatum

A ratum vidit, in quo mater sua eum conceperat, in cuius vtero per tot illos ante actos sex menses tanquam in obscurissimo carcere inclusus detinebatur. Hoc vero Virgini nequaquam euenit, Virgini, inquam, prius mundatæ, quàm maculatæ, prius liberatæ, quàm ligatæ, prius sanctificatę, quàm pollutæ, Denique prius gratia præuentæ, quàm in peccato, vel à peccato detentæ.

Ad hæc, concedatur oportet, quod Virgini multò maior fuit causa exultandi, quàm Ioanni, cui illud contigisse videtur, quod contigit mũdo antequam Deus in illo lucem creasset. Sicut enim antequam in mundo lux esset, tenebræ erant superfaciem abyssi, Simile.
B & ipsa luce ex orta diuisit Deus lucem à tenebris: ita etiam Ioannes totus in tenebris erat, totus in peccato erat antequam Deus illum sanctificaret: Verum vbi sanctificatus, & secundum Angeli promissionem adhuc in matris vtero consistens Spiritu sancto repletus fuit, diuisit Deus in eo lucem à tenebris, & ita diuisit, vt nullæ iam in eo tenebræ remanerent, sicut in mundo, in quo licet diuisæ fuerint, tamen lux, & tenebræ, tenebræ & lux semper remanserunt, in cuius signum appellauit Deus lucem diem, & tenebras noctem. At vero in Ioanne non item, qui vbi ab illis peccati tenebris fuit liberatus, deinceps semper in luce mansit, totus formo- Gen. 1.
C sus, totus clarus, & totus splendidus.

Sed quorsum ista? Etenim vt ostendamus quanto differentior fuerit Mariæ exultatio, quàm Ioannis, in qua nullæ vnquàm peccati tenebræ fuerunt, sed semper in luce mansit, semper in gratia. Et ideo meritò à D. Ioanne Damasceno lib. 3. de fide cap. 2. semper sancta Maria vocatur. Ex eo nimirum, quia nunquam in statu peccati fuit, sicut Ioannes. Idque etiam ex ipsius Virginis verbis (si altius ea velimus perscrutari) perspicuè conijci potest. Quid enim est dicere; & exultauit spiritus meus? Nisi apertè declarare, spiritum suum nunquam fuisse alienum, sed semper suũ, Damasc.
D & tàm optimo iure suum, quòd in eum nullam rationem dominij, neque ad vnum solum temporis instans dæmon sibi vendicauerit? Poterat nè de se hoc ita dicere Ioannes? Poterat nè de suo spiritu hoc ita asseuerare? Minime quidem. Concedamus ergo oportet maiorem Mariæ fuisse lætitiæ causam, quàm Ioanni. Neque vt hoc solum concedamus opus est, sed etiam quòd in primo illo suæ sanctificationis instanti, excellentiori modo Deum cognouerit quam Ioannes.

E

CAP. XII.

Maria statim in primo suę sanctificationis instanti multo perfectiorem habuit rationis vsum, quàm Ioannes. Ipsa iam tunc in Deo suo salutari exultauit, & pro sua liberatione à peccato originali, gratias egit.

Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Luc. 1.

F

QVod vero attinet ad Ioannis cognitionem negandum non est, ipsi concessum fuisse vsum rationis tempore suæ sanctificationis; id, quod aperte colligitur ex illis verbis Elisabeth ad Verginem: Exultauit in gaudio infans in vtero meo. Quæ proprie significant actum vitæ, qui cognitionem supponit. Quamuis enim exultandi verbum simpliciter dictum, metaphorice interdum in scriptura sumatur: tamen exultare in gaudio (sicut homilia 7. in Lucam adnotauit Origenes) nunquam inuenitur secundum metaphoram dictum. Et hinc est, quòd fere omnes Patres tam Græci, quàm Latini in hac expositione consentiant. Nam D. Ambrosius lib. 7. in Lucam. Habebat, inquit, intelligendi sensum, qui exultandi habebat affectum. Et D. Leo Papa Sermone 10. de natiuitate: Præcursor, inquit, Christi, spiritum prophetiæ intra viscera matris accepit, & non dum æditus genetrici domini signa exultationis ostendit. Et nè multus esse videar in referendis reliquorum Patrum autoritatibus, eorum loca solummodo citabo, vt facilius cognoscatur quinam ex Patribus amplexi fuerint hanc expositionem, quam secutus fuit D. Hieronymus epistola 7. ad lætam. D. Petrus Chrysologus sermone 88. D. Augustinus lib. 2. de consensu Euangelistarum cap. 15. & de mirabilibus sacræ scripturæ cap. 1. Origenes homilia 4. in Lucam. Theophylactus Lucæ 1. Cyrillus Hierosolimitanus cathacesi 3. D. Chrysostomus homilia 1. in Lucam, & Nicephorus lib. 1. histo. cap. 8. Denique in concilio Basiliensi sessione 43. expresse dicitur Ioannem in vtero matris Christum cognouisse. Et ipsa quoque Ecclesia in ipsius præcursoris officio canit: Senseras Regem thalamo manentem.

[Margin: Luc. 1. — Orig. — D. Amb. — D. Leo. — G — D. Hiero. — D. Petrus Chrisol. — D. Aug. — Orige. — Theophy. — Gril. Ierosol. — D. Chrys. — Nicephe. — H]

Ex

A Ex his omnibus aperte satis colligitur, negādum non esse, Ioannem suæ sanctificationis tempore rationis vsum habuisse. Verum vnum hoc dicere, & merito dicere audebimus, quòd iste rationis vsus multò imperfectiori modo fuit illi concessus, quàm Mariæ. siquidem Ioanni post sex menses, & Mariæ statim in ipso primo suæ sanctificationis instanti concessus fuit. Et quod magis est in Ioanne (sicut ex D. Thoma adnotauit Ioannes de Turre cremata in suis quęstionibus in euangelia q. 1. pro festo Visitationis) ille rationis vsus non durauit nisi ad illud solum momentum, quo sanctificatus fuit, in Maria vero non item, quia non ad vnum solum B momētum, sed semper in ea perdurauit, id quod sermone 51. de beata Virgine cap. 2. ar. 1. affirmat D. Bernardinus Senensis. Turrecre. D. Ber. sen.

Si vero obijcias ꝙ ipse D. Bernardinus illo in loco, & alij etiam ex recentioribus, sicut Iacobus Christopolitanus super hoc Marię Canticum, idem etiam sentiunt de Ioanne. Dicendum est illorum sententia (si tamen illa vera est) non tolli, quin illum rationis vsum perfectiori modo Virgo habuerit, quàm Ioannes. De Maria enim dicit idem D. Bernardinus sermone 4. de beata Virgine cap. 4. ar. 1. quòd in prima sanctificatione quantum ad rationem, & intellectū tanta ei sapiētiæ claritas à Deo super infusa est, quòd perfe C cte intelligebat creaturas, & creatorem, & spiritus, & omnia bona amplectenda, & mala fugienda. In qua sententia videtur etiam fuisse Albertus Magnus multis in locis super missus est, is enim cap. 71. dicit Virginem habuisse cognitionem supra fidem, & supra cognitionem purę creaturę existentis in via. & cap. 96. dicit ipsam simul cum habitu fidei habuisse habitum, quo perfectius quàm Adam in sopore, & quàm Ioannis sopra pectus Domini recumbens, & quàm Paulus in raptu cognouit mysteria super naturalia. & cap. 132. & 149. inter alia Virginis priuilegia hoc etiam enumerat, nempe quòd trinitatem sine medio per specialissimam D gratiam in via cognouit. Iaco. Chri. D. Bern. sen. Alb. Mag.

Talis est intelligendi modus, quem supra citati Patres nostrę Virgini à primo suę conceptionis instanti attribuunt. Id, quod neque ipsi (ni fallor) neque alij Ioanni attribuunt. Neque immeritò: Nam sola Virgo est, quę tam perfecto intelligendi, & cognoscendi modo, ab illo tempore, quo creata, & sanctificata est, nunquā à Dei cognitione, & amore cessauit. Quę enim causa est, propter quam ipsi angelorum Reginę illud negetur, quod ipsis Angelis

gelis ab omnibus libentissime conceditur? Verè nulla. Fateamur E
ergo oportet, quod in beatissima Virgine in primo illo suę sanctificationis instanti, simul cũ illã cognitione, & rationis vsu fuerit actus liberi arbitrij in Deum, quo eũ sic per omnia dilexit. Quia ad hũc potissimum finem data est ei (sicut Theologi loquuntur) illa cognitio, nempe vt ex tùnc Deum super omnia iam diligeret, à quo præ omnibus se dilectam conspiciebat.

Simile. Habuit tunc Virgo, quod habuit Sol quãdo à Deo creatus est, qui statim in primo suæ creationis instanti omnẽ suam claritatem suos radios, & oẽs suas perfectiones adeptus est. Ita in virgine beatissima in primo suæ sanctificationis instãti præter claritatẽ illã cognitionis, & rationis vsum, erant simul ardentissimi amoris radij, F
quos iam tùnc in Deũ suum Saluatorẽ se direxisse, his verbis Virgo confessa est. Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Ac si diceret: quando in meę matris vtero à Deo fui sanctificata, & à magna illa originalis peccati illuuie liberata, quia maiorẽ gratiã pro tanto, tamq; singulari accepto beneficio liberatori, & benefactori meo tùnc referre nõ poterã, exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Vt vel sic si non omnia, quę deberem, saltem ea, quæ possem, erga meum redemptorem amoris indicia ostenderem.

Et quomodo in Deo suo salutari iam tunc Maria nõ exultaret, G
sic absque originali peccato concepta, sicut eius filius concipiendus erat? Petrus Galatinus lib. 7. cap. 5. volens huius Marianę exultationis causam explicare, pro eo, quod nos apud Isaiam legimus: Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis, & indumento lætitię circumdedit me: secundum Hebręos sic legit: gaudẽs gaudebo baadonai, idest, in Deo. Et exultabit anima mea beelohai, idest, in Deo meo, quia induit me vestimentis Iesu, & chlamide iustitiæ circumdedit me. Ac proinde dicit ipse Galatinus quòd propheta in spiritu vidẽs Messiæ matrem dicturam: Magnificat anima mea H
Dominum: Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo: ante dicta verba ex persona eius protulit. Quasi diceret, propterea gaudens gaudebo in Deo, & exultabit anima mea in Deo meo, quia duplicem gratiam mihi fecit: vnam quidem quia induit me vestimentis Iesu, quod est me absque originali peccato cõceptam fuisse: alteram vero quia chlamide iustitię, scilicet originalis circumdedit me.

Pet. Galat. Isaia. 61. Luc. 1.

Itaque

A Itaque ex ſententia Galatini, hæc exultandi cauſa Mariæ fuit, nempe quòd veſtimentis Ieſu, quæ ſunt puritas, & innocentia ipſius, induta erat, hoc eſt, ſic abſque originali peccato concepta, ſicut ipſe abſque originali peccato concipiendus erat. Neque immerito cùm ſe ab illa peccati lege liberatam videret, ſub qua omnes (præter ipſam, & Chriſtum) conditi ſunt. Et ideò bene quidem Laurentius Iuſtinianus lib. de caſto connubio verbi, & animæ cap. 7. Quotquot, inquit, ex ipſa nati ſunt propagine, (exceptis dumtaxat mediatore Chriſto Ieſu, & eius matre) ſub hac peccati lege ſunt conditi. Lau. Iuſti.

B

CAP. XIII.

Lex originalis peccati fuit velut vniuerſale diluuium, à quo duo tantùm fuerunt liberati, Chriſtus, & eius mater ſanctiſſima. Ipſe Chriſtus multis licet de cauſis Mariæ ſit ſalutare, noſtrum etiam eſt, ſi noſtrum eum facere velimus.

C

Et exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Luc. 1.



Tenim fuit lex illa peccati originalis, tanquã vniuerſale illud diluuium, quod tempore Noe contigit. Quemadmodum enim in illo vniuerſali diluuio, quando vniuerſam terram Deus aquis obruit, duo tantummodo remanſerunt, quæ illa aquarum multitudine non fuerũt ſubmerſa, nempe terreſtris paradiſus, & ipſius Noe arca. Quorum primum ideò illa aquarum illuuies non operuit, nec valuit naturaliter operire, D quia in altiſſimo, & ſicut quibuſdã viſum eſt, loco orbi lunæ proximo poſitus erat, quam ſententiam (ſi tamen illa vera eſt) nonnulli attribuunt D. Auguſtino, & Bedæ; Verum quia apud nullum eorum talis ſententia inuenitur: alij Straboni, & eius magiſtro Rabano eam aſſignant. Neque ab ipſa diſſentit Rupertus Abbas lib. 1. de Trinitate, & operibus eius cap. 37. quo loco ait Paradiſum fuiſſe locum amęniſſimum, & cœlo proximum. Secundum vero nempe Noe arca per particulare priuilegium id obtinuit nẽ aquis operiretur. Dicimus ergo quòd ſicut in illo vniuerſali diluuio

Simile. Gen. 7. D.Aug. Beda. Strabo. Raba. Rup.Ab.

Simile. nio, duo ista omnibus alijs rebus obrutis submersa minimè fuerunt: ita etiam ab illa vniuersali originalis peccati illuuie, duo solummodo exempti remanserunt, videlicet Redẽptor noster Christus verus omnium deliciarum paradisus, & sacratissima Virgo mater eius sanctissima, vera arca totius nostri boni. E

Quando enim primus parens noster Adam peccauit, rupti fuerunt (vt ita dicam) omnes fontes abyssi indignationis Dei: & ita rupti, vt operirent etiam altissimos terræ montes, in tantùm, vt omnes à paruulo vsque ad magnum, à minimo vsque ad maximum in culpa originali submersi fuerint, exceptis dum taxat Christo domino, & eius matre sanctissima. Ex quibus Christum, ideò originalis culpa nõ potuit naturaliter obruere, quia Deus erat, in quẽ peccatum cadere non poterat: & ideò etiam, quia non de humano semine, sed de Spiritu sancto conceptus erat. Mariam vero matrem eius sanctissimam, ideò vniuersalis peccati illa illuuies non submersit, quia per particulare filij sui priuilegium, & gratiam ab illa exempta fuit. Qua de causa Virgo ipsum Christum singulari modo vocat salutare suum. Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. F

Nam Christus (sicut supra iam diximus) licet omnium salus sit: tamen singulari modo à Virgine suum salutare appellatur: G tùm quia particulari modo eius redemptionẽ operatus est, ipsam ab originali culpa præseruando: tùm etiam quia licet pro omnibus venerat, tamen pro ipsa redimenda eum principalius venisse Virgo intelligebat. Id, quod clarissime colligitur ex Glossa interlineari super illa verba sponsi. Vulnerasti cor meum soror mea sponsa. hoc est, pro amore tuo (sicut eadem Glossa exponit) carnem sumpsi. Cant. 4.

Quamquam autem Christus dominus his, & multis alijs de causis Mariæ salutare sit, & dicatur, hoc tamen non tollit, quin noster etiam sit, si per amorem, & fidem nostrum illum facere velimus. Teste enim D. Ambrosio in Lucam: & allegatur etiam à D. Thoma in aurea cathena super primum caput Lucę: Si secundum carnem vna mater est Christi: secundum fidem tamen omnium factus est Christus. Et D. Paulus ad Hebręos de illis sanctis agens, qui fide Deo placuerunt: Ideo, inquit, non confunditur vocari Deus eorum, quia illi Deo crediderunt, nihilque de terrenis sibi præsumpserunt. H D. Amb. D. Tho. Hebrę. 11.

Cum

A Cum igitur hoc ita sit per fidem, & amorem cæterasque virtutes hunc Dominum nostrum faciamus, & ita faciamus, vt meritò cum propheta dicere valeamus. Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo. An non noster, & verè noster, de quo per alium prophetam sic dicitur? Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis. Nobis, inquit, non sibi, qui vtique ante tempora multò nobilius natus ex Patre, nasci specialiter non indigebat ex matre; Non Angelis quoque qui cùm magnum haberent, paruulum non requirebant. Nobis ergo natus, nobis & datus. Igitur vtamur nostro in nostram vtilitatem: de salutari salutem operemur. Discamus ab ipso, qui mitis est, & humilis corde: nè magnus videlicet Deus sine causa factus sit homo paruus, nè gratis mortuus, nè in vacuum crucifixus: discamus eius humilitatem, imitemur mansuetudinem, amplectamur dilectionem, cõmunicemus passionibus, lauemur in sanguine eius, ipsum offeramus propitiationem pro peccatis nostris, quoniam ad hoc ipse natus, & datus est nobis. Ipsum oculis Patris, ipsum offeramus & suis: quia etiam Pater proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis tradidit illum. Et ipse filius semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens. Ipse tradidit in mortem animam suam, & cùm C sceleratis reputatus est: ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogauit, vt non perirent. Non possunt enim perire, pro quibus filius rogat nè pereant: pro quibus Pater tradidit filiũ in mortem, vt viuant. Æqualiter ergo ab vtroque speranda est venia, quibus æqualis est in pietate misericordia, par in voluntate potentia, vna in deitate substantia: in qua vnus cum eis Spiritus sanctus viuit, & regnat Deus per infinita sæculorum sæcula. Amen.

Aba. 3. Isa. 9. B Rom. 8. Isa. 53.

FINIS LIBRI SECVNDI.



DE VER-



DE VERBIS
DOMINAE
AD ELISABETH COGNATAM.
LIBRI TERTII.
CAP. PRIMVM. F

Adductis nonnullis significationibus, quibus verbum, respicio, & nomen, humilitas, in scripturis sanctis solent significari, ostenditur, in quanam ex illis vtrumque hoc loco intelligi debeat.

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Luc. 1.



VOBVS præcedentibus libris de Mariç magnificatione, ipsiusque in Deo suo salutari exultatione, tractationem absoluimus. Nunc ad huius magnificationis, atque exultationis causam accedentes, quam his verbis Virgo insinuat: Quia respexit humilitaté ancillæ suæ: pro maiori huius negotij intelligentia imprimis explicabimus, in quonam sensu hoc loco accipiantur, tàm verbum, respicio, quàm nomen, humilitas. G H

D. August. Et quod ad respiciendi verbum attinet, D. Augustino, & Hugone Victorino testibus, vtroque in tractatu super magnificat: Hug. Vict. Respectus Dei in sacra scriptura, tribus modis accipi solet: videlicet, secundum cognitionem, secundum gratiam, & secundum iudicium. De respectu cognitionis diuinæ dicitur ad hebræos; Hebr. 4. Omnia nuda, & aperta sunt oculis eius. Ex quibus Apostoli verbis

bis

A bis optimè liquet, Deum per cognitionem omnia respicere: non tamen per gratiam, cum de respectu gratiæ dictum sit: Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum: quem respectum illi non merentur, quibus in fine dicetur. Nescio vos. De respectu iudicij dicitur illud: Oculi Domini contemplantur bonos, & malos. Et iterum: Oculi eius super omnem viam filiorum hominis: & omnes gressus eorum considerat, non sunt tenebræ, & non est vmbra mortis, vt ibi abscondantur, qui operantur iniquitatem. Ergo videre Dei per cognitionem, est nihil eorum, quæ sunt ignorare. Videre per iudicium, est vnum quemq; secundum opera sua B iudicare, & aut ad pœnam, aut ad gloriam destinare. Videre denique per gratiam, est dona misericordiæ alicui impendere. Psal. 33. Mat. 25. Prou. 15.

Cum itaque ex vtriusque, tàm Augustini, quam Hugonis Victorini sententia, verbum, respicio, hoc loco, de hoc respectu gratiæ intelligatur, pergunt ipsi diligentius adhuc cōsiderantes, qualiter per gratiam hominem Deus respiciat. Et ita dicunt, quod respicio, quandam expressionē notat, ita vt plus aliquid esse videatur respicere, quàm videre. Est enim (vt inquiunt) respicere, quasi prius abiectos, & derelictos visitare. Nam quasi auerti ab homine, tunc Deus dicitur, cùm per districtionem iudicij gratiæ suę do C na subtrahit: cum vero placatus per misericordiam subtracta restituit, rursum per respectum gratiæ ad hominem se conuertit.

Bene ergo Maria solam in se humilitatem, Dominum respexisse testatur, quia diuinitatis propitiationem, quam humana natura in primis parentibus per superbiam perdidit, in Maria per humilitatem recuperauit. Nam quia in ea Verbum Patris carnis substantiam, quam sibi vniret, assumpsit, quasi ad eam, quam prius abiecerat naturam sublimandam, per misericordiam respexit.

Respexit igitur humilitatem Marię Deus, cui propter humilitatis meritum dedit, vt filium suum in carne sua conciperet: & de D sua carne verum Deum, & hominem omnium hominum Salvatorem generaret. Verum circa verbum, respicio, hæc ad præsens dicta sint. Nunc ad Virginis humilitatem veniamus, & quibus modis ipsius humilitatis nomen, in ipsis etiam scripturis sanctis accipiatur, videamus.

Humilitatis nomen, in scripturis sanctis tripliciter accipitur. Primò in scripturis veteris testamenti sæpe accipitur pro afflictione, sicut apud psalmistam sub his verbis videre est:

Vide humilitatem meam,& eripe me. Et iterum: In humilita- E
Psal. 119. te nostra memor fuit nostri. Quæ verba,& alia permulta his simi-
Psal. 135. lia.quæ in scripturis sanctis reperiuntur, de tribulatione, & affli-
ctione intelliguntur. Et in hac acceptione non accipitur hoc loco humilitas.

Secundo nomen humilitas accipitur,pro abiectione, exiguitate,ignobilitate,& obscuritate,sicut apud D.Paulum: Qui reformabit,inquit Paulus,corpus humilitatis nostræ: hoc est, corpus nostrum vile,ignobile,& abiectum.

Phil. 3.

Tertio tandem accipitur,secundum vsum magis proprium, & vsitatum,tàm in ipsa scriptura,quàm etiam apud Theologos. Accipitur,inquam,pro virtute superbiæ contraria,qua quis seipsum abiectum,vilemque agnoscit, quæ virtus à latinis modestia, siue animi submissio nuncupatur. Cum itaque (sicut diximus) nomen, humilitas,non accipiatur hoc loco in prima aceptione istarum trium: sciendum restat,in quanam ex alijs duabus acceptionibus,hoc loco sumi debeat: & præsertim cum circa hoc diuersi diuersimode sentiant. Nam plerique ex Patribus in tertia significatione humilitatem hoc loco accipiunt, intelligentes hoc loco significari, Virginem electam in Domini matrem, propter suæ humilitatis virtutem. F G

Orige.

Hunc dicendi modum non modo sequitur, sed etiam diserte defendit Origenes homilia 8. in Lucam. Vbi in hunc modum scribit. In quam humilitatem Mariæ respexit Dominus? Quid habet mater Saluatoris humile, atque deiectum, quæ Dei filium gestabat in vtero? Quod ergo dixit: Respexit humilitatem ancillæ suæ: tale est,quasi dixerit: Respexit in iustitiam ancillæ suæ: respexit in temperantiam: respexit in fortitudinem: atque sapientiam. Dignum quippe est,vt virtutes respiciat.

D.August.

Ab hoc etiam Origenis sensu, minime discedit D. Augustinus sermone 2.de assumptione Virginis, quo loco hac ipsa de re in hunc modum loquitur D.Augustinus. Hæc Virgo gloriosa beatam se dici ab omnibus generationibus manifestat, eo quod eius humilitatem Deus respexit. Nam subdit: Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. O vere beata humilitas,quæ Deum hominibus peperit,vitam mortalibus ædidit,cœlos innouauit,mundum purificauit,paradisum aperuit,& hominum animas de inferno liberauit. H

Multa

A Multa alia in hunc ferè modum illo in loco adducit D. Augustinus, quibus haud obscure testatur, de humilitatis virtute Mariam fuisse locutam. Id, quod etiam apud Venerabilem Bedam, & Mellifluum patrem D. Bernardum videre licet.

Nam quòd attinet ad Venerabilem Bedam, ipse homilia de visitatione Mariæ: Cuius humilitas, inquit, respicitur, rectè beata ab omnibus cognominanda gratulatur. Sicut è contrario, cuius superbia despecta condemnatur Euæ, idest, væ. sine calamitatis nomine multata tabescit. Decebat enim, vt sicut per superbiam primæ nostræ parentis mors in mundum intrauit: ita denuò per B humilitatem Mariæ, vitæ introitus panderetur. Quibus verbis de virtute humilitatis, prout superbiæ vitio opponitur, clarissimè loquitur Beda. Quod vero attinet ad D. Bernardum is homilia. 1. de laudibus Virginis hunc etiam locum, non aliter; quàm de humilitatis virtute intelligit. Ac proinde dicere non dubitat. Quod ancillæ suæ humilitatem, potius, quàm virginitatem respexit Deus. Ven. Beda. D. Bern.

Sunt etiam his valde similia, ea, quæ sermone 2. de assumptione Virginis adducit D. Hildephonsus, quo loco affirmat hanc Virginis vocem mira deuotione plenam, & admirabilem philoso C phiam esse, qua Virgo suam humilitatem, nullamque virtutem aliam, magis à Deo respici confessa est. D. Hilde.

Et vt pro hac magis confirmanda sententia nõnullas alias aliorum Patrum sententias hoc loco adducamus: Duos solos nominabimus Tuitiensem Abbatem Rupertum, & Ambrosium Ansbertum: quorum Rupertus lib. 1. in cantica super illa verba sponsæ, nempe: Dum esset Rex in acubitu suo nardus mea dedit odorem suum: In ipsius Virginis persona inter cætera, sic ait. Olim in Eua malo superbię fœtore offensus est, & ob hoc ab humano genere auersus fuerat: nunc autem delectatus bono D odore, nardo humilitatis meę, sic ad genus humanum conuersus est. Ruper.

Ambrosius vero Ansbertus lib. 2. in Ioannis Apocalypsim perspicuè inquit: Cum itaque Maria Virgo, ideo beata credenda sit, quia sine humano semine ex spiritu sancto concepit, quia Dei filium hominem factum intemerata virginitate mundo ędidit, radicem tamen suæ beatitudinis solerter inspiciés ait: Quia respexit humilitatem ancillę suæ, ecce enim ex hoc beatam me Ambr. Ansbertus.

P 2 dicent

dicent omnes generationes. Ac si diceret: quia humilitas vera E
præcessit, quæ Dei filium ad habitaculum carnis meæ inuitauit, quæ Spiritum sanctum ad munditiam cordis mei attraxit, vt Verbi carnem cùm Verbo, & Patre in uisceribus meis formaret, propterea beatitudinis nomen in cunctis generationibus ipsa promerui. Restat ergo tantorum Patrum confirmatum consensu, quod humilitatis nomen hoc loco in tertia significatione vsurpatur, quatenus scilicet, pro ipsius humilitatis virtute superbiæ contraria accipitur.

Verum his omnibus non obstantibus, alij aliter opinantur,
contenduntque quòd humilitatis nomen hoc loco, in secunda F
acceptione accipi debeat, videlicet, pro abiectione, vilitate, & exiguitate. Quia (vt ipsi aiunt) non conuenit summæ modestiæ Virginis, vt dicat, Deum respexisse ad virtutem humilitatis suæ. Quia hoc ab omnibus verè humilibus longe esse debet: quanto magis à Virgine omnium humillima. Vnde necessarium esse dicunt, quòd nomen, humilitas, accipiatur in secunda significatione: quatenus scilicet, significat exiguitatem, & abiectionem. Et vt verum fatear, præter quam quod hoc videtur nostræ Virginis humilitati, & tàm maximę humilitati cõ-
uenire, & maximè conuenire: Non desunt etiam Patres ex quo- G
rum sententia super hunc locum, hic dicendi, ac significandi modus facile possit insinuari. Nam Gręcus imprimis inter-
D.Tho. pres à D. Thoma in Aurea cathena allegatus, super hæc verba: Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Quasi diceret, inquit, ipse prouidit, non ego expectaui, humilibus eram contenta: nùnc autem ad ineffabile consilium eligor, & exaltor de terra ad sydera.

Euthym. Deinde Euthymius hoc loco: Seipsam enim, inquit, deijcit quasi tanta re indignam: vel etiam propter abiectionem hu-
manę naturę comparatę ad sublimitatem diuinę. Pręterea hic H
Beda. etiam sensus expresse videtur colligi ex Venerabili Beda homilia ferię sextę ante quartam Dominicam Aduentus, quo loco super hęc Marię verba, sic inquit. Humilem quippe Christi ancillam suo iudicio se fuisse demonstrat: Sed respectu gratię cœlestis repente sublimatam pronuntiat, atque intantum glorificatam, vt sua beatitudo præcipua cunctarum gentium voce mereretur.

Denique

A Denique hic sensus est græco cõtextui magis conformis, in quo pro humilitate habetur, tapinosim, quod vocabulum exiguitatem, & paruitatem sonat: Ac proinde in his Mariç verbis tantum valet, ac si significantius Virgo dixisset: Quamuis parua sim, & minima Domini ancilla, ipse tamen adeo est humilitatis amator, vt oculos conijceret in me infimam ancillam suam. Et in hoc sensu tàm Cornelius Iansenius, quàm alij recentiores hunc locum explanant, dicentes quòd his verbis, non aliquam suam virtutem, sed illam solam exiguitatem Virgo demonstrare intendebat, quã in ea Deus respexit, qui non solum in ancillam suam oculos con-
B iecit: sed etiam in infimam ancillam suam: & quod magis est, in exiguitatem an ancillç suç. Id, quod potissimum intelligendum est, de exiguitate, quoad merita. Licet enim tàm Angeli, quàm ipsius cognatę Elisabeth testimonio Virgo beata, & plena gratiç diceretur: tamẽ se nullius meriti, nullius virtutis, & nullius apud Deum gratiç existimabat.

CAP. II.

C *Maria præ humilitate seipsam nesciebat: & ex eo, quòd Dei mater efficitur, nihil omnino intumescebat: sed tunc se magis humiliabat.*

Quia respexit humilitatem ancillç suç, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Luc. 1.

D NON fictè, aut falsò Virgo nostra nullius apud Deum meriti, aut virtutis se esse existimabat: quoniam considerabat Virgo seipsam ex parte sui, & non ex parte donorum Dei in se: talis enim consideratio verç animi humilitatis mater est. Et ideo in hac consideratione posita, nihil prçclari de se ipsa Maria sentiebat: Sed quidquid boni habebat, eo se indignam reputabat: propter quod tanto illa à nobis laudabilior, & sanctior, ac coram Deo, & Angelis sublimior debet reputari, quantò ipsa in Dei matrem iam electa, se virtutis, & meriti egentiorem, diuinaque gratia indigniorẽ

reputabat: Quid enim sapientius, quid præclarius, quid sanctius à E
nostra Virgine aut dici, aut excogitari vnquam potuisset: quàm vt tot diuinis donis cumulata, & magnificis titulis exornata, ad summumque humanæ fœlicitatis gradum assumpta, seipsam velut nesciret, & ignoraret, ac omnes suas dotes tanto animi studio contegeret? Hinc est, quod ipsa Virgo adeo se vilem, & exiguã, non quidem Dominam, aut matrem: Sed Domini ancillam vocat. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.

Diuersa sane, & satis superque diuersa Mariæ conditio, ab illius conditione ancillæ, & pessimæ ancillæ (de Agar loquor) quæ sicut Genesis nobis narrat historia, ex eo quòd ex Abrahamo se F
concepisse viderat, adeo intumuit, vt Saram Dominam suam statim despiceret. Verùm optima ancilla Maria se concepisse videns, & Deum concepisse, non solum non intumuit, sed tunc magis se humiliauit. Mirabilis prorsus humilitas, & tanto quidem mirabilior, quantò in celsitudine maiori fuit ostensa. Et hoc fortè est illud miraculum, quod cùm sapiens vellet significare, dixit:
Eccles. 1. Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat. Mirum sanè videtur, quòd mare in seipso recipiat immensas fluminum aquas, neque tamen propter id, ita redundet, aut intumescat, vt terram absorbeat vniuersam. Sed huius miraculi facilem possumus G
rationem reddere: neque aliam, quàm illam, quæ ex eodem sapiente colligitur: nempe, quia ad loca vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant. Et ideo mirum non est si mare non redundat, quia si plurimas aquas recipit, plurimas etiam dat. Illud planè miraculum esset, si mare inueniretur, quod omnes aquas in se ipso ita reciperet atque contineret, vt neque redundaret, neque intumesceret. Hoc quidem mare Maria est, quæ innumeras gratiarum aquas iam continebat, antequam Dei mater efficeretur: Vn-
Luc. 1. de plena gratia ab Angelo salutatur. Deinde vero spiritus sanctus: ita in eam superuenit, vt super effluens fieret. Sed ipsa tantis gra- H
tiarum fluminibus receptis, ac in se ipsa retentis, nec ob id tamen intumescit, nõ in altum eleuatur: Sed magis tunc deprimitur magis humiliatur: Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.

Simile. Quemadmodum arbor maxima pomorum onusta multitudine, ramos in terram deijcit, & tanto magis deijcit, quantò magis est pomis onustior: ita Maria quantò erat gratia plenior, & diuino illo ventris sui fructu onustior, tantò magis se humiliabat.

Si vero

A Si vero hanc nostrę Virginis admirandam humilitatem altius libet considerare, in mentem nobis veniat Reginæ Hesther humilitas, vt ex inde cognoscatur non quidem conuenientia, Sed differentia, eaque per quam maxima, inter humilitatem Hesther, & Mariæ. Nam Esther humilis quidem erat, & adeo humilis etiam postquam Regina esset, vt de illa dictum sit quod: Quidquid Mardochęus illi pręcipiebat obseruabat Esther: Et quod ita cuncta faciebat, sicut eo tempore solita erat, quo eam paruulam nutriebat. Mirabilis planè humilitas, quam regia dignitas non abstulit: Sed nostræ Virginis humilitas multò maior, si quidem non regia dignitate exaltata, sicut Esther: Sed Dei mater effecta plus se humiliabat, & in tantum deijciebat, quòd neque leuem quidem ostentationis, & elationis vmbram, tunc Virgo ostendebat. Sicut Sol quo magis in alto est, eò minores iacit vmbras, & quantò est terræ propinquior eò maiores efficit, sicut fieri videmus mane, & vesperi. Ita Maria quo magis in alto erat, quò magis in excelso erat, eò maiorem humilitatem ostendebat. Qua in re quantum Deo Virgo placuerit, quantumque apud ipsum meruerit, sequens caput indicabit.

Esther. 2.

B

Simile.

C

CAP. III.

Maria sua humilitate Dei mater esse meruit, & quomodo.

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Luc. 1.

D QVANTVM fuerit Marianę humilitatis meritum, bene nobis declarant, non solum hæc Virginis verba, quibus ipsa Deum suam humilitatem respexisse apertè pronuntiat, sed illa etiam, quæ de Virgine antiqui patres nobis scripta reliquerunt, à quibus Mariæ humilitati tantum tribuitur, vt asseuerare non dubiteint quod propter eam, in Dei matrem Maria eligi meruit. Inter patres, qui hoc affirmant, D. Augustinus tractatu super magnificat (si tamen Augustini ille est) hac de re sic loquitur: Quia se humilitatis quod erat ancillã cogitauit, ideo quod non erat sublimitatis mater esse meruit.

D. Aug.

D. Augustinum non solum sequitur: sed etiam eius verba (paucis E
Hug. Vict. tamen immutatis) adducit Hugo Victorinus in suis annotationibus elucidatorijs super magnificat, quo loco sic inquit. Nam quia humiliter se quod erat ancillam cognouit: ideo quod nō erat sublimiter materesse meruit. Præterea Ambrosius Ansbertus, qui
Amb. Ansber. ante sexcentos annos, optimos in Ioannis Apocalypsim commentarios conscripsit, ipsorum commentariorum lib. 2. de profundissima Mariæ humilitate agens: O quantum, inquit, meruisti, O quantum beata humilitas in sacra Virgine valuisti. Quid enim in sacra Virgine meruisti nisi vt Deum homini coniungeres, vt
Gabr. Biel. Verbum carni vnires? Neque vulgaris est autor Gabriel Biel, qui F
rem de qua agimus, non solum sua, sed aliorum etiam sententia confirmat, & hoc in celebri illo, ac dignè satis à multis laudato sermone, quem de Mariæ assumptione conscripsit, cuique propter rerum, & materiarum diuersitatem generalis sermonis titulus appositus est, quo loco citatus Gabriel: Per humilitatem, inquit, mater electa, mater Verbi Patris summi efficitur eius sacrosancta conceptione. Nam licet Angelus à Deo missus Virgini colloquitur, salutat, diuinum partum nuntiat, & Domini præsentia per gratiæ, ac benedictionis plenitudinem commendat: nondum tamen Verbum concipit: Sed statim ad eius obedientissimam hu- G
miliationem corde exhibitam, verbo expressam: Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum: sine vlteriori mora, in primo instanti verborum humillimæ subiectionis, Verbum ex sinu Patris in vterum matris descendit incarnandum: & sua, Patris, & Spiritus sancti operatione humanam ex ea assumpsit naturam: Ecce quod aliarum virtutum nulla suffecit, humilitas executa est. Et Paulo inferius alienam sententiam adducens dicit: Hinc de ea quidem ex eius laudatoribus ita ait: Respexit Deus humilitatem Mariæ, cui per humilitatis meritum dedit, vt filium suum in carne conciperet: & de sua carne verum Deum, & ho- H
minem omnium hominum Saluatorē generaret. Quanquam vero ipse Gabriel non dicat quisnam fuerit iste Mariæ laudator, tamen nè quis eum spernendæ cuiusdam autoritatis fuisse existimet, admonendum ducimus, quod egregius iste Mariæ laudator
Hug. Vict. fuit Hugo Victorinus, in cuius annotationibus super magnificat, hæc ipsa verba à Gabriele allegata reperiuntur.

Non de fuissent etiam aliorum patrum grauissimæ sententiæ, quibus

A quibus hoc virgineæ humilitatis meritum, abundantius posset demonstrari. Verum quia ex illis, quas iam adduximus, quale illud fuerit sufficienter potest intelligi, non est cur in alijs aliorum sententijs recitandis tempus conteramus, ex adductis enim satis, superque constat, quòd sua humilitate Virgo meruit, vt mater Dei esset. Verum quomodo id meruerit, an de congruo, an vero de condigno, hoc opus, hic labor est.

Quidam ex scholasticis doctoribus, sicut Gabriel dist. 4. q. 1. ar. 3. dubio 3. Almain q. 1. dubio 3. Maior q. 4. in fine. Abulensis paradoxo primo cap. 34. & 38. tenuerunt beatam Virginem meruisse de condigno, vt mater Dei esset, & consequenter vt in ea, & ex ea Deus homo fieret, & nasceretur. Et ad hoc ita tenendum forte fuerunt adducti propter multas sanctorum Patrum sententias, qui ipsorum ætatem præcesserunt asserentiũ Virginẽ fuisse condignam Dei matrẽ. Vide D. Ambrosius lib. 2. de Virginibus parũ post principiũ de Maria loquens: Quæ digna fuit, inquit, ex qua filius Dei nasceretur. D. Chrysostomus homil. 49. in Genesim: Quo, inquit in persona Virginis fiet istud, quoniam virum nõ cognosco? Atqui propter hoc ipsum fiet. Nam si cognouisses virũ, non fuisses habita digna, vt huic mysterio deseruires. D. Epiphanius hæresi 78. circa principium: Quomodo audent, inquit, impetere impollutã Virginẽ, quæ digna facta est habitaculum fieri filij Dei. D. Ioannes Damascenus lib. 4 cap. 15. Mariam sanctum, admirabile, ac summo Deo dignum templum appellat. D. Bernardus sermone 4. de assumptione: Quæ, inquit, vel angelica puritas virginitati illi audeat comparari, quæ digna fuit spiritus sancti sacrarium fieri, & habitaculum filij Dei. Itaque his, & alijs similibus aliorum Patrum sententijs, quas hoc loco recensere longissimum esset, supracitati doctores forte adducti tenuerunt, beatam Virginem de condigno meruisse, vt Dei mater diceretur, & esset.

Gabriel. Almain. Maior. Abulen.

B

D. Amb.

D. Chryſ.

C

D. Epiph.

Ioã. Dam.

D. Bern.

D Verum communis Theologorum schola, quorum princeps est D. Thomas, aliter sentit, & sentiendo affirmat, beatam Virginem de congruo solum meruisse, vt mater Dei esset. Et hæc sententia non solum verior est, sed etiam antiquorum Patrum grauitati, & sanctitati magis conformis; apud quos de ipsius Mariæ merito multa tàm sanctæ, quàm grauiter dicta repeririuntur.

Nam D. Hieronymus tom. 1. epistola 22. de custodia virginitatis. Propone, inquit, tibi Mariam, quæ tantæ extitit puritatis, vt mater

D. Hieron.

D. Ansel.

sto fuit, & non in homine alio. Nam cum verè, & propriò tunc E
quis demitti, & humiliari dicatur, quando de statu, ac dignitate sua aliquid detrahit: sicut verbi gratia, si Rex relicta regali sede humiliorem locum eligeret, diceremus eum sese humiliasse. Verum vbi alicuius conditio iam humilis est, vt humilior esse nequeat, neque inferior locus ei superfit, in quem se demittat, is profecto humiliari non potest, cum vlterius nihil habeat, quo descendere possit. Cum autem humani generis proprius locus sit ipsum nihil, cum ex nihilo omnes facti simus: quando nos nihil esse intelligimus, non demittimus nos, neque deijcimus: sed nostrum proprium locum tenemus: illi vero qui locum suum tenent, dici F
non possunt demitti, aut humiliari, cum in suo loco sint, & vltra illud descendere non valeant.

Simile.

Vnde dicimus quod solus Dei filius veram, & propriam humilitatis virtutem habuisse dicēdus est, si quidem ipse cùm in forma Dei esset, neque rapinam arbitraretur esse se æqualem Deo, & cum iste locus eius proprius esset, tamen humiliauit semetipsum, & demisit se ad humilitatem nostram, in similitudine hominum factus, & habitu inuentus vt homo. In reliquis autem hominibus, eo modo, quo in creaturis, & puris creaturis humilitas reperiri potest summam eam in Maria fuisse credendum est, siquidem de G
hac Virgine dicere sancti Patres (sicut supra vidimus) non dubitarunt, quod ipsa sua humilitate Dei mater esse meruit. Neq; immerito. Maria enim per humilitatē tātum ascendere meruit, quantum per eam ipsa descendere voluit. Sicut aqua quantum descendit, tantum postea ascendit: ita Virgo beatissima quantum per humilitatem descendit: tantum postea per illam ascendit.

Simile.

Sed quid dico tantum ascendit? Immo multò plus virgo ascendit, quàm descendit. Vtrumque videamus. Nam quòd ad descensum quidem attinet, tantum se virgo humiliabat, vt viro indignā, & in Israel parere, & filium lactare, se reputaret. Ecce Virginis H
descensus. At de ascensu quid dicemus? Planè quod propter hunc descensum non solum habita est digna viro Ioseph, cui iuncta est: sed Deo. Non solum digna iudicata est, quæ faceret fructum in Israel, sed salutem: non solum denique digna reputata est lactare filium hominem, sed Deum, & hominem. Vnde præclare quidem Rupertus Abbas lib. 3. Commentariorum in Cantica cum virgine sic loquitur. Cum te reputares indignam viro, facta es digna Deo.

Rupert.

A Deo. Cum te indignam iudicares facere ſemen in Iſrael, facta es digna facere ſalutem in Iſrael. Cùm indignam te reputares lactare filium hominem, digna habita es mammis pulchris, vberibus pulcherrimis, mammis virgineis, vberibus intactis lactare filium Deum, & hominem.

Neque in Maria ſolum, ſed in nonnullis etiam ex ſanctis hunc humilitatis effectum (diſſimili tamen modo) fuiſſe ſcimus. Nam Electionis vas Paulus, qui dicebat: Non ſum dignus vocari Apoſtolus, non ſolum Apoſtolus: ſed omnium apoſtolorum primus factus eſt. Domini etiam præcurſor Baptiſta Ioannes de Chriſto 1.Cor.15.

B loquẽs: Cuius ego, inquit, non ſum dignus, vt ſoluam corrigiam Ioan.1.
eius calceiamenti. In tantum ſe Ioannes humiliabat, vt indignum ſe iudicaret, qui manu tangeret corrigiam calciaméti Domini ſui. Sed propter hoc ab ipſo domino in tantum Ioannes eleuatus fuit, vt non dicam, corrigiam calciamenti, aut pedem: ſed ipſius Chriſti ſanctiſſimum verticem tangere mereretur. Illam enim manum, quam Ioannes dixit indignam ſoluere Chriſti calciamentum, ſuper caput ſuum ipſe Chriſtus collocauit.

Tanta res eſt humilitas, vt non ſolum ad illa nos euehat, quibus Simile.
C indignos nos reputamus, ſed ad alia etiã multo maiora. Quemadmodum quando pila palmam, immo palma pilam percutimus, pilamq; vehemẽti ipſius palmę ictu ad terram allidimus, ipſa pila non ſolùm ad manũ redit, à qua impulſa fuit, & in terram alliſa, ſed etiam ipſum caput tranſcendit: Ita etiam cùm nos homiliamus, & nos præ humilitate re aliqua indignos iudicamus, nõ ſolũ ad rem illã aſcendimus, ſed ipſam ſæpe tranſcendimus, tùnc enim ad multò maiora ab ipſo Deo euehimur.

CAP. V.

D *Ante Mariam paruulos, prę alijs Deus diligebat, quia in illis Marianæ humilitatis ſimullacrum conſpiciebat. Per humilitatem Maria Deo quantum placuerit.*

Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuę. Luc. 1.

QVantum ſibi placeret humilitas, in eo Deus nobis optimè ſignificauit, quòd iam inde ab ipſo mundi principio ſemper ei paruuli valde placuerunt. Duos filios habuit

Gen.4. habuit primus noster Parens Adam, Cain, & Abel. Sed ex illis E
minor natu Abel Deo placuit. Duo filijfuerunt Abrahæ,quorum
Gen.21. prior natu fuit Ismael,& secũdus Isaac:sed de Isaac dicitur Abrahæ: In Isaac vocabitur tibi semen, quia hunc elegit dominus.
Rom.9. Isaac duos filios habuit Esau, & Iacob, maior natu fuit Esau, Verum de Iacob dicitur. Iacob dilexi: de Esau vero: Esau autẽ odio
habui. Iacob etiam plures habuit filios ex quibus minores natu
Gen.42. fuerunt Ioseph, & Beniamin præ cæteris magis dilecti. Ioseph etiam duos filios habuit Ephraim, & Manassem, maior natu fuit Manasses, cui minor natu Ephraim in benedictione prælatus fuit.

Preterea electurus Deus Regem populo suo, primum Saul ele F
1.Reg.9. git, qui de seipso ait: Nonne filius Gemini ego sum de minima tribu Israel, & cognatio mea nouissima inter omnes familias de Tribu Beniamin? Denique electurus etiam Deus secundum Regem in populo Israel, Samuelem misit in domum Isai, vt vnum ex eius filijs vngeret in Regem. Ad fuit Samueli Isai filius Aminadab, adfuit Samma, adfuerunt denique alij qninque ipsius Isai filij, ex quibus nullum elegit Dominus, sed solum minimum Da-
1.Reg.16. uid. De quo pater cùm propheta interrogaret: Nunquid completi sunt filij? Respondit: Adhuc reliquus est paruulus, & pascit oues, quo præsente dicit Deus Samueli: surge, & vnge eum ipse G
est enim.

Neque hoc solum accidit ipsius Isai filijs; sed ipsius quoque
3.Reg.1. Dauidis filijs? id contigisse videmus, quorum minimus Salomon patris sui sedem, & Regni thalamum adeptus est. Deniq; veniens in hunc mundum Dei filius, talem, tantamque erga paruulos dilectionem ostendebat, vt prohibentes paruulos ad se accedere, sic
Mat. 19. dicens increparet: Sinite paruulos venire ad me talium est enim Regnum cœlorum. Et rursus cum ad Christum discipuli accessissent, sic interrogantes. Quis putas maior est in Regno cœlorum?
Mat.18. aduocans Iesus paruulum statuit eum in medio eorum, & dixit: H
Amen dico vobis nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli non intrabitis in Regnum cœlorum.

Sed quorsum ista omnia. Quorsum tanta paruulorum ostensa dilectio? Nunquid paruulos Deus amabat, quia ei illi placent, qui pueri sunt corpore? Non etenim, sed quia illorum paruitas, & humilitas puerorum, veræ illius humilitatis figura erat, quæ post Christum, in sola Maria postea reperienda erat. Quemadmodum

A modum quando personam aliquam vnicè diligimus, si ipsam videte oculis uon valemus, saltem gaudemus, cùm depicta eius imago nobis ante oculos proponitur; ita etiam Deus cùm vehementissimè humilitatem diligeret, & tunc in hominibus eam non videret, saltem gaudebat cùm iam inde à mundi principio, humilitatis figuram in illis paruulis conspiciebat.

Quando Moyses in eo bello, & in illo exercitu, quem ex Dei precepto in Madianitarum vltionem comparauit, quidquid esset Num. 31. generis masculini, etiam in paruulis, & mulieres omnes, quę viros nouerunt interfici iussit: simul tunc reseruari pręcepit omnes B puellas, & fœminas Virgines. Hoc verò Moyses non ea de causa fecit, quia infidelium virginitatem Deo gratam esse cognosceret, quæ virtus non erat. Sed vt ostenderet, virginitatem, quę virtus est, & cuius illa infidelium virginitas figura fuit, charissimã Deo esse. Eodem etiam modo cum Deus ostendere vellet, quàm grata sibi humilitas esset, etiam eius simulacrum, & figuram diligebat.

Si ergo humilitatis similitudinem Deus iam tunc tanti faciebat: C si huius virtutis solum simulacrum tantum illi placebat: quid putas ipse faceret in Maria, in qua non iam humilitatis similitudinem, aut simulacrum, sed ipsam veram humilitatem conspiciebat, cuius simulacrum in alijs tanti faciebat? Certè dici non potest, nisi ab ipso Deo, quantum Virginis nostræ vera humilitas ipsi placuerit. Sicut enim à nemine dici potest, neque etiam ab ipsa Virgine, quantam humilitatem in illa Deus inuenerit (in cuius rei signum Rupertus Abbas lib. 1. suorum commentariorum in- Ruper. cantica in persona ipsius Virginis sic dicit: Nolite incumbere mihi, vt explicem, quantam in me humilitatem mitis, & humilis corde inuenerit, nõ possum alloqui, non possum verbis consequi, res ista non est effabilis) ita etiam enarrari non valet, quantum eius D humilitas Deo placuerit. Et hinc est, quod Virgo ipsa de sua humilitate tractans solum dicit: quòd Deo placuerit, non autem quantum placuerit. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, dicit Virgo: Quibus verbis apertè affirmat, suam humilitatem Deo placuisse.

Nam respicere, & videre in scriptura sacra, pro delectare, & placere, sæpe accipiuntur. Et in hoc sensu explicatur illud ge- Genes. 1. neseos: Et vidit Deus lucem, quod esset bona. Id est (sicut glossa inter-

Psal. 65. interlinearis exponit) placuit ei lux. Et illud psalmi: Iniquitatem E
si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus. Hoc est (sicut multi exponunt) si in animo meo delector iniquitate, non exaudiet Deus meam orationem. Denique quod ad respiciendi verbum attinet, sic etiam intelligitur illud Genesis. Respexit Deus ad Abel, & ad munera eius: idest, facto Abel contentus fuit, si-
D. Chry. cut exponit D. Chrysostomus. Hoc ergo quod Virgo dixit: Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: perinde est, ac si diceret: tota causa meæ magnificationis, & exultationis hæc est, quia mea humilitate Dominus contentus, & delectatus est.

Simile. Neq; immeritò hunc istorum verborum sensum esse dicimus: F
Nam sicut homines, quod amant respiciunt: ab eo vero quod nõ
D. Greg. amant faciem auertunt. (Vnde est illud D. Gregorij in primum caput Iob: Nos quod amamus, respicimus: quod vero aduersari volumus, ab eo faciem declinamus.) ita etiam Deus humilitaté, quam in Virgine amabat respiciebat, quia in illa sibi valde complacebat. Et quid dico, quia sibi in illa valde complacebat? Immo multo plus Deus in Virginis humilitate sibi complacebat, quàm in humilitate omnium sanctorum: ex quibus vnum solum, in medium adducamus Abrahã, qui sua humilitate multum Deo
placuisse credendus est. Si quidem de seipso tàm humiliter sen- G
Genes. 18. tiebat, vt diceret: loquar ad Dominum meum, cùm sim puluis, & cinis. Verum huic Abrahæ humilitati cum Mariæ humilitate nihil sanè commune est: quia de sola Mariæ humilitate Spiri-
Cant. 3. tus sanctus velut totus admirabundus exclamat. Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus mirrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij? Cum enim hęc verba de Virginis humilitate à multis explicentur: certissimum est, Spiritum sanctum per illa insinuare voluisse, quod Mariæ humilitas, non quomodocunque, aut qualitercunque Deo placuerit:
Sed tanquam res odoratissima, non quidem ex vna solum odoris H
specie confecta, sed ex omnibus aromatibus, vniuersisque odoribus composita, quæ omnigenam odoris suauitatem, & suauitatis odorem ex seipsa emittat: emittat, inquam, non creaturæ, sed creatori: non homini, neque Angelo, sed Deo.

Vt autem cognoscamus, verba ista, de Virginis humilitate in-
Ruper. telligenda esse: Rupertum audiamus: qui lib. 3. commentariorum in cantica, in hunc modum exclamat. O fœlicem mentis

habi-

A habitum, inquit ille, qui tam magnum habet præconium. Humilitas tua est, O ancilla Domini beata Maria, quam tali admiratione Spiritus sanctus collaudat: odor tuus, odor humilitatis tuę. Et paucis interiectis inter Mariæ, & Abrahæ humilitatem discrimen statuens: Abraham, inquit, dixit: Loquar ad Dominum meum, cùm sim puluis, & cinis: sed non ita æstimatione Dei; aliter, & melius ille te discernit. Tu dicis puluis sum terræ, qualem ventus dispergit: aura tollit; & ille dicit non. Sed puluis pigmentarius, siue puluis pigmentarij, puluis mirrhæ, & thuris: qualem pigmentarius spiritus sanctus conficit ex optimo thu-
B re, quod est suauitas mentis, & ex mirrha probatissima, quod est mortificatio, siue incorruptio carnis. Tu dicis, fumus ego sum teter coram diuinis oculis, qualis de camino, siue de fumario deficiens ascendit, & ascendens deficit: Et ille dicit: Non: Sed fumus ex aromatibus mirrhæ, & thuris, qualem decet ascendere de aureo thuribulo ante Altare aureum vsque ad os, & olfactum Domini. Talis fumus, immo talis fumi virgula tu ò beatissima Maria suauem odorem spirasti Altissimo. Taliter Rupertus præallegata scripturæ verba Mariæ, & eius humilitati accommodat. O Virginem beatissimam: O verissimum post tuũ
C filium totius veræ humilitatis perfectissimum architypum. Tu enim Virgo beatissima, tu Virgo humillima talem humilitatis odorem Altissimo spirasti, qualis de nullo vnquam vsque ad illum spirari potuit sacrificio.

CAP. VI.

Maria maximum humilitatis odorem spirauit Altissimo. Ipsa contra Deum, ita fortis extitit, vt eius cor sua humilitate vulneraret, & de ipso triumpharet.

D

Quia respexit humilitatem ancillæ suę. Luc. I.

ERAT in sinu, vel in corde Patris, Vnigenitus Dei filius, & cùm illic esset, tantum humilitatis odorem ipsi Virgo inspirauit, vt de altissimis illis sedibus statim respiceret humilitatem ancillæ suæ. Et hoc est, quod Maria ipsa,

Cant. 1. immo Spiritus sanctus pro Maria voluit significare cum dixit: E
Cum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. nihil enim est Regis accubitus, nisi cor, vel sinus Patris. Dum ergo esset Rex in isto suo accubitu Mariæ nardus, idest, humilitas dedit odorem suum. Et tunc dedit, quando ex illo aureo cor-
Luc. 1. dis, & oris thuribulo exierunt verba ista: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum: quando vsque ad os, & olfactum Domini, tanquàm odoratissima fumi virgula ascenderunt, quorum odore Dominus delectatus statim descendit in vterum virginalem. Olim in Eua malo superbiæ odore, immo fœtore offensus Dominus ab humano genere auersus fuerat: Postea F
vero delectatus bono odore, & nardo humilitatis Mariæ, sic ad humanum genus conuersus est, vt humanam carnem ex illa assumeret.

Simile. Neque incongrue Mariæ humilitas per nardum significatur. Quia sicut nardus herba aromatica paruo quidem fructice, vel parua spica nequaquam in altum se se attollit, sed comosa, atque odoratissima flore optimi odoris, atque radicula suaui multis vsibus probatur vtilis: sic Mariæ humilitas suo quidem arbitrio, vel iudicio parua res erat, nimiumque exilis: sed iudicio Regis pretiosa erat, & adeo pretiosa, ut ipsum Regem mirum in G
modum delectaret. Vbi enim ille de illo accubitu sito sensit virgineæ humilitatis odorem, tantum delectatus est, vt de illo statim descenderet, & in Mariæ vtero requiesceret, & nouem continuis mensibus requiesceret. Et hoc modo Marię, cuius erat Dominus, factus fuit & filius: pro quo beneficio Virgo illi gratias agens dicit: Quia respexit humilitatem ancillę suę.

Non nè vides, non nè sentis, quantas vires Virgo habuit? Non nè vides quantum Virgo ipsa præualuit? quę sua humilitate vicit inuincibilem? O fœminam fortissimam, quę ex sua humilitate confecit spiculum pręacutum, quod in Deum ipsum H
iaciens, eius cor tantopere vulnerauit. Et quid si Marię humilitas est vnus ille crinis, in quo ipse sponsus suum cor tantopere vulneratum sentiebat, & sentiens dicebat, & non cuicun-
Cant. 5. que, sed ipsi Marię dicebat: Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, in vno crine colli tui. Vere Marię humilitas erat crinis iste: cuius rei nobis locupletissimus testis existit supracitatus autor Rupertus, qui prope finem lib. 3. commentariorum in cantica,

A tiea, hæc ipsa verba exponens, sub sponsi nomine cum Maria sic loquitur. Vnum illum crinem tuum, scilicet spiritum humilem, & cõtribulatum in me iecisti, velut Spiculum præ acutum, & vulnerasti cor meum. Hæc Rupertus. Quis hæc videns non mirabitur? Immo quis iam mirabitur aliorum sanctorum fortitudinẽ, si in Mariæ fortitudinem oculos conijciat? Ruper.

Admirabantur olim Philistæi audientes, & videntes, admiramur etiã nos legentes fortissimi illius Sansonis fortitudinẽ, quam non ex dono naturali, sed ex dono gratiæ gratis datæ habebat in Cæsarie: illa enim (ipsa scriptura teste) adeo fortiter ipse Sãson
B se se gerebat: vt septẽ neruiceos funes (sunt verba scripturæ) tanquam filum de stuppa tortum sputamine cùm odorẽ ignis acceperit: Necnon nouos funes, qui nunquã fuerant in opere quasi fila telarum omnino disrumperet. Verũ hæc Sansonis fortitudo quid est, si cùm Mariæ fortitudine comparetur? Maria enim nõ in integra Cæsarie, sicut Sanson, sed in vno solo crine colli sui, tantam vim, & tantam fortitudinem habebat, vt illo solo crine Deũ non solum alligaret, sed ipsius cor etiam vulneraret. Iud. 16.

Sed quorsum ego de ipso Sansone loquor, vbi fortiores illo alij inueniuntur, qui non contra Philistæos, sicut ipse Sanson, sed con
C tra ipsum Deum fortes fuerunt? Talis fuit Iacob, qui ex eo quia contra Deũ fortis fuit, Israel fuit appellatus, quod interpretatur directus cùm Deo, vel princeps cũ Deo. Hic enim adeo fortis fuit, & validus, vt virum illum cùm quo vsque mane luctabatur, teneret; neq; prius dimitteret, quàm illi benediceret. Verum Iacob licet ita fortis fuerit, & validus: tamen emarcido neruo femoris fuit ex illo luctamine exiuit. Cùm enim videret vir ille, cùm quo luctabatur, quod eum superare non posset, tetigit neruum femoris eius, & statim emarcuit. Nihil sanè tale contigit Mariæ in amoroso illo humilitatis luctamine, quod habuit cùm Deo: nihil, inquam,
D tale illi contigit, sed Deo, contra quem illa multò fortior extitit, quàm Iacob: siquidem Deum sua humilitate vulnerauit, non in fœmore, sicut vir ille Iacob: sed in corde.

Neque hoc solummodo Virgo contenta fuit: sed ipsum Deũ nostræ humanitatis vinculis non solũ ligauit, sed totis nouẽ mensibus in vtero tenuit, neque inde dimisit, nisi ipsius humanitatis vinculis tàm bene ligatum, quod ab illis nullo vnquàm tempore se se exoluet. Id, quod totum Deo ipsi prouenit ex illo

 homi-

humilitatis respectu Mariæ, quę cùm nobis hunc suum de ipso E
Deo triumphum vellet significare, dixit: Quia respexit humilitatem ancillæ suę. Ac si diceret: tota causa mei de Deo triumphi hęc fuit: Quia ipse respexit humilitatem ancillę suę, quam respiciendo eius cor amoris gladio vulneratum, ac sauciatum omnino remansit. Hoc vero ita euenisse, optime sciet ille, qui bene nouit, quid ex suo respectu hominibus nonnunquam contingat. Sicut enim plerumque accidere solet, vt homines, siue hominum animi illarum rerum desiderio, & amore capiantur, quas ipsi suis oculis respiciunt: ita etiam Dei cor totum vulneratum, & sauciatum remansit, cùm Marię humillimę ancillę suę humilitatem respiceret. F

Simile.

CAP. VII.

Humilitatis armis Deus à Maria victus, eisdem eam vicit, ipsique tàm acutos humilitatis aculeos infixit, vt præ humilitate Virgo se se vilissimam reputaret.

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Luc. 1.

SICVT potuimus superiori capite modùm perstrinximus, quo nostra Virgo erga Deum se se gesserit, qui illam respexit: Nunc dicere in animo est, (si tamen possumus) qualiter ipse Deus Virginem respiciendo, etiã erga illam, se se gesserit. Nam Virgo ita in se ipsam, Deum fortissimum experta est, sicut ipse erga se ipsum, Mariam expertus est. Quemadmodum quando duo fortes, & strenui duces in bello mutuo se se impetunt, non est periculum vnius solùm ex illis, sed cùm vterque sit fortis, & validus ambo simul in terram cadunt, ambo simul se se vincunt: Ita etiam cùm duo isti fortissimi, ac strenuissimi duces Deus, & Maria, mutuo se se impeterent, non penes vnum solùm ex illis periculum remansit, sed ambo simul victi remanserunt. Vicit humilitate Maria Deum, sicut iam supra diximus, sed non fuit ipse Deus solus, qui in hoc tanto congressu victus remansit, quia ipsa Maria eisdem armis à Deo etiã victa est. Et fortasse illud est, quod nobis in ipsius Marię persona per Spiritum sanctum tanto ante sub his verbis significatum est. Dilectus meus mihi, & ego illi. Quasi diceret: dilectus G H

Simile.

Cant. 2.

A ctus meus mihi subiectus est, & ego illi etiam subiecta sum: ego illum vici, & ipse me etiam vicit in illo forti, & non minus amoroso certamine, quod inter nos commissum est.

Neque hunc sensum ab his verbis alienum esse, docuit Mellifluus Pater D. Bernardus sermone de natiuitate Virginis, quo loco sub his sponsæ verbis, quandam luctam inter sponsam, & sponsum significari dicit. An non lucta, inquit, dilectus meus mihi, & ego illi? Itaque his verbis sponsa sponsum à se victum, & se etiam ab ipso sponso victam aperte profitetur. Nam spõsus vbi sponsam humilitate sua, de seipso victoriam reportasse vidit: eisdem dilectam sibi sponsam armis debellare conatus est. Ac proinde dilectissimæ sponsę suæ cor tàm acutis humilitatis spiculis transuerberauit, vt præ humilitate sponsa se ipsam iam veluti ignoraret, ac nullius valoris, & meriti apud Deum, se esse iudicaret, & iudicando diceret: Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. D. Bern.

B

Erat Virgo beatissima, omnis sanctitatis prærogatiua tàm sublimis, vt non immeritò à D. Gregorio in primum caput primi lib. Regum, & ab Euthymio etiam super canticum Abacuc per illum montem significetur, qui sub his verbis à propheta describitur. Et erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super colles. Quia Maria erat, quæ celsitudine sanctitatis omnibus non solum sublimibus collibus, sed editissimis etiam montibus superior existebat: & cũ talis, ac tàm sublimis Maria esset, tàm acutos humilitatis aculeos Deus illi infixit, vt præ omnibus paruam, & vilem se ipsam reputaret: & de se, suisque meritis, ac virtutibus nihil vnquam meritorium iudicaret, sed omnia sic dicens diuinæ bonitati, & gratiæ tribueret; Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. D. Greg. Euthym. Isa. 2.

C

Sed vndenam, inquies, hoc ita esse ostendes? Nõ aliunde quidem quàm ex ipsius Virginis verbis, quibus ipsa, tanquam si ab ea ratio quæreretur, ob quam tàm vilem, tamque abiectam se se iudicaret, respõdit: Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, quod quidem tale est, ac si significantius Maria diceret: Ideo de me tàm humiliter, & abiectè sentio, quia Deus meus, ipse sponsus, & dilectus meus respexit humilitatem ancillæ suæ: hoc est, videre me fecit vilitatem, exiguitatemque meam.

D

Verum nè aliquis fortè existimet, hunc dicendi modum, esse in ipsis scripturis sanctis parum vsitatũ, admonebimus hoc loco,

quod satis vsitata sacri eloquij locutione, Videre Dei, dicitur, & E
accipitur pro eo, quod est videre nos facere. Et in hoc sensu expo-
D. Chrys. nunt D. Chrysostomus homilia 47. in Genesim. & D. Euche-
D. Euthe. rius lib 2. in Genesim cap. 27. & D. Grego. lib. 19. moralium c. 6.
D. Greg. Gen. 22. verba illa Domini ad Abraham: Nunc cognoui, quòd timeas
Deum. hoc est, nunc cognoscere te feci. In quo etiam sensu ipse
D. Greg. D. Gregor. loco citato exponit verba illa: Tentat vos Dominus
Deut. 13. Deus vester, vt sciat si diligitis eum. Id est, vt scire vos faciat.

Præterea his similia in scriptura sacra passim reperiuntur: qua-
Psal. 13. lia sunt illa. Proba me Deus est, scito cor meum, & vide si via ini
quitatis in me est. hoc est, videre me fac. Et illa etiam quibus pa- F
Iob 28. tientissimus Iob de æterna, & incarnata sapientia loquens, dicit:
D. Euche. Tunc vidit (Pater scilicet) & enarrauit, & præparauit, & inuesti-
D. Greg. gauit. hoc est (sicut lib. formularum spiritalium exponit D. Eu-
cherius, & D. Greg. loco citato) Pater incarnatam sapientiam vi-
deri, & enarrari à prædicatoribus, præparari, & inuestigari ab au-
ditoribus fecit.

Cum itaque loca supra dicta, & alia multa, quæ hoc loco relin-
quimus, tàm vsitata sacri eloquij locutione, in hoc sensu explicen
tur, dubium nō est: quin in eo etiam explicari possint, hæc nostræ
Virginis verba. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ac proin- G
de quod ipsa hunc sensum efficiant. Quia respicere me fecit par-
Psal. 38. uitatem, vilitatem, & exiguitatem meam. Nam respiciendo me
oculis suis Deus meus, effecit, vt ego etiam meis oculis me respi-
cerem, & propterea respicerem, quia ipsius domini oculi fuerūt
Simile. mihi tanquam lucidissima, ardentissimaque lucerna, qua ego me
clarissime inspicerem, & inspiciendo cognoscerem, quod sicut
est vniuersa vanitas omnis homo viuens: ita etiam ego quidem
ex me, nihil aliud, quàm vniuersa vanitas sum: Ex Deo autē sum
totum id, quod sum. Nam ex me omnino inutilis, & insufficiēs
sum, non solum ad operandum, sed etiam ad aliquod quantum- H
uis paruum bonum cogitandum. Et si ad aliquid sufficiens sum:
hæc sufficientia, non est quidem ex me, sed solum ab ipso Deo,
qui respicere dignatus est, non magnitudinem, sed paruitatem,
non celsitudinem, sed exiguitatem, & humilitatem ancillæ suæ.

O admirabilem Mariæ humilitatem, qua Deus de Virgine: ita
etiam triumphauit, vt Virgo secundum suam æstimationem eò
cæteris omnibus tam mulieribus, quàm etiam hominibus inferio-
rem,

A tem, ac humiliorem se semper iudicaret, quo ab hominibus gratia ditior, & dignitate sublimior Virgo ipsa habebatur. Magnum, & mirabile sane in nostra Virgine, quod virgo esset: magnum & mirabile, quod mater: maius, & mirabilius, quia vtrũque: Sed maius, & mirabilius adhuc, quod cùm tanta sit nihil sibi bonum, & meritorium, sed soli Dei gratiæ tribuat vniuersa: Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.

Christus Dominus humilitatis virtutem suis commendans: Luc. 17. Cum feceritis, inquit, omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite serui inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus. E ideo viri san
B cti, iuxta hanc Domini sui doctrinam, cum fecissent omnia, quæ sibi mandata erant, nihilominus tamen se seruos inutiles iudicabant. Magna profectò humilitas: sed beatissimæ Virginis multo maior: quæ solis præceptis, & traditionibus impositæ legis nõ contenta: se etiam perfectionis consilijs, & suasionibus sponte mancipauit: Et cùm omnia tam præcepta, quàm consilia adimplesset, nihilominus tamen se nihil boni fecisse reputabat. Rectè sic omnia facere, perfectè sic omnia adimplere: & tamen inutilẽ se se reputare, apud quem inuenitur? Certe apud nullum alium, quàm apud nostram Virginem, quæ propterea illustrior de illu-
C stri, & sanctior de sancta reddita est.

CAP. VIII.

Maria præ humilitate, non solum omnium sanctorum minimam. Sed omnium etiam peccatorum maximam, seipsam reputabat.

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Luc. 1.

D

NON sufficiebat nostrę Virgini, ita se humiliare, sicut de illa superiori capite iam diximus. Sed tanquam si totum illud eximiæ eius humilitati parum esset. Per humilitatem tàm altè, & tàm profunde adhuc descendit: vt tanquam alter Paulus, immo multò perfectius, ac humilius, quàm Paulus se se omnium peccatorum primam reputaret. Venit Iesus peccatores saluos facere, quorum primus ego 1. Tim. 4.

ſum: dicebat Paulus. Sed Virgo multum etiam in hoc Paulum excessit, si Ioanni Gersoni credendum est. Ipse enim in celebri illo sermone, quem fecit de cœna Domini tria humilitatis miracula enumerans, circa tertium sic dicit. E

Gerson. Hanc perfectissimam imperfectionem: hanc optimam (si sic dici potest) peccabilitatem, sibimet ascripsit Paulus, dum se primum inter peccatores nominauit: & quia non mentiebatur, ita verè sensit. Hoc planè magnum miraculum videre hominem in virtutibus omnibus clarescere, & laborare plus omnibus: & tamen se primum inter homicidas, & matricidas, & omnes sceleratissimos computare. Dicere aliquid grandius meditor, nescio si potero. Puto, immo certè credo, quod Christus & Maria Paulum in humilitate non paululum transcenderunt. Vellem ergo scire, nunquid fecit hæc humilitas, vt Christus, & Maria se tantò verius inter peccatorum primos nominarent, quantò humilius à Deo in se exeuntes suum imperfectius, lucidius cognouerunt? Poterat, æstimo, sic intelligi: ac (si non abhorrent piæ aures) sic dici: non quidem de peccato contracto, absit: Sed de labilitate ad peccandum. Nam creatura rationalis quælibet, est tantò labilior, & pronior ad casum, & defectum, quantum in naturalibus, & gratuitis fuerit ornatior, seclusa Dei manutenentia Speciali. Quasi plus habeat creatura omnis de vanitate, & tendentia in nihilum, quantò plus de entitate. Signum huiusmodi euidens fuit in Lucifero, & Adam, & alijs multis, quorum nobilitates, & perfectiones quid fuerunt eis, nisi pondus grauius ad ruinam? Hoc sentit anima Christi, hoc Maria eò profundiori humilitate, quò lucidius contemplantur. Hinc Augustinus vocauit Mariam puellam vilem, & abiectam in oculis suis. Nam quo pacto Maria, & Christus secundum animam fixius se, & omnia dona sua stabilirent in Domino, si quomodolibet fidendùm esse sentirent in viribus suis, & in abundantia diuitiarum suarum? F G D.August. H

Ex his, quæ sic ad longum hac de re, ab ipso Gersone dicta sunt, optimè (sicut credo) liquet qualem de se ipsa opinionem animo suo Maria imbibisset. Siquidem cùm parum illi esset, inuilem Domini sui seruam, & ancillam seipsam iudicare, eò humilitatis peruenit, ut omnium peccatorum primam seipsam reputaret. Non quidem quòd peccatum aliquod (quantumuis minimum

nimum

A nimum illud fuerit) vnquàm Virgo contraxerit, aut fecerit: Sed quia maximè nouit suum nihil, & quia maximè caderet, & tantò grauiori quidem casu caderet, quò ipsa in statu erat altiori, nisi ipsius Dei manu ipsa teneretur. Id, quod etiam anima Christi de se ipsa maxime nouit, quæ sicut in esse à Verbi supposito omnino pendebat, neque propria subsistentia nitebatur, sed diuina: ita per humilitatem suum nihil maxime nouerat, & ideo soli Deo fidebat, ac innitebatur, non sibi. Ad hunc etiam modum Maria, licet tàm magna esset: tamen sui cognitione se se valde deijciebat. Sciebat Virgo beatissima, & optimè, certissimeque sciebat: sciebat, inquam, se peccare omnino non posse, & de hoc
B maiori adhuc certitudine quàm Paulus certa erat.

Nam D. Paulus licet haberet hanc certitudinem: & illius occasione diceret: Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus poterit nos separare à Charitate Dei, tamen non habebat hanc certitudinem, nisi per effectũ, & per posterius, sicut super missus est cap. 106. loquitur Albertus magnus: & ideo in sua certitudine, non æquabatur beatę Virgini, quæ sicut eodem loco idem dicit Albertus, habebat hanc certitudinem non peccandi, per modum causę, quia sciuit
C se in vtero sanctificatam: sciuit se matrem Dei effectam: sciuit denique se neque vnquàm peccasse, neque de cætero peccare posse. Verum Virgo quamuis de hoc ita certa esset, tamen quia seclusa diuina gratia, sciebat se maxime cadere posse, ideo tantùm se humiliabat, ac omnium peccatorum maximam reputabat. O Virginis humilitatem vltrà quàm dici potest admirandam: humilitatem, inquam, qua Virgo talem se se ante suos oculos conspiciebat. O singularem etiam Dei nostri de Virgine tàm egregiè reportatum triumphum: si quidem talem, tamque vilem, & abiectam Virginem an-
D te proprios suos oculos constituit, vt sibi prorsus nihil, sed totum Deo suo referens diceret: Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.

Rom. 8.

Alb. mag.

CAP.

CAP. VIIII.

Deus de peccatore triumphum reportat, eum ante suos oculos constituendo. Ipse Mariam ante suos proprios oculos talem constituit, vt si in mundo esset aliquid vno peccatore viliùs, id sibi libentissime Virgo præferret.

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Luc. 1.

MAgnum de vno peccatore triumphum, Deus tùnc reportat, quando peccatorem ipsum, ante faciem suam sic cõstituit, vt suam abominationem, & suorum peccatorum turpitudinem optimè videat. Cum enim sæpissime contingat, vt peccator seipsum lateat in dorso suo, volens Deus facere, vt talis peccator seipsum videat, id quod in dorso, & post dorsum habet, ipsi peccatori ante faciem constituit, ostendendo illi fęditatem, & ignominiam suam. Et hoc ipsum est, quod Deus per prophetam cùm peccatore, & de peccatore loquens dicebat. Arguam te, & statuam contra faciem tuam. Quasi diceret: scio ò peccator quia ideo in peccatis tibi tantum places, & mihi displices, quia te nõ vides: quia si te videres dubium non est, quin mihi placeres, & tibi displiceres. Sed scio quid faciam, & quod faciam hoc erit: Arguam te, & arguendo tollam te à tergo tuo, vbi tu te videre non vis dissimulans à factis, & à peccatis tuis: & constituam te ante faciem tuam. Faciam vt ascendas tribunal mentis tuę, & cùm fueris tibi iudex, cùm timor torquere te inceperit, tùnc erumpet à te cognitio tua: tùnc erumpet tuorum peccatorum confessio: tunc denique dices mihi: Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: & peccatum meũ contra me est semper. An nõ magnus talis Dei de vno peccatore triumphus? An non magnus triumphus, quo Deus id, quod post peccatorem erat, ante ipsum ponit, & ita ponit, vt peccator ipse sic ante se, à Deo constitutus, iam non habeat, quo fugiat à seipso, nisi ad cognitionem, & veram suorũ peccatorum cognitionem? Vere magnus talis triumphus.

Psal. 43. · G · Psal. 50. · H

Verùm licet hic triumphus magnus sit: tamen multò maior ille est, quem de Maria Deus consecutus est, quam, cum ipsa esset, &

A & verè esset omnium sanctorũ sanctissima, sic ante faciem suam constituit, vt non solum omnium sanctorũ minimã: sed etiam omnium peccatorũ maximam, & si quid adhuc esset vno peccatore vilius, se ipsam iudicaret. Et hoc est, quod his verbis Virgo dicebat; Quia respexit humilitatẽ acnillę suę: Quasi diceret: Ideo omnium sanctorũ minimã:& omnium peccatorum maximam meipsam reputo, quia dominus meus, ipse & Deus meus videre me fecit vilitatem, & exiguitatem meã. Nam me ante meos oculos sic constituit, vt meum nihil ipsa conspiciens tandem cognoscerem quod ex me ipsa nihil sum, & ex eius gratia sum id, quod sum, qui
B respexit humilitatem ancillæ suę.

Superbus ille Pharisęus, qui omnium, qui in orbe erãt accusator existebat, tanquam si esset illis melior, omnibus hominibus se pręponebat. Non sic humillima Virgo, non sic: sed cùm ipsum iam virtutis culmen conscendisset, nihilominus se, non dicam, omnium peccatorum postremam: sed quod maius est, sicut sępe iam diximus, omniũ peccatorũ maximã, & si quid adhuc in mundo esset vno peccatore vilius, se ipsam existimabat. Nihil beatissimę Virginis humilitati satis erat. Omnia nihil esse reputabat. Erat enim eius humilitas, tanquã in intelligibilis quędã abys- Luc. 19. Simile.
C sus omnia aquarũ fluenta absorbens, & tanquã spiritnale quoddã vacuum, ad quod replendũ confluunt omnia, nec implere sufficiunt. Vnde mihi sanè videtur (neque in hoc sanctissimæ Virgini iniuriã aliquã irrogari arbitror) quod si aliquid (sicut diximus; in mundo adhuc esset, quod esset vno peccatore vilius, quod hoc etiam libentissime sibi Virgo pręferret.

Sed vndenam, inquies, tanta Mariæ humilitas? Planè nõ aliun de nisi ex eo quia dominus respexit humilitatem ancillæ suæ. Et quid mirũ, si suis oculis Deus Virginẽ respiciẽs tàm magnũ, atq; inexhaustũ, non tantum humilitatis. Sed etiam omnium aliarum
D virtutum in ea deposuit thesaurum? Nam diuinorum oculorũ ea est vis, eaque natura, vt eos, quos respiciunt, omnibus soleant virtutum diuitijs locupletare. Idque bene nobis per illos septem oculos significatur, quos Zacharias propheta super vnũ lapidem: Et Zacha. 3.
Euangelista Ioannes in capite agni positos esse dixit: Cum enim Apo. 5.
per vtrumque tàm lapidẽ, quam agnum, æterni patris sapientia Christus significetur: Quid, quæso, est aliud Christum septẽ oculis homines aspicere: quã illis omnia dona sua cõmunicare? Quæ

propterea

propterea ab vtroque propheta tàm Zacharia, quã Ioanne per septem oculos in septẽnario numero significantur, quia dona omnia spiritualia, quę à Deo fidelibus conceduntur, septenario numero comprehenduntur. Non contentus est Deus quæcunque bona electis suis elargiri, nisi simul omnia bona ipsis ab eo communicentur. E

CAP. X.

Marię humilitas cùm Dauidis humilitate comparata, ea multo excellentior comprobatur. Maximæ Marię virtutes, cur ei tàm paruæ apparebant. F

Quia respexit humilitatem ancillę suę: Luc. 1.

MAriæ humilitatem quoties animo reuoluo, toties Dauidicum illud factũ, mihi venit in mentẽ, quo regius
2. Reg. 6. propheta magna cùm laude suum nomen posteritati cõmendauit. Ipse enim cũ Dei arcam, in domũ suam reducere decreuisset, nõ solum in organis armigatis percutiebat, & totis viribus ante dominum saltabat: sed etiã Ephod lineo accinctus erat, vt vel sic coràm domino se magis humiliaret. Deposuerat enim (sicut plerique Patres exponunt) omnia regalia insignia, & accepit lineam vestem similẽ leuitis coram Deo administrantibus. Et tali veste Dauid indutus ducebat arcam testamenti domini, in iubilo, & clangore buccinæ. Cũque eius vxor Michol per fenestram Dauid sic coram domino saltantem prospiceret, cũ in corde despexit suo: Neque hoc contenta est, sed ipsum Dauid cum iam domũ esset reuersus, talibus est verbis allocuta. Quàm gloriosus fuit hodie Rex Israel discooperiens se, ante ancillas seruorum suorũ: & nudatus est, quasi nudetur vnus de scurris: idest, vnus de inanibus, vel fatuis, sicut est in Hebręo. G H

Hunc vxoris despectũ, ipse Dauid minimè curans respondit, & ludam, & vilior fiam plusquã factus sum, & ero humilis in oculis meis. O singularem humilitatem regio pectore prorsus dignam.
Simile. O egregium hominis factũ, quo præter alia nobis datur intelligi, quod sicut antequã domini arca in Dauid domum intraret, opus fuit, vt ipse se tantopere humiliaret: ita etiam antequam diuinum Verbum

A Verbum, in hunc mūdum veniret, necesse fuit vt Maria, quæ tanquam vera Dauid filia Dei filium, in sui vētris domum exceptura erat, sese valde humiliaret, atque omnia faceret in receptione huius diuinæ arcæ, Verbi scilicet diuini, quæ fecit pater eius Dauid in receptione arcæ testamenti domini.

Sed hoc iam clarius videamus. Induit se tunc Dauid veste alba: induta est etiam Maria suæ puritatis, ac virginitatis candidissima veste: Dauid tùnc cantabat, & iubilabat: Maria etiam iubilabat, & cantabat: Magnificat anima mea Dominum. Dauid totis viribus saltabat. Maria etiam toto spiritu in Deo suo salutari B exultabat. Dauid percutiebat in organis armigatis: & ludebat coram domino in omnibus lignis Fabrefactis, & Lyris, & Timpanis, & Cytharis, inter quas fortassis illa erat, quam cùm spiritus domini malus arripiebat Saul, tollebat Dauid, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul, & leuius habebat, & recedebat ab eo spiritus malus: Maria percutiebat in cithara oris sui; qua in domo Zachariæ, cùm eius lingua tāquàm dulcisona chorda Spiritus sancti digitis fuisset attacta, tàm suauem sonum emisit, vt illo audito spiritus malus, qui Ioannem arripuerat statim ab eo recederet, & Ioannes sic leuius haberet, vt illico ad Mariæ vo- C cem in gaudio exultaret. Deniq; Dauid eo tempore humiliorem se ostendit, quàm antea vnquam, & in huius rei signum dicebat: Et ludam, & vilior fiam plusquàm factus sum, & ero humilis in oculis meis: Maria etiam tùnc humillimam sese exhibebat, & in huius rei signum dicebat: Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. 1. Reg. 16.

D. Eucherius Regis Dauid humilitatem in hoc suo facto exaggerans lib. 2. cōmentariorum in libros Regum cap. 4. Intueri, inquit, libet quāta virtutum munera Dauid perceperat: atque in his omnibus quàm forti se humilitate seruabat. Quem enim non extolleret, ora leonum frangere, & vrsorum brachia dissipare, despe- D ctis prioribus fratribus eligi, reprobato rege ad regni gubernacula vngi, timendum cunctis vno lapide Goliam sternere, à rege proposita extinctis allophilis numerosa præputia reportare, promissum tandē regnum percipere, cunctumq; Israeliticum populum sine vlla contradictione possidere. Et tamen cùm arcam Dei Ierusalem reuocat, quasi oblitus prælatū se hominibus, admixtus populis ante arcam saltat. Et quia coràm arca saltare (vt creditur) vulgi mos fuerat, Rex se in obsequio diuino per saltatum rotat. D. Euche.

Ecco

Ecce quem dominus cunctis singulariter prætulit, sic se sub domino, & exæquando minimis, & abiecta exhibendo contemnit. Nō potestas regni ad memoriā ducitur: non subiectorū oculis saltando vilescere metuit: non se honore prælatū cæteris, ante eius arcā, qui honorē dederat recognoscit. Coram Deo egit debilia vel extrema, vt illa ex humilitate solidaret, quæ coram hominibus gesserat fortia. Quid de eius factis à balijs sentiatur ignoro. Ego Dauid plus saltantem stupeo, quàm pugnantem: pugnando quippe hostem subdidit: saltando autem coram domino semetipsum vicit. Hæc D. Eucherius, quæ nihil omnino immutato habentur etiam apud D. Gregorium lib. 27. moralium cap. 27. ex quo loco ordinarius glossator ea deprompsit, & tanquam D. Gregorij verba allegat. Vtrum vero ea D. Eucherij, an D. Gregorij sint alij viderint. Ego tamen existimo iuniorem Gregorium potius ea, ab antiquiori Eucherio desumpsisse, quàm antiquiorem Eucherium à Gregorio. Sed hoc parum refert. Vnum hoc est, quod sane multum interest, nempe, Regium prophetam ab istis duobus patribus tàm eximijs fuisse verbis prædicatum. E D.Greg. F

Verùm si ex eorum verbis occasio laudandę Virginis à nobis arripienda est, non difficile nobis erit ostendere, quòd propter humilitatem multò potiori debet Virgo laudari, quàm Dauid. Quem enim non extolleret, non dico, terrestrium leonum, aut vrsorum: sed infernalium ora frangere, & brachia dissipare, antiqui serpentis venenatum caput conterere, timendum cunctis diabolum, sternere, relictis alijs in Dei matrem, mundi dominam, & cœlorum reginam, atque ea de causa, non solius Israelitici populi, sicut Dauid, sed totius vniuersi dominatum possidere? Et tamen Virgo, quasi oblita prælatam se cunctis, non solum hominibus, sed cœlestis Curiæ ciuibus, postquàm veram Dei arcam in sui ventris domum reportauit, statim montana conscendit, vbi quasi mensibus tribus se in Elisabeth obsequijs occupauit. Ecce quam dominus cunctis, non solum fœminis, sed hominibus, sed Angelis singulariter prætulit, sic se sub domino, & exęquando minimis, & abiecta in domo cognatæ exhibendo contemnit. Non tantæ sibi à domino concessæ dignitates in memoriam reuocantur. Non inferiorum sibi oculis, sic se humiliando vilescere metuit, non se honore prælatam cæteris, ante eius oculos, qui honorem dederat, recognoscit. Coram Deo egit debilia, vel extrema, vt illa G H

ex

A ex sua humilitate solidaret, quæ coram Angelis, & hominibus tàm fortia gesserat. Reliqua Mariæ egregia facta admirentur alij: Ego Mariam se humiliantem plus stupeo, quàm contra dęmones pugnantem: pugnando quippe infernales tantùm hostes subdidit; humiliando autē se coram Deo, se, & ipsum Deum simul vicit. Nam sicut Antæus Lybicus gigas cùm Hercule congressus, quoties membra deficerent tactu terræ recreabatur, & recreatus vincebat, ita Maria se humiliādo tantas vires resumebat, vt Deum ipsum vinceret, & vincendo de cęlo in terras adduceret, & in suo sacratissimo vtero includeret. Simile.

B Vnde multò melius Maria quidem, quàm Dauid dicere poterat: ibo, & reducam arcam Dei cum benedictione in domum meam. Dauid enim testamenti arcam de domo Obededom in suam domum reduxit. Maria autem vnigenitum Dei filium de domo, & sinu Patris in sui ventris domum tanta cùm benedictione adduxit: vt ex hoc cunctarum gentium ore, & voce beata non solum prædicata, sed etiam vsque in mundi finem prædicanda sit. 2. Reg. 6.

Parum fuit Dauid, in reductione arcæ humilem se exhibere: sed postquam eam in domo sua habuit, adhuc dicebat: Et ludam, & vilior fiam plusquàm factus sum, & ero humilis in oculis meis. Parum etiam fuit Mariæ in reductione diuinæ arcæ se humiliare, & humiliando dicere, Ecce ancilla domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Sed postquàm hanc diuinam arcam intra sui ventris domum habuit, adhuc dicebat: Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. C Luc. 1.

Multū in reductione istius diuinæ arcę, de cœlo ad terras Virgo fecerat: multas virtutes habebat, quibus de congruo saltē, filij Dei incarnationē meruerat. Et tamen nihil omnino se habere putans omnia in ipsum Deum cunctorū bonorū largitorē referebat, D & referendo dicebat: Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.

Hoc autem ideo Maria faciebat, quia virtutes, & merita sua de longe aspiciebat. Sicut enim res, licet magnę in se ipsis sint, tamen si à longe aspiciantur paruæ apparent: ita Mariæ virtutes, & merita, quia de longe ab illa aspiciebantur, parua illi apparebant, & tàm parua vt ingenuè fateretur nihil sibi ex suis virtutibus, aut meritis euenisse: sed ex eo solum quia Dominus respexit humilitatem ancillæ suæ. Simile.

CAP.

CAP. XI. E

Superbi à Deo quàm longè sint: Humilis Maria sua humilitate, quantum Deo appropinquauit.

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Luc. 1.



TENIM Nullam meliorem viam, Maria inuenire potuisset, vt Dei filium ad se attraheret, quã per humilitatem. fons est enim ipse Dei filius ex F cor de paterno æternaliter promanans, & ideo nõ ascendit per montes, & colles, sed conualles quęrit. Inter medium montiũ pertransibunt aquę,
Psal. 103. dicebat propheta. Et ideo in humilitatis conualle Deum Maria inuenit. Nam cum Deus altissimus sit, & respectu Dei humilis satis Maria: nullus melior modus inueniri poterat, vt Altissimus Deus humillimæ Mariæ vicinaretur, quàm si ipsa sic humiliaretur. Magna mysteria fratres, Deus super omnia est (inquit D. Au-
D. August. gustinus in psalmum 33.) erigis te, & non illum tangis, humilias te, & ipse ad te descendit. Et in psalmum quinquagesimum: No- G sti quia excelsus est Deus, si te excelsum feceris longinquabitur à
D. August. te: si te humiliaueris propinquabit ad te.

Sed D. Augustini autoritatibus, quid opus habemus, vbi ex ipsius scripturæ sacræ autoritate, hoc ita esse, & verissimum esse, po-
Psal. 137. test demonstrari? An non dicit Dauid: Excelsus Dominus, & humilia respicit: & alta à longe cognoscit? Hoc vero perinde est, ac si diceret: Humiles, & abiectos à propè respicit Dominus illos autem qui superbi sunt, & elati a longe cognoscit. Sed vndenam hoc? Propheta ipse nobis dicit. Quoniam excelsus Dominus, inquit. Quasi diceret: ideo Dominus humilia à propè re- H spicit, & alta à longe cognoscit, quia cùm tàm excelsus sit, & supra se nihil omnino habeat ad quod intendat, opus est, vt inferiora, & humilia respiciat, quia hæc sola in eius oculis aliquid appa-
Simile. rent. Quid clarius Dauid dicere potuisset, vt ostenderet, quàm parui sint superbi, & elati in oculis Domini. Nam sicut Sol, Luna, & Stelle, licet in effectu magna sint, tamen in aspectu parua apparent, quia à longè conspiciuntur: ita superbi licet in se, & in

suis

A suis oculis magni sint, tamen in oculis Dei, qui eos à longe respicit, parui omnino sunt.

Hoc autem nemo à nobis, sic dictum esse intelligat, quasi Deus ideo superbos male videat, quia eos à longe videt. Nam teste propheta: De cœlo respexit Dominus vidit omnes filios hominum: de præparato habitaculo suo respexit super omnes qui habitant terram. Quæ prophetæ verba exponens D. Basilius super eundem psalmum. Considera, inquit, alium spectatorem, considera ex supernis humanas res inspicientem: quocunque tandem iueris, quidquid tandem egeris, siue in tenebris, siue in die B inspectantem habes Dei oculum ex parato habitaculo suo. Non aperiuntur portę, non cōtrahuntur vela paratum est ad inspectionem habitaculum Dei, omnes filios hominum respicit. Neque vnus quidem conspectum ipsius effugit, non tenebræ, non parietes contegentes, nullum impedimentum oculis Dei obstat: qui tantum abest, vt ne singula inspiciat, vt etiam corda introspiciat. — Psal. 32. — D. Basil.

Et D. Augustinus in psal. 137. Quid sibi ergo præstat, inquit, superbus, nisi, vt à longe videatur, non vt non videatur? Ne putes te, ideo securum esse debere, quod minus te bene videat, quia à lon C ge te videt: tu enim quod à longe vides, non bene vides: Deus, & si à longe te videt, perfectè te videt, & tecum nō est. Hoc agis non vt minus perfectè videaris, sed vt non sis cùm illo, à quo videris. — D. August.

Patet ergo quòd superbi, non male à Deo videntur, quia à longe videntur, sed quod ideo in oculis Dei parui sunt, quia à longe sunt, quia cum Deo non sunt. Non talis sane fuit Maria cui Dn̄s tàm prope erat, vt teste Angelo Dn̄s ipse cum Maria esse diceretur. Aue gratia plena Dominus tecum, dicebat Angelus: & quāuis hoc ipse non diceret: tamen quantum Mariæ Dominus, & ille Dn̄o esset propinqua bene intelligeretur, saltē ex eo quòd tàm D paruam, tamq; abiectam se se Virgo reputaret. Quia quantò homo magis distat à Deo, tantò magis sibi videtur quod sit aliquid, tunc enim est magis superbus, tunc magis arrogans, tunc magis elatus: contra vero quantò est Deo magis propinquus, tantò magis sibi videtur, quod nihil sit, quā fumus, quā vapor, quā vanitas. — Luc. 1.

Sicut enim stellæ quantò plus recedunt à Sole, tātò lucidiores, splēdidioresq; apparent: & quātò plus Soli approximātur, tāto obscuriores reddūtur: ita hō quantò est à Deo remotus, tāto ma- — Simile.

R iorem

iorem se esse indicat: & quanto magis Deo appropinquat, tantò E viliorem, abiectioremque se reputat. Deo propinquus erat Dauid, & ideo exclamat: Et substantia mea tanquàm nihilum ante te. Iob etiam quia Deo vicinus erat, ideo dicebat: Oculus meus videt te propterea ego in cinere, & fauilla pœnitétiam ago. Sicut quantò acutius videmus, tantò magis scimus quàm longè à cœli regione distamus. Sic sancti quò magis ad virtutis celsitudiné ascendebant, eo magis cognoscebant, quantum esset inter eos, & ipsum Deum discrimen. Hinc erat quod Abraham, cùm tàm magnus esset, terram nihilominus, ac cinerem se nominabat. Loquar ad Dominum meum cùm sim puluis & cinis, dicebat ille: Hinc F etiam erat quod nostra Virgo, cum per virtutum merita tantum conscendisset, nullam tamen de suis virtutibus, ac meritis mentionem faceret: sed de sola Domini bonitate, & liberalitate loquens dixit: Quia respexit humilitatem ancillæ suæ,

Psal. 38. — Simile. — Genes. 17.

CAP. XII.

Maria in sua humilitate à superbia quantum secura. Virginis humilitas omnes alias ipsius virtutes maxime exornauit. G

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Luc. 1.

NVLLVM In tanta sua dignitate constituta Virgo, ex illis periculum experta est, quæ illi solent experiri, qui ad honores, & dignitates euehuntur. Nam sicut cacumen arborum, quæ in alto positæ sunt, quantumuis lenis aura flauerit, mouetur tamen, & agitatur. Sic homines in dignitatis culmine existentes superbiæ, & arrogantiæ ventis exagitantur. Qñ Deus Pharaonem voluit castigare propter hoc, quod H populum dimittere nolebat, vt ipsi sacrificaret: dixit ad Moysem, & Aaron. Tollite plenas manus cineris de camino, & spargat illum Moyses coràm Pharaone. Hoc vbi factũ fuit, dicit scriptura, ꝙ facta sunt vlcera vesicarũ turgentiũ in hominibus. Per puluerẽ in cœlũ sparsum rectè homines possumus intelligere, qui vbi primum ad supremos honores extolluntur, statim in illis tumor generatur, quasi vesicarum turgentium. Verum nullum talem tumorẽ Mariæ præbuit, tanti sibi à Deo concessi honoris celsitudo: quid licet

Simile. — Exod. 9.

A licet Virgo in alto esset, ibi tamen nullis superbiæ ventis exagitabatur: sed in tanta posita celsitudine dicebat: Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.

In tanta celsitudine Virgo constituta adeo tranquilla erat, vt veluti in media conualle altissimis vndique montibus, & collibus cóprehensa, posita esse videretur. Et quæ maior, securiorq; conuallis poterat reperiri, quàm profundissima Mariæ humilitas? in hac conualle Maria sedens antiqui serpentis venenatum caput cótriuit: Et ipsa cóteret caput tuum: Dixit Dñs ad serpentem: Quibus verbis ipse iam tunc insinuare volebat, serpentis caput, quod

B est superbia, iuxta illud: Initium omnis peccati superbia; Mariæ humilitate esse conterendum. Nec immerito: Nam prima mulier Eua in monte superbiæ à diabolo victa est: & ideo in conualle humilitatis ipse diabolus à Maria victus est. Genes. 3. Eccl. 10.

Inter innumeras virtutes, quas Virgo habebat, nulla eam magis crescere, & ascendere fecit, quàm humilitas. Hæc est, quæ in illa infinita propè dona, & gratias cumulauit: hæc, quæ cæteras Mariæ virtutes summopere exornauit: & à qua ipsę Mariæ virtutes decorem, & valorem acceperunt. Sine humilitate audeo dicere, nec virginitas Mariæ placuisset: dicebat mellifluus Pater D.Bern.

C D. Bernardus. Et infra: Etiam si placuit ex virginitate, tamen ex humilitate cócepit. Vnde constat, quia etiam vt placeret virginitas, humilitas proculdubio fecit. Sicut in computis, orbiculare illud signum, quod Zifra vocatur, de se, & in se quidem nihil est: si vero associetur alijs literis, & notis, quæ in numerando inseruiunt, illis incrementum dat: Ita etiam Virginis humilitas, qua in se, & in suis oculis ipsa Virgo tàm vilis erat, eius meritis, & virtutibus maximum incrementum dedit. Simile.

Sed quid ego de Mariæ virtutibus, & meritis solum loquor? Etiã Christus Dominus hanc humilitatis Zifram, suis virtutibus,

D & meritis apponere curauit. De illo enim dicit Apostolus: Humiliauit semetipsum: & postea incrementum illud ostendens, quod hoc nihil, & hæc humilitatis Zifra, Christi operibus dedit, subiungit: Propter quod, & Deus exaltauit illum. Et quomodo exaltauit? Tertia die ipsum à mortuis suscitando, & quadragesima ad cœlos exaltando, & super omnia constituendo. Cum enim Christus per naturam diuinam non haberet (sicut sermone 2. de ascensione loquitur D. Bernardus) quo cresceret, vel ascenderet, Philip. 2. D.Bern.

quia vltra Deum nihil est, per descensum quo cresceret inuenit. E
Hoc autem ideo Dominus sic fecisse credendus est, vt homines
Mat. 16. humilitatem doceret, si ascendere volunt. Non enim ascendere possunt, nisi descenderint. Sicut enim æterna lege fixum est: Omnis, qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur. Nec Virgo nostra vlla alia, quàm humilitatis scala ad tantum honorem, & dignitatem ascendit. Quia respexit, inquit, humilitatem ancillæ suæ.

Sed sufficiet ne hoc, vt homines ita faciant? Et humilientur? Minime quidem. Immo cùm ascendere difficillimum sit ascendere autem facillimum: ipsi leuiter ascendunt, & difficilius descendunt, parati ad honores, & celsitudines graduum, ipsis etiam F angelicis humeris formidandos. Et non ad sequendum exemplum tam filij, quàm matris, matris, inquam, in tanta Dei matris dignitate, ad ancillæ exiguitatem se humiliantis, ac dicentis, quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Verum quia de nostræ Virginis humilitate longius fortassis, quàm par erat à nobis dictũ est: iam nunc ad reliqua huius versiculi verba breuius prosequẽda, nos transferamus.

CAP. XIII.

G

An hoc, quod Virgo dicit: Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes: ad ipsius Virginis humilitatem, an ad tempus, quo eius humilitas à Deo respecta fuit, referendum sit: & omnium generationum nomine, quid hoc loco intelligi debeat.

Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Luc. 1.

D. Bona. INTER Patres, qui præsentem locum explanant D. Bonauentura in suis commentarijs in Lucã, hæc Mariæ verba, ad eius H humilitaté videtur referre à Dño respectam, siue ad illud beneficium gratiæ, quo Dñs ipsam Virginem laudabilẽ fecit. Sic enim de Virgine loquitur eodem loco D. Bonauentura. Fecit, & laudabilẽ hominibus illud gratiæ beneficiũ, & propterea addit: Ecce enim ex hoc beatã me dicent oẽs generationes. Quasi sit sensus ex sñia ipsius Seraphici Doct. Bonauenturæ. Quia respexit humilitatẽ ancillæ suæ ex hoc: id est, ideo beatam me dicẽt oẽs gñationes.

Hunc

A Hunc dicendi modum videtur etiam sequi Venerabilis Beda in Lucam sub his verbis. Cuius autem humilitas respicitur, recte beata ab omnibus cognominatur. Vnde sequitur: Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. hoc est, ex eo quia respexit meam humilitatem. D. Bonauenturam, & Bedam sequuntur etiam Cornelius Iansenius, & Stella in Lucam. Beda. Iansen. Stella.

Verum illorum opinione non obstante, melius (sicut credo) hic locus explicabitur, si hæc verba ad illud tempus referantur, quo Deus Mariæ humilitatem ita respicere, & acceptare dignatus est, vt eam sui proprij filij matrem efficeret. Quod ideo dixerim, B quia græcus contextus, nullum alium dicendi, aut significandi modum, in his verbis insinuat. Hic enim pro eo, quod nos dicimus: Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. sic habet: Ecce enim ex hoc nunc beatam me dicent omnes generationes. Et hoc in causa fuisse videtur, quare nonnulli ex græcis Patribus, sicut Theophilactus, & Euthymius hunc locum similiter exposuerint. Ex his enim imprimis Euthymius sic legit: Ecce enim posthac beatam me dicent omnes generationes, credentium videlicet. Deinde Theophilactus: Ex hoc tempore, inquit, beatam me dicent omnes generationes. Non sola Elisabeth, sed & C eorum generatio, qui crediderint. Nec solũ græcos Patres Theophylactum, & Euthymium in hac sententia fuisse clarum est, sed multos etiam ex latinis. Euthy. Theophy.

Inter hos D. Hieronymus in cap. 8. Isaiæ, pro eo, quod nos dicimus: Ecce enim ex hoc: sic legit: Ecce enim amodo. quod idẽ sonat, quod ex nunc. Et D. Eusebius Emissenus hom. feriæ sextę ante quartam Dominicam Aduentus: Nulla enim, inquit, ex eo tempore generatio fuit, quæ eius beatitudinem non prædicauit. D. Augustinus etiam tractatu super Magnificat: Vsque ad illud D inquit (tempus videlicet) apud homines opprobrium sterilitatis portauerat, quia integritatem virginitatis thoro maritali præponebat: Sed vnde in priori generatione carnali, quasi maledictionis sententiam sustinuit, inde nunc ab omni generatione mortali benedictionem collaudabiliter recepit. Ipsius D. Augustini tàm egregius imitator hac in parte extitit Hugo Victorinus hunc etiã locum explicans, vt eiusdem D. Augustini verba nihil ferè immutato apposuerit, in suis annotationibus super Magnificat. Et ideo hic significandi modus pręsenti loco magis congruere videtur: D. Hieron. D. Euseb. Emiss. D. August.

tùm propter grçeum contextum: tùm etiam propter istorum Patrum sententias, quas retulimus: quibus si inhærendum sit, talis est istorum verborum sensus: Non omnes me generationes beatam dicent, O dilectissima mihi cognata Elisabeth, propter virginitatem, neque propter puritatem, neque propter humilitatem, neque propter fidem, neque propter charitatem, neque denique propter aliquam aliam meam virtutem: Sed ex hoc nunc beata ab omnibus prędicabor, quia Domini mater effecta sum. Nam ex hoc instanti, quo tu ò Elisabeth Spiritu sancto plena, Domini matrem me esse cognoscis, & fateris, & tuus etiam filius adhuc in vtero tuo existens contra omnem naturalem cursum, meum filium, qui Deus est, adorat: ex hoc, inquam, instanti beatam me dicent omnes generationes. Tu de me nunc dicis, beata quę credidisti: Sed ego dico, quod ex hoc nunc beatam me dicent omnes generationes.

Luc. 1.

Quod vero attinet ad generationes istas, à quibus nostra Virgo se beatam prædicandam esse dicit. De illis varij, variè sentiunt. Sunt enim nõnulli, qui dicunt per istas generationes intelligi posse tres generationes creaturarum, quæ in mundo sunt: videlicet generationem creaturarum purè spiritualium, sicut Angelorum, generationem creaturarum partim spiritualium, & partim corporalium, sicut hominum, generationem denique solùm corporalium, sicut animalium: & cæterarum omnium creaturarum tàm sensibilium, quàm etiam insensibilium. Quamquàm vero istis facile sit ostendere Virginem à primis duabus istarum generationum, Angelis videlicet, & hominibus beatam fuisse appellatam: tamen quomodo à tertia quoque generatione benedicta fuerit, nõ tàm facile indicabunt: nisi forte dixerint, quod licet per se Virginem non benedicant creaturæ reliquę, præter homines, & Angelos, quia rationem non habent: tamen suo modo benedicũt: quatenus scilicet, hominibus occasionem præbent laudandæ Virginis, eo modo, quo cœli à propheta Dei gloriam enarrare perhibẽtur. Sicut enim sufficit, vel sola cœlorum pulchritudo, ac magnitudo, quę apparet ad opificis magnificentiam prędicandam, ita etiam homines, ad ipsam Virginem laudãdam inducuntur ex hoc, quia ipsa, quem cœli ipsi capere non possunt, suo gremio contulit.

Simile.

Verum ista opinione non obstante, alij aliter sentiunt, contenduntque

A dunique quòd per omnes istas generationes intelligūtur illę quatuor generationes, siue illi quatuor generandi modi, qui in mundo reperiuntur. Nam, (sicut alibi iam diximus) quatuor solùm generandi modi reperiuntur. Primus neque ex homine, neq; ex muliere sicut Adam. Secundus ex homine sine muliere sicut Eua. Tertius ex homine, & muliere simul, sicut communiter hoĩes, & mulieres. Quartus denique ex muliere etiam Virgine sine viro, non tamen absque opera Spiritus Sancti: quomodo solus Christus de Virgine nasci dignatus est. Cum igitur in his quatuor modis, quatuor diuersæ generationes includantur, istorum sententia B affirmat bene hunc locum de istis quatuor generationibus, posse intelligi: neq; incongruè, cùm nemo dubitet, quin Virgo ab omnibus istis quatuor generationibus fuerit prædicata.

Quod enim ad primam, & secundam attinet, quis de hoc iam dubitabit, vbi à sanctis patribus nostri primi parentes Adam, & Eua summis laudibus Mariam prædicantes sæpe sępius inducuntur? Deinde de tertia quis etiam dubitabit, vbi etiam nostra Virgo omnium credentium ore pręddicata fuerit, & nunc etiam pręedicetur, atque in mundi finem pręedicabitur? Deniq; de quarta generatione quale, quęso, dubium erit, vbi non aliorum more Chri-C stus, sed multò excellentiori modo, & altiori pręconio Virginem matrem decorauerit? Cum enim mulier illa euangelica, quæ à nonnullis sancta Marcella fuisse dicitur, Christum non solùm pręedicasset, sed eius etiam matrem, & nutricē beatificasset, quòd talem, ac tantum virum portauerit, & aluerit, ipse tunc respondēs dixit: Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Quibus verbis non negauit matrem ob sui conceptum, & nutritionem esse beatam, sed mulieris sermonem cōfirmans, subiunxit potiorem beatitudinis rationem, quę nisi beatę Virgini cōpeteret, nihil ei partus Christi ad veram beatitudinem profuisset. Luc. 11.

D Ac proinde dixit: Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. quod perinde est, ac si diceret: Beata quidem est mater mea, fœlix est venter, qui me portauit: Sed multò quidem fœlicior, ac beatior dicenda est, quia verbum Dei audiuit, & audiendo credidit, & credendo custodiuit. Non negat Christus matris beatitudinem ex eo, quòd illa ipsum in ventre portauerit, & suis sanctissimis vberibus lactauerit: Sed cùm approbatione, & confirmatione dicti refert id, quod est certior, & potior beatitu-

dinis causa. Patet ergo ex his quomodo ab omnibus quatuor E
istis generationibus nostra Virgo beata fuerit prædicata.

Verum duabus istis prioribus sententijs relictis, ad Patres iam veniamus, & ex eorũ sentẽtia quid circa hoc habendum, ac tenendum sit videamus. D. Bonauentura loco à nobis supracitato, per istas generationes, omnes generationes, virorum & mulierum intelligit. Et D. Bernardus sermone 2. pentecostes ad Angelorum, & hominum generationes, eas videtur referre.

D. Bona.

D. Bern.

Verum communior opinio, eaque omnium Sanctorum dictis magis cõformis hæc est, quòd per istas generationes, Iudæorum, & gentilium generationes intelliguntur: idque etiam testantur F glossæ interlinearis, & Lyrensis super hunc locum, qui tamen non ita intelligendus est, quasi pro omnibus istis generationibus intelligantur omnia indiuidua omnium generationũ: sed genera omnium indiuiduorum. Quia quamuis non omnes hæbrei, & gentiles discurrendo per singulas gentium nationes, Virginem benedixerint: facile tamẽ est, quod ex hebræis, turcis, & alijs aliquod indiuiduum reperiatur, à quo Virgo benedicatur.

CAP. XIIII.

G

Maria verè, & propriè prophetissa fuit omnium prophetarum excellentissima: Ipsa Sancto dictante spiritu protulit omnia verba sui cantici.

Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Luc. 1.

PRAESENTIS Loci ratio postulat, vt de Mariæ prophetia nonnihil etiam hoc loco annectere curemus. Est enim sanctorum Patrum communis, & concors H sententia, Virginem beatissimam verè, & propriè fuisse prophetissam, atque adeo habuisse donum prophetiæ. Idque colligunt, non solùm ex his Mariæ verbis, sed ex omnibus alijs sui cantici, in quo Virgo prophetico repleta spiritu omnia locuta est Vnde D. Ambrosius super hunc locum dicere non dubitat, Virginem fuisse prophetissam: atque alijs prophetis pleniorem habuisse prophetiam. Quò maior, inquit Ambrosius, est persona eò

D. Ambr.

A na eò plenior est prophetia. Et Rupertus Abbas lib. 1. in cantica prophetissam prophetarum Mariam vocat: quia & prophetas do cuit, & de ipsa etiam omnes alij prophetæ prophetauerunt. Præterea D. Eusebius Emissenus homelia feriæ sextæ ante quartam Dominicam Aduentus super hæc ipsa Mariæ verba; Vera est, inquit, prophetia, quam veritatis mater de se ipsa prophetauit. D. Basilius etiam illa verba exponens, quæ habentur apud Isaiam, nempe, Accessi ad prophetissam, & in vtero concepit: de Maria Virgine ea interpretatur, dicens; Quod beata Maria prophetissa fuerit, ad quam proximè per Spiritus prænotionem accesserit B Isaias, nemo contradixerit, qui memor sit verborum Mariæ, quæ prophetico afflata spiritu locuta est. Hoc etiam modo illa ipsa verba exponunt D. Cyrillus, & multi alij, quorum loca solummo do citabimus, ne multi simus in referendis sanctorum Patrum sen tentijs, qui Mariam prophetissam fuisse affirmant. Hanc ergo sententiam de Mariæ prophetia amplectuntur D. Gregorius Nazianzenus oratione 42. q. 2. in pascha. D. Epiphanius hæresi 78. propè finem. D. Gregorius Nissenus lib. de testimonijs ex veteri testamento. Eusebius de demonstratione Euangelica lib. 7. ca. 6. D Hieronymus In Isaiam, D. Augustin. lib. 17. de ciuitate Dei. C cap. vltimo. Et Petrus Galatinus lib. 7. cap. 4. 5. & 12. Denique hanc eandem sententiam docent omnes tres glossæ, interlinearis, Lyrensis, & ordinaria. Estque hæc sententia adeo vera, & certa, vt obiter ex illa inferri possit, accepisse Virginem aliquo modo do num illud, & singulare spiritus sancti auxilium, quod scriptori sacro dari solet ad canonicam scribendam scripturam. Sicut enim scriptori canonico Spiritus sanctus dictat singula verba, ita beatissimæ Virgini dictauit omnia, quę in hoc suo suauissimo cantico protulit. Quæ omnia sicut ab ipsa prolata sunt, ita Lucas Euange lista ea scripsit: sic enim pertinebat tàm ad fidem historiæ, quàm D etiam ad reuerentiam, quę Virginis verbis debetur. Canticũ autem hoc canonica est scriptura, & vt tale accipitur ab vniuersa ecclesia. Vnde constat quod singula illius verba ab spiritu sancto di ctata fuerunt. ac proinde quòd Virgo illa proferendo habuit donum, & gratiam de qua loquimur. Verum hac de re hæc præsen ti loco dixisse sit satis, quia alia multa iam alibi dixisse meminimus, quibus Virginem beatissimam prophetissam fuisse ostendimus.

Rup. Abb. D. Euseb. Emiss. D. Basil. D. Cyril. D. Nazi. D. Epiph. D. Greg. Nissenus. Euseb. D. Hieron. D. Aug. Petrus Ga. Simile.

CAP.

CAP. XV.

Humilitas Mariam mundo celebrem fecit: Ipsius Mariæ nomen, & fama omnium Sanctorum nomen, & famam longe antecellit.

Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Luc. 1.

SI hæc Mariæ verba paulò altiùs à nobis consideretur, procul dubio reperiemus, quòd potissima ratio, ob quã Virgo ab omnibus tàm debita benedictione celebratur, hęc est: quia in suis oculis, ita Virgo parua fuit, & abiecta. In quo Virginis facto homines sanè nihil aliud docentur, nisi quod, si magni esse volunt, & ab omnibus in pretio haberi, debent humilitatis virtutem sectari, & de se nihil magnum reputare. Liquet enim Virginem nulla alia certiori via, ad tantam beatitudinem ascendisse, quàm humilitate. Id quòd non solum his verbis testatur Virgo de se ipsa, sed etiam mellifluus Pater D. Bernardus ingenuè profitetur: Maria quantò maior erat, humiliabat se, non modo ab omnibus, sed etiam prę omnibus: meritò facta est nouissima prima, quę cùm prima esset, omnium se se nouissimam faciebat: meritò facta est omnium Domina, quę se omnium exhibebat ancillam: meritò denique super Angelos exaltata est, quę infra viduas, & pœnitentes, & infra eam, de qua eiecta fuerunt septem dęmonia ineffabili se se mansuetudine inclinabat.

D. Bern. F G

Ecce quibus gradibus Maria ex sententia D. Bernardi ad tantam celsitudinem ascendit: ecce quibus medijs, vt omnium gentium ore benediceretur, assecuta est. Alij ex structuris, statuis, tropheis, libris, & alijs huiusmodi sibi, & alijs gloriam, ac nominis immortalitatem promittunt: Maria verò sibi, & illis, qui nominis immortalitatem appetunt, vnicam humilitatis viam demonstrauit. Ecce enim ex hoc, inquit, beatam me dicent omnes generationes. Ac si diceret: Ecce ò mundi superbi: Ecce ò arrogantes, & ambitiosi quantum mihi à Domino factum est, qui humilitatis causa mundo me celebrem fecit: Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Simile. H

Non

A Non ab vna tantùm, aut à duabus generationibus dicit Virgo se esse benedicendam: sed ab omnibus vsque in mundi finem generationibus. Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Ex quibus verbis perspicuum quidem fit viros iustos, & sanctos duo inter alia suis virtutibus maximè cõsequi. Vnum est quòd eorum memoria semper durat: iuxta illud: in memoria æterna erit iustus: Aliud est quòd semper laudatur eius memoria. Et ideò dicitur: Memoria iusti cùm laudibus. Et alibi: Dilectus à Deo, & hominibus cuius memoria in benedictione est. Non ita se habet peccatorum memoria, quia hæc aut subitò deperditur, & B putrescit: Vnde dicitur: perijt memoria eorum cùm sonitu, & alibi: nomen impiorum putrescet. Aut si conseruatur ideò est, vt maledicatur, ipsa scriptura sic attestante, ac dicente: derelinquet in maledictum memoriam illius. Psal. 111. Prou. 10. Eccle. 45. Psal. 9. Prou. 10.

Si igitur de duobus illis, quæ viros sanctos, & iustos suis virtutibus adipisci diximus, tractandum est, quis melius quàm Maria, duo illa assecutus est? Sed quomodo hæc duo assecuta Maria est? Non omnimodis virtutibus, quibus referta erat: sed humilitate vtrumque adepta est. Nam primum bene Virgo assecuta est, de qua dicitur memoria mea in generatione seculorum. Et quod C hanc memoriam in omnes seculorum generationes ex sola humilitate Virgo assequeretur bene nobis ostendunt, non solùm hæc Virginis verba: Ecce enim ex hoc: idest, ex humilitate (iuxta priorem sententiam in superioribus à nobis allatam) & propter humilitatem, beatam me dicent omnes generationes: sed etiam ea, quæ habentur apud sapientem, vbi sic dicitur: Preterea habebo per hãc (id est per humilitatem) immortalitatem, & memoriam æternam ijs, qui post me futuri sunt, relinquam. Licet enim hæc à sapiente de ipsa sapientia ad literam dicta sint: tamen per applicationem, & accõmodationẽ in Virginem transferri possunt eo modo, quo D Ecclesia ipsi Virgini sæpe accõmodat ea, quę de increata sapientia, ipso Dei Verbo, ad literam intelliguntur: sicut est illud: Ab initio, & ante secula creata sum: & multa alia, quæ cum de solo Dei verbo ab autore ecclesiastici dicuntur, tamen per applicationem, & accommodationem ad Virginem transferuntur. Eccle. 24. Sap. 8. Eccle. 24.

Patet ergo quomodo ex sola humilitate hoc Virgo fuerit assecuta quòd eius memoria in generationes generationum permansura sit. Temporis accessione opus, & ea, quæ ad corpus spectant inter-

interibunt, vestimenta absumentur, domus destruentur, aurum, E
atque argentum rubigine cōsumetur. Sed Mariæ nomen,& fama semper in eodem remanebūt vigore,& in omniū credentium ore viua perdurabunt, semper enim eius laudes credentes ipsi mirificè decantabūnt. Id,quod Maria ipsa prophetico repleta spiritu sic futurum esse, præuidens dixit: Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes: cùm enim dicit omnes generationes, simul cōprehendit,& totius orbis nationes,& succedentes sibi mutuò vsque in seculū futuras generationes, à quibus propter suam humilitatem tandiù Virgo prædicabitur, quandiu stabit hoc seculum, in quo generatio præterit, & generatio aduenit. F

Parum fuit Mariæ humilitatem, dum ipsa viueret,ab omnibus tantum laudari:sed opus erat,quod etiam post mortem,tantę virtutis memoria semper duraret. Nam bonum nomen, & fama non solum in vita, sed etiam post mortem sanctos, & iustos concomitatur. Tùnc enim suarum virtutum memoriam, tanquàm suauissimum odorem post se derelinquunt. Hinc est illud Iob: Dies mei
Iob. 9. pertransierunt,quasi naues poma portantes. Quia sicut naues po-
Simile. ma partantes flante vento,etiam post se suauissimum odorem relinquunt. Ita patientissimus Iob talem post se famam dereliquit, quod posteris ita grata videretur,sicut suauissimus pomorū odor G
odorantium naribus iocundus esse solet.

Si ergo Iob ita se habuit,quid de nostra virgine,aut dicendum,
Simile. aut existimandum erit? Nam nominis, & famæ Marię splendore non solùm vnius Iob, sed omnium sanctorum nomen,& fama ita obscuratur: sicut lumen lucernæ obscuratur,& offunditur luce solis. Vere multò differentius erit nomen,& fama Marię,quam omnium aliorum. Sicut enim odor ex omni genere florum prone-
Simile. niens gratior est omnium pomorum odore:ita Marię nomen, & fama gratiora sunt,nomine,& fama omniū aliorum sanctorum.

Sciebat suę odoratissimę famę, & nominis pręstantiam, quę H
Cant. 4. dicebat: surge Aquilo,& veni Auster persla hortū meum,& fluēt aromata illius. Sed vsque quò fluent ò dilectissima sponsa aromata horti tui? Vsquequo fluet odor nominis tui? Certè in generationes generationum: Quia generatio, & generatio laudabit non solum opera tua, sed etiam humilitatem tuam. Quemadmodum
Simile. enim vnguentum odoriferum flagrantiam suam in seipso occlusam non detinet, sed protinus illam emittit, & aerem suo odore replet:

A replet: ita etiam tu Virgo beatissima tuæ humilitatis odorem in te ipsa non continuisti, sed illum vsque in omnes generationes generationum sparsisti.

Et quid dico, in omnes generationes generationum sparsisti? Certè longius huius tui odoris suauitatem effudisti. Nam tua nardus (humilitatem tuam dico) cum esset Rex in accubitu suo dedit odorem suum. Et talem odorem quòd eo Rex ipse delectatus Cant. 1. mox descendit in vterum tuum. Ille enim qui olim in prima matre Eua malo superbiæ odore offensus, & propter hoc ab humano genere auersus fuerat, bono B odore, & nardo tuæ humilitatis delectatus, iterum ad humanum genus conuersus fuit, pro quo ipsi cùm patre, & Spiritu sancto sit gloria, & imperium per infinita seculorum secula. Amen.

FINIS LIBRI TERTII.



DE VER-



DE VERBIS DOMINAE

AD ELISABETH COGNATAM.

LIBRI QVARTI.

CAP. PRIMVM.

Magna à Deo Mariæ facta ex Patrum sententia qualia fuerint.

Quia fecit mihi magna, qui potens est. Luc. 1.



Ixerat in superioribus Virgo se ab omnibus generationibus forè benedicendam: & ideo nè quis existimaret, eam cùm hęc diceret, aliquem suorum meritorum habuisse respectum, protinus rationem subdit, quare beatam eam sint omnes prædicaturi. Quia fecit, inquit, mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen eius. Quasi dicat Virgo humillima: non propter aliquam meam virtutem existimo me ab omnibus prædicādam esse beatam: sed ex eo, quia fecit mihi magna, qui potens est. Talem esse istorum verborum sensum præter alios patres adnotasse inuentus est sapientissimus Theophylactus, qui in suis commentarijs in Lucam hæc ipsa verba explanans, sic dicit: Quare beatam me dicent? Non propter meam virtutem: Sed quia fecit mecum magnalia, qui potens est. His cōsonant ea, quæ apud D. Thomam in aurea cathena in Lucam habet Theophilus: Ostendit Virgo, inquit, non per suam virtutem, se beatam prædicandam: sed causam

G

H

Theophyl.

A sam assignat dicens: Quia fecit mihi magna, qui potens est. Neq; his sunt admodum dissimilia, quæ Homilia Feriæ sextę Quatuor Temporum ante quartam Dominicam Aduentus in hunc modum adducit Venerabilis Beda. Nihil igitur suis meritis tribuit, quæ totam magnitudinem, ad illius refert donum, qui essentialiter potens, & magnus existens fideles suos, dè paruis, atque infirmis fortes facere consueuit, & magnos. Theophi. Beda.

Quod vero attinet ad magna illa, quæ sibi à domino facta, non sine magna gratiarum actione Virgo testatur: quæ, & qualia illa sint, est nùnc ex Patrũ sententia declarandũ, inter quos supra citatus à nobis Theophilus, apud D. Thomã in Aurea Cathena super B hunc locum: Quæ tibi, inquit, magna fecit? Credo vt creatura ederes creatorẽ; famula Dñm generares: vt per te mundũ Deus redimeret: per te illuminaret: per te ad vitã reuocaret. His sunt valde similia, quæ affert D. Augustinus Serm. 35. de Sanctis, qui est secundus de ipsius Virginis assumptione, ibi enim postquã ex Virgine sic quærit. Quæ tibi magna fecit Domina? Quæ gloriosa Virgo, vt dici beata merearis? Sic respondet: Puto, immo veraciter credo, vt creatura ederes creatorem, famula Dñm generares. Et tractatu super magnificat: Magnum fuit, inquit, vt Virgo sine virili C semine filium conciperet: magnũ fuit, vt Dei Patris Verbum carne sua indutum vtero gestaret: magnum fuit, dùm se ancillã confessa esset: Vt mater fieret sui plasmatoris. Hæc eadem D. Augustini verba adducit Hugo Victorinus super Magnificat. Theophy. D. Aug. D. Aug. Hugo Victo.

Præterea D. Eusebius Emissenus, homilia illa feriæ 6. Quatuor Temporũ, ante quartã Dominicã Aduentus, sic ait: Verè vtiq; magna, & tàm magna, quã magna nulli alij & fecit, & facturus est. Ex ea carnẽ suscepit, & cœli terręq; Dominã, & reginã eam fecit: Et D. Bonauentura in suis Cõmentarijs in Lucã, per magna ista, D mysteriũ Incarnationis intelligit, quia incarnationis mysteriũ, sicut ille inquit, magnũ est, & imperscrutabile. Deniq; vt vtriusque Glossæ tam ordinarię, quàm lyrentis, istorum magnorum explicationem, etiam hoc loco adducamus. Illa sanè sic habet: Fecit mihi magna, qui in me carnem sumpsit, & me à peccatis mundauit, & dona Spiritus sancti mihi contulit. Huius vero talia sunt verba: fecit mihi magna in sanctificatione sed maxima in filij conceptione. Ex supradictorum Patrum sententia talia sunt magna, quæ à Deo nostræ Virgini facta perhibentur. D. Eusebius Emissenus. D. Bona.

Verum

Verum qualiacunque illa ſint, hoc vnum tamen veriſſimũ eſſe constat, quod ea, quę à Deo Virgini facta fuerunt, adeo magna extiterunt, vt vix credibilia eſſe poſſent, niſi autoris, & factoris eorum potentia cognoſceretur. Et ideo vbi ſapientiſſima Virgo dixit: Quia fecit mihi magna; ſolerter ſtatim adiecit: qui potens eſt: Quaſi diceret licet ea, quæ mihi Dominus fecit magna ſint, impoſſibilia tamen non ſunt ei, à quo facta ſunt, quia potens eſt. Et ideo fecit mihi magna, quia potens eſt: & ſingulariter magna, quia ſingulariter potens. E

Vbi etiam ex Hugone Victorino eſt diligenter adnotandum, quod propterea Virgo non ait: hoc vel hoc poteſt: ſed potens, inquit, eſt. Vt omnipotentem intelligas, qui abſolutè potens dicitur, quia omnia poteſt. Potentem ergo Virgo confeſſa eſt, neque amplius dixit, quia credi poteſt eius potentia quia eſt, ſed quanta ſit, aut qualis, comprehendi non poteſt. Idcirco ſolum confeſſa eſt, potentiam diſcutere non præſumpſit, quia ſciri nõ poteſt, quanta eſt, de qua veriſſimè ſcitur, quia immenſa eſt. F

CAP. II.

Nomen Dei, quod Sanctum Virgo teſtatur, in quanam ſignificatione hoc loco prolatum intelligatur. G

Et Sanctum nomen eius. Luc. 1.



X Sanctorum Patrum ſententijs ſuperiori capite oſtendimus, qualia fuerunt magna à Deo Marię facta; Nunc reliquum eſt, vt videamus, quomodo intelligatur hoc, quod Virgo dicit: Et Sanctum nomen eius. Pro faciliori ergo huius rei intelligentia aduertendum eſt, quod hoc, quod Virgo addidit: Et ſanctum nomen eius: ita à nonnullis cùm ſuperioribus conſtruitur, vt ſit ſenſus. Qui potens eſt fecit mihi magna, & ſanctum nomen eius fecit mihi magna. Sed melius hæc verba ſic intelliguntur. Et ſanctum eſt nomen eius: ſicut dicitur in pſalmo: Sanctum, & terribile nomen eius: ſcilicet, eſt. H

Pro planiori autem iſtorum verborum intelligentia ad notari debet:

A debet: quòd nomen Dei in scripturis sanctis frequenter accipitur pro ipsò Deo. Et in hac significatione illud intelligitur, quod dicitur Iudith, 9. c. Dominus nomen est tibi, & illud: Dñs conterens bella, Dominus nomen est illi. Et illud psalmi: Iter facite ei, qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi. Et illud: Cognoscant quia nomen tibi Dominus: Et illud Isaiæ: Ego Dñs, hoc est nomen meũ. Deniq; ne multi simus, in hac significatione multa alia accipiuntur, quæ in scripturis sanctis passim reperiuntur. Iudit. 9. Iudit. 16. Psal. 67. Psal. 82.

Et hinc est, quod dicimus nomen Dei admirabile, gloriosum, bonũ, iustum, & sanctũ: quia Deus admirabilis est, gloriosus, bonus, iustus, & sanctus. Sicut enim nomẽ alicuius dicitur esse amabile, & gratum, aut odiosum, & ingratum, quia talis est, qui nomine illo designatur. ita etiam, quæ Deo cõueniunt, nomini eius tribuuntur, eo quod audita quauis Dei appellatione concipiamus, huiusmodi proprietates Deo conuenientes. Audito enim Dei nomine, mox cogitamus rem aliquam sanctissimam, iustissimam, optimam, & potentissimam. B Simile.

Præterea multis alijs significationibus, hoc loco omissis, nomẽ Dei accipitur pro eius fama. Et hoc modo intelligitur illud Isaiç: Nomen tuum, & memoriale tuo in desiderio animæ. Et illud Ezechielis: Et feci propter nomen meũ nè violaretur corãm gẽtibus. Et alia ferè innumera, quæ in sacra scriptura sæpissime reperiuntur. Et in hoc sensu præter multos alios, exponit hunc locum Hugo Victorinus, qui loco à nobis citato: Quid est, inquit, nomen eius? fama eius. Nomen eius cognitio eius: fides, nomen eius. Isa. 26. Ezec. 20. C Hug. Vict.

In quacunque ergo exiftis duabus significationibus, Dei nomẽ hoc loco accipiatur, benè à nostra Virgine sanctum prædicatur. Si enim de illo agendum est, prout significat ipsum Deum: Quid sanctius, aut purius dici potest, ipso Deo, cuius sanctitatem, ac puritatem Virgo bene nobis significauit, cùm dixit: Et sanctũ nomẽ Deius? Nam hebraica dictio, latinè sancto correspondens Cados dicitur, quod illud propriè significat, quod propter suã puritatẽ prorsus separatũ est ab omnibus rebus profanis, & immunditiam aliquam habentibus. Vnde cùm Soli Deo perfecta cõueniat sanctitas & puritas solus ipse ob suam puritatem ab omni prorsus vitio, ac labe liberã, Cados dicitur, quod latinè sanctus interpretatur. D

Sed quid si nomen Dei in secũda significatione accipiatur pro eius fama? Etiam tunc Dñica fama sub his verbis: Et sanctũ no-

men eius: bene à Virgine prædicatur. Dum enim Verbum in carne mirabiliter nascitur, gloria, & fama Dei, per ipsum Verbũ recte hominibus declaratur. Pater, inquit ipsum Verbum, manifestaui nomen tuũ hominibus. Vnde Virgo, vt huius dñicæ famæ dignitatem, & gloriam extollat, dicit: Et sanctum nomen eius. Sed ad alia transeamus. E

CAP. III.

Deus magna Mariæ fecit, eam ab æterno ante omnes creaturas praeligendo, proprio ore in tempore laudando, & multis in rebus, & personis, eam præfigurando. F

Quia fecit mihi magna, qui potens est. Luc. 1.

Simile. Vperioribus duobus capitibus illa adduximus, quæ pro faciliori huius versiculi intelligentia facere videbantur: nunc restat vt ad alia tractãda procedamus. Sicut enim musico vbi Lyrã adaptauerit, & grauia acutis, & extremis media ex arte sua coniunxerit, nihil aliud restat, nisi vt sonũ efficiat. Ita nobis, qui huius versiculi verba explicauimus, nihil reliquum est, nisi vt pro modulo nostro, super illis aliquid dicamus. G

Inter illa vero, quæ à nobis dicentur, illud primũ locum obtinebit, quod attinet ad magna, quæ sibi à Deo facta Maria ingenuè confessa est, tanquam illa, quæ erga se, ipsum Deum liberalissimũ largitorem semper experta est. Id, quod nos etiam vel ex eo facile assequemur, si consideremus quomodo ipsa Virgo, nõ dicam, iam inde à mundi principio, sed ante omnia sæcula, ab ipso Altissimo in sua æternitate electa, & præelecta fuerit ante omnes creaturas, Eccl. 24. ante quas, Maria ipsa ex ipsius Altissimi ore primogenita prodiuit, secundum illud; Ego ex ore Altissimi prodiui, primogenita ante omnẽ creaturam. Id, quod nequaquã intelligitur de exteriori H Virginis in esse productione, quia secundum hanc non ante omnes creaturas, sed post plurimas iam in sexto mundi millenario, in principio vltimæ mũdi ætatis, à matre Anna, & patre Ioachim genita est: sed de æterna electione, & præelectione, secundum quam ante omnes creaturas primogenita dicitur.

Neque his obstat, quod cæteræ etiam creaturæ ab æterno ordinatæ sint. Quia licet ab æterno ordinatæ sint secundum ordinem tempo-

A temporis, vel durationis: tamen non sunt simul ordinatæ secundum ordinem perfectionis, secundum quem sola Virgo statim post Christi humanitaté, prius ordinata fuit, & electa, quàm omnes creaturæ, quibus dignior Virgo, ab æterno in matrem vnigeniti filij Dei electa, & prælecta fuit. Vnde meritò de Maria dicitur: In omni populo, & in omni gente primatum habui, & omnium excellentium, & humilium colla calcaui. Eccl. 24.

Habemus itaque, quòd secundum hanc prioritatem, ab æterno Maria electa est, antequam terra, & quælibet creatura fieret, quia super omnes ad supremum creaturæ statum, nempe filij Dei maB ternitatem, ab ipso Deo electa erat. O beneficium verè magnum iam tunc à Deo Mariæ factum, ipsique multis postea modis, & rationibus auctum. Nam Deus ipse, qui ab æterno Virginē sic elegerat, & prælegerat, vbi primum mundum creauit (quem propter ipsam, & eius filium, creatum asseuerant nonnulli etiam hebrçorum Rabbini apud Petrum Galatinum lib. 7. cap. 2.) statim huius Virginis laudem, & contra venenatum serpentem virtutem prędicauit. Vnde dicere possumus, quòd sicut de Christo dictū est à propheta: In capite libri scriptum est de me. ita etiam de beata virgine in ipso sacrę scripturę initio dictum est: Inimicitias po C nam inter te, & mulierem, ipsa cōteret caput tuum. His enim verbis Deum ipsum, Mariam iam tunc prędixisse, communis est antiquorum Patrum sententia. Pet. Galat. Psal. 39. Genes. 3.

Vbi ergo ab ipso Deo Maria iam tunc, sic commendata fuit: quid mirum si postea tantis laudibus, ab ipsis Patriarchis, & prophetis fuerit celebrata? Et quid dico de Patriarchis, & prophetis? Nonne inueniuntur in scriptura veteri ipsius Virginis proprietates, & perfectiones in tantis, tamq́ue varijs personis, & rebus præfiguratæ, quantas hoc loco recensere longum esset? Nonne totus ille Canticorum liber (vt alios interim omittamus) Mariæ laudi D bus plenus est? Est etenim, siquidem non solum per accommodationem, sed etiam in sensu aliquo ab Spiritu sancto intento Mariā præcinit, sicut intelligunt omnes ferè Patres, qui illum interpretantur, & præsertim D. Bernardus, & Rupertus. Ex quibus omnibus (sicut credo) rectè colligitur, quàm meritò nostra Virgo à nonnullis ex Patribus, Vaticinium prophetarum vocetur: ab alijs vero diuinorum oraculorum summa appelletur. Quasi diuina oracula, & prophetarum eò præcipuè tenderent, vt post filium Ma- D. Bern. Rup. Ab.

riam præcipuè anuuntiarent. Quis hæc magna, & valde magna, & talia magna esse non dicat, qualia sub his verbis iure optimo à Maria prædicantur: Quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen eius. E

CAP. IIII.

Mariæ magna à Deo facta sunt, ex matre sterili eam creando, & Mariæ nomen illi imponendo.

F

Quia fecit mihi magna, qui potens est. Luc. 1.

VEre Virgo magna sunt, ea, quæ (sicut superiori capite recensuimus) tibi à Deo facta sunt: Sed non sola, quæ Dominus contulit in te. Quia qui fecit tibi magna ab æterno præeligendo te, & in tempore laudando, & præfigurando te, antequam crearet te: ipse etiam fecit tibi magna cùm iam vellet creare te. Vbi enim perfici, atque exhiberi mundo debuit ingens illud, mysterium, tunc misit Angelum suum, qui patri tuo Ioachimo nuntiaret, nascituram sibi ex se, & G Anna matre tua, filiam Mariam nominandam, & à pueritia vsq; ipsi Deo dicandam. Nihil hic Virgo vacat mysterio, & magno mysterio. Nam quòd ex tali patre, & ex tali matre Ioachimo videlicet, & Anna nascaris quid aliud fuit, quàm apertissimis indicijs Deum voluisse ostendere, se iam velle, & misericordiam erga mundum suscitare, & gratiam in ipso cõfirmare? Cum enim Anna gratiam, siue misericordiam: Ioachim vero significet Dominus firmabit, siue suscitabit, apertissimè indicatum fuit, parentes tuos fuisse genituros, te filiam suam, per quam Deus & misericordiam suscitaret, & gratiam confirmaret. H

An non magna Virgo sunt hæc? Verè magna, & tantũ magna, quãtum etiam magnum fuit, quòd tu Maria vocareris, & quòd à matre sterili nascereris. Hoc nãq; sine miraculo, & supernaturali virtute perfectũ nõ est. Nõnè miraculi, & nõ qualiscunq; miraculi, sed maximi miraculi vim obtinet, ꝙ mater tua Anna, multis annis cũ viro infecunda pmanẽs, de cuius cõceptu, & partu, spes nulla reliqua videbatur, tandẽ optatæ ꝓlis gratiã diuinitus impetrat?

Quid

A Quid nisi miraculi gerit imaginem, quod mirabilis tua conceptio desperantibus omnibus per Angelum è cœlo missum tuis parentibus prænunciatur? Sed hoc non mirum, quia decuit, vt ad summum miraculum, per miraculum via sterneretur: & vt in te Dei matre fabricanda, quæ digna, Deumq; decens domicilium extitis, gratia naturam iuuaret, & vt parentes tui ex quorum senilibus membris, & longè à naturę feruore alienis, tanquàm quidam diuinitus datus fructus producta es, ad talem, tantumque fructũ percipiendum, desiderijs se se, orationibusque prępararent.

Iam vero de tuo Virgo nomine, & tali nomine quid dicam?

B Siue enim interpretatum dicatur, Deus ex genere meo, vt quidam ex tuis familiaribus dicit: Siue stella maris, quę est magis propria significatio tui nominis: in vtroque tamen magna continentur inclusa, quę tibi Dominus fecit, qui potens est, & sanctum nomen eius.

Nam si interpretatum dicatur, Deus ex genere meo, sicut ille tuus familiaris dicit. Quid maius, quàm in tuo nomine Virgo demonstrari, quòd Deus Dei filius, par, atque eadem de Patre, & cũ Patre substantia, vniuersitatis creator, & Dominus, totus vbique pręsens, & vniuersą excedens, in ordine temporum, quę ipsius di-

C spositione decurrunt, diem esset electurus, quo in salutem mundi ex te esset nasciturus?

Si vero de hoc tuo Virgo nomine, nobis agendum est, quatenus interpretatum maris stella dicitur: Quid conuenientius, quã quod Virgini tale nomen imponatur, quę propter alia multa magna, quę sibi fecit, qui potens est, stellę, & syderi aptissime comparatur? Nam sicut sine sui corruptione sydus suum emittit radium: Simile. sic tu absque vlla lęsione virgo parturisti filium: Neque syderi radius suam minuit claritatem, nec tibi filius tuam abstulit integritatem. Neque propter hoc solùm Virgo, Maria, siue stella ma-

D ris nominaris: sed etiam propter hoc: quia tu es nobilis illa stella Iacob, cuius radius vniuersum orbem illuminat: cuius splendor, & pręfulget in supernis, & inferos penetrat, & terras lustrat calefaciens magis mentes, quàm corpora. Tu, inquam, es pręclara, & eximia illa stella, quę super hoc mare magnũ, & spatiosum, ideo es subleuata micans meritis, & illustrans exemplis, vt omnes, qui se intelligunt in huius sęculi profluuio magis inter procellas, & tempestates fluctuare, quàm per terram ambulare non auertant

Virgo oculos à fulgore tuo, si non volunt obrui procellis. Quia E
siue insurgant venti tentationum: siue incurrantur scopuli tribulationum, solùm sufficit te maris stellam respicere, quam qui sequitur, non deuiat, qui rogat, non desperat, & qui cogitat, non errat.

CAP. V.

Deo de Maria tanta cura fuit, vt eam domi suæ asseruaret, & cœlesti cibo sustentaret.

F

Quia fecit mihi magna, qui potens est. Luc. 1.

ENVMERARI Possent, inter magna à Deo Virgini facta, illa omnia, quæ in sanctissima ipsius Virginis conceptione euenerunt, in qua ab originali peccato Virgo fuit præseruata, & in gratia cõfirmata. Verum quia hac de re iam alibi à nobis dictum est, non est cur hoc loco in ea diutius immoremur. Prætermittentes igitur magna, illa, quæ in eius conceptione Deus Mariç fecit, ad illa solum explicanda transfe-
And. Cret. mur, quæ post Virginis ortum (quem cum Andrea Cretensi sermone de dormitione Deiparę plenum miraculo extitisse fatemur, G
nimirum vt medijs, & extremis inusitata quoque primordia responderent) ipsi à Deo facta dignoscuntur. Postquam enim puel
Nicepho. la è maternis prodijt locis (Nicephori verbis vtor ex lib. 1. c. 7.) & à lacte materno iam abhorruit, mammamque attingere noluit, promissionem mater adimplet, & in templum ascendens iuxta votum, eam Deo consecrat, tertium iam tunc ætatis agentem annũ. Suscepere Sacerdotes infantem, quæ nõ parentum modò, sed sua etiam voluntate, & ardenti pectore, iam inde à primis annis diuino cultui consecratur. Susceperunt, inquam, infantem tanquàm H
sanctius quoddam donarium, eamque in sacrario fouendam esse
1. Reg. 2. duxere ad antiqui illius Samuelis similitudinem.

Itaque Maria sicut res diuina, intacta, & sacrosancta, in templi sanctiori loco, & aditis ipsis viuebat, Deo sic disponente, & ordinante, ad templumque puellam teneram transferente, non quia timeret, quod malitia mutaret intellectum eius, aut fictio decipe-
Sap. 4. ret animam illius. Quomodo enim Deus in Virgine hoc timeret,

quam

A quam in prima sanctificatione in bono ita confirmauerat, tamúque gratiæ donum, & tàm singulare auxilium illi concesserat, vt neque leuissimam quidem culpam committere posset, licet inter omnes mundi peccatores viueret? Nobis qui, teste Apostolo habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, opus est, si nolumus vt disruptis vasis thesaurus noster perdatur, vt de sæculo ad templũ hoc est de mundo ad religionem transferamur, vbi thesaurus iste conseruetur. Quia sicut vas vitreum in suo proprio tegumento reconditum facile conseruatur, & extra illud valde periclitatur. Ita nos extra religionem valde periclitamur, & in illa si tales esse B volumus, quales esse debemus, facile conseruamur. 2. Cor 4. Simile.

Non hoc sic erat in Maria, quia licet ipsa etiam haberet thesaurum suum in vase fictili, hoc est in corpore terreno, & fragili: tamen vas illud quando in suæ matris vtero, à diuino figulo fuit effformatum, sic diuina gratia fuit contemperatum, vt frangi minime posset. Vnde non ideo in templo Maria fuit recondita, quia Deus timeret, vt per aliquam nec minimam quidem culpam vas istud disrumperetur: sed vt ostenderet, tùm sanctiori Virgini nullum alium, quàm sanctiorem terræ locum conuenire: tùm etiam quanta de Maria illi cura esset, quam non alibi quàm domi suæ C asseruandam, & à teneris vsque annis educandam iudicaret.

In hac Dei domo Maria (teste beatissimo Euodio primo Antiochenæ ecclesiæ post Apostolum Petrum Episcopo apud Nicephorum lib. 1. ecclesiasticæ historię cap. 3.) vndecim annos tradu xit, tantaque cùm laude toto hoc tempore vixit, ac suam infantiã in exercitijs sacris expendit, vt ipsa quàm virgines cæteræ præstantioris, ac purioris vitæ specimen ederet. Nam virgines reliquæ (teste Cedreno in compendio historiarum) populo dimisso domum suam redibant: Maria vero in templo permanebat, & si D qua re opus habebat, ad solam Elisabeth cognatam ibat, quæ erat templo vicina. Hoc vero Mariam frequenter fecisse minime crediderim, quia propter singularem curam, quam Deus de Virgine habebat eam paucis indiguisse puto. D. Euod. Nicepho. Cedre.

Namque sicut concors est, eaque verissima sanctorum Patrum sententia, Virgo in templo singulari Spiritus sancti prouidentia fuit educata. Si enim singulari Dei cura Sanson, Samuel, & Domini præcursor, & Baptista Ioannes, ideo enutriti sunt, quia ad maxima munera ab ipso Deo electi sunt, quomodo non singula-

rissima cura Maria educaretur; quæ ad multò maiora, ac digniora munera præparabatur? Vere erga Mariam tàm sedulum Deus se curatorem exhibuit, vt non communi, sed cœlesti eam cibo sustentaret. Huic rei maxime consonant D. Hieronymus, (& refertur à D. Bonauentura lib Meditationum vitę Christi cap. 3.) Gregorius Nicomediensis lib. de oblatione Virginis in templo, Cedrenus in compendio historiarum, & alij grauissimi autores, qui omnes affirmant, Mariam toto illo tempore, quo in templo fuit versata mynisterio angelorum cibum accepisse. E

D. Hiero. D. Bona. Greg. Nic. Cedre.

Neque hoc in Virgine est creditu difficile, vbi simile priuilegium concessum legimus multis ex Eremitis, & præsertim Paulo eorum primo. Vnde mirum sane non est, si hoc Virgini concessum fuerit, eo præsertim tempore, quo tàm ardenti desiderio vitā contemplatiuam profitebatur, vt neque minimum quidem de illius cura remitteret, vt corpori necessaria curaret, quę propter hāc causam Deus Angelorum ministerio illi suppeditabat. O beneficium vere magnum, & non solum magnum, sed etiam dignum, quod inter illa enumeretur, quæ sub his verbis Virgo tātùm exaggerat, & amplificat, & amplificando, atque exaggerando dicit: Quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctam nomen eius. F G

CAP. VI.

Mariæ adhuc in templo viuenti Deus manifestauit, illam esse suum filium parituram. Ipsa vsque ad filij sui ascensionem, rem istam secretam retinuit.

Quia fecit mihi magna, qui potens est. Luc. 1.



PRAETER ea, quæ superius recensuimus, sunt etiam alia magna, quæ ex veterum narratione Mariæ, cum adhuc in templo illa esset, facta intelligimus. Inter ea verò non infimum sane locum obtinet, reuelatio illa, quę Virgini ibidem commoranti facta fuit: Cum enim ad ætatis suæ duodecimū, & post ipsius præsentationem in templo, nonum annum Virgo sacra peruenisset, & media nocte orationi, cuius semper studiosissima fuit, operam dedisset, hanc vocem (teste Cedreno in compendio historiarum, si tamen ille hac in re fidelis H

delis

A delis testis habendus est, & Angelicę annuntiationi non repugnans, in qua Virginis turbatio, eiusque cogitatio. & interrogatio plane indicant, ipsam Virginem antea prorsus fuisse tanti mysterij ignaram, quod tunc per Angelum didicit, sicut omnes Patres intelligunt) diuinitus ad se delatã audiuit, nẽpe: Paries filiũ meũ. Quę verba Virgo audiens tàm diligẽti cura ea, in cordis sui secreto seruauit, vt ipse asserat Cedrenus, ꝙ ante Christi ad cœlos ascẽsum nemo huius reuelationis quidquàm ex Virgine intellexit, quę iam tunc omnia, quę de nasci turo ex se filio audiebat, cõseruabat, vt ea post Christi natiuitatem conferret in corde suo: tunc enim Cedre.

B Virgo non solum id, quod hac sua reuelatione perceperat; sed etiã quidquid ei Angelus attulerat, & à pastoribus audierat mente sua congerens, & ad inuicem comparans, hanc vnam ex omnibus, & in omnibus eliciebat, & cernebat concordiam, nempe, quòd vere Deus erat, qui natus erat ex ea.

Itaque virgo de nascituro ex se Dei filio, per istam reuelationẽ (si tamen illa vera est) edocta nihil ore promit, sed totũ clauso in corde custodit. Adeo enim erat ad loquendũ tarda, & ad audiendum velox, adeo modesta, & adeo verecunda. Neq; hoc quisquã miretur, si hanc vocẽ: Paries filiũ meum t Virgo audiens adeo ta-

C cet: si quidem postea tanta de eodẽ filio non solũ audiens, sed vidẽs, neq; ob id tñ quodcunq; de illis verbũ fecisse reperitur. Vnde meritò ipsius Virginis modestiam, & in loquendo tarditatẽ laudans mellifluus Pater D. Bernardus sermone de verbis Apocalypsis sic inquit: Totiens Maria filiũ audiuit non modo turbis loquẽtem in parabolis: sed etiã discipulis seorsum Regni Dei mysteria reuelantem: vidit miracula facientem, vidit deinde in cruce pendentem, vidit expirantem: vidit resurgentẽ: vidit & ascendentem: Sed in his oĩbus quotiens verecundissimę virginis: quotiens pudicissimę turturis vox memoratur audita? Sic D. Bernardus: sic D. Bern.

D virginis taciturnitatẽ exaggerat, vt nos etiam hanc in nostra virgine virtutẽ ęmulemur. Si enim Mariã diligimus, si ei placere studemus, eius modestiã ęmulari debemus. Nihil.n tàm idoneũ homini, nihil tã cõgruũ Christiano, maximęq; monachũ nihil adeo decet. Sed vę, & iterũ vę. Sed cui vę? Nobis sane vę, qui (eod. mellifluo patre teste) spiritũ habemus in naribus: vę qui totũ proferimus spiritũ, & iuxta illud comici, pleni rimarũ effluimus vndiq;.

Operiamus ergo rimas nostras, custodiamus os, & linguã nostram: quia qui custodit os suum, & linguam suam custodit ab Prou. 13.

angu-

angustijs animam suam. Et si sufficientes non sumus hoc pręstare ex nobis, quasi ex nobis sufficientiam nostram ex solo Deo esse cognoscentes, ad ipsum cùm propheta ex toto corde clamantes dicamus: Pone Dñe custodiam ori meo, & ostium circunstantię labijs meis. Quibus verbis propheta regius, non hoc à Deo expetit, vt omnem sibi loquendi facultatem adimat: sed vt sibi concedat, vt non nisi debito, atque opportuno tempore loquatur. Id, quod ipse propheta bene significauit, siquidem, in hac sua petitione ostium, & non murum nominauit. Si enim in ista petitione à propheta murus poneretur: hoc ipse à Deo postulare velle videretur: nempe, vt loquendi facultas sibi omnino negaretur. Et ideo cum nõ hoc vellet, sed vt suo tempore, & loco loqui posset: Pone, inquit, Domine custodiam ori meo, & ostium circũstantię labijs meis. Quasi diceret: hoc vnum Domine mihi pręsta, non vt mutus omnino sim, sed vt quemadmodum ostium suo tempore clauditur, & suo etiam tempore aperitur: ita ego os meum, & labia mea suo tempore claudere, & suo tempore valeam aperire. E F

Psal. 140.

Simile.

Sed quando, inquies, cum propheta, ostium oris nostri suo tempore claudere, & suo tempore valebimus aperire? tunc sanè quando illud omni scurrilitati, detractioni, & aliis huiusmodi claudere: & Dei laudationi, & magnificationi cùm nostra virgine nouerimus aperire. quia fecit, inquit virgo nostra, mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen eius. Ecce ad quid virgo modestissima sanctissimi sui oris ostium nouit aperire, ad Dei magnificationem, ipsiusque pro tantis sibi pręstitis beneficiis exaltationem. verum his omissis ad alia gradum faciamus. G

CAP. VII.

Egressa è templo Virgo singulari Dei dono Ioseph virgini Commendatur, quod licet magnum bonum, Mariæ fuerit: multò maius tamen fuit Ioseph Mariæ iungi, propter magna beneficia, quæ inde assecutus est. H

Quia fecit mihi magna, qui potens est. Luc. 1.

DEi beneficia, quibus ipse Mariã auxit, quãdiu in tẽplo ipsa vixit, superius vtcunq; recẽsuimus: nunc ea cõsequẽter recẽsenda veniũt, quibus egrediẽs è tẽplo virgo, ab ipso Deo exornata reperitur. Postq̃ enim Maria adoleuit, & ad annum xv. peruenit, consi-

A consilium sacerdotes cogitare cęperunt, quid de ea statuerent, nè in sacrum eius corpus, admittere quicquam viderētur. Namq; ex vna parte sacrilegium prorsus se cōmissuros putabant, si viro eam coniungerēt, atque in seruitutem coniugalis legis illam redigerēt, quæ semel Deo dicata esset. Ex altera vero puellam eo ætatis flore, in sacratiori Templo versari, nec permissum lege putabāt, nec rem satis decoram, & honestā esse videbant. Sępe itaque, & multum re ipsa deliberata, diuinitus eis per inspirationem ostenditur, vt eam, quæ (teste Cedreno in Compendio historiarum) vndecim annos nata parentes suos amiserat, alicui sponsæ nomine cōmitterent: cui rei non alius, quam Ioseph visus est esse magis idoneus, qui licet esset opificio faber, tamen in Spōsum Virginis deligitur, tùm quia erat ipsius Virginis cōtribulis, & ex stirpe Dauid oriundus, id, quod ad contrahendas cùm Maria Nuptias omnino requirebatur: si quidem neque ad pecuniam, neque ad honores respicere: sed ad genus per antiquam lineam ductum, atque probatum, in contrahendis nuptijs penes iudæos fuisse consuetudinem testatur Iosephus lib. 1. contra Apionem: tùm etiam quia cum virgo, Maria esset, nulli melius Marianæ virginitatis custodia demandari poterat, quàm Iosepho. Cedre. B Ioseph.

C Huius ergo viri, & tāti viri custodię Marię intemerata cōmittitur virginitas. Quomodo enim huic homini virgini, & tali homini Deus Virginem, ex qua carnem suscepturus erat, in eo ætatis flore non tradidisset? Quomodo, inquam, hoc nō fecisset, si factus iam homo, & ex hoc mūdo migraturus ad Patrem, eandem Virginem iam senescentem, non nisi Virgini Ioanni cōmendauit? Ioanni, dico, cui eo tempore Virgo ideo fuit cōmendata, quia iam tunc (sicut probabilior tenet sententia) ipsius Virginis sponsus Ioseph mortuus erat. Nam si adhuc superesset fidissimus, ac probatissimus Marianæ virginitatis custos Ioseph, haud dubium, quin D illi, & non Ioanni Virgo ita fuisset cōmendata, sicut antea fuerat, quandò ipsi Iosepho singulari Dei dono fuit desponsata. O donum, o beneficium vere magnum, & certe dignum, quod inter illa enumeretur, quæ Maria ipsa sibi à Deo collata plenissimo ore, in hūc modū profitetur: Quia fecit mihi magna, qui potēs est.

Magnum fuit (fateor, & ingenuè fateor) Mariæ, Ioseph despon sari: sed maius proculdubio fuit ipsi Iosepho, in tantę Virginis sponsum à Deo deputari. Magnum Mariæ, quòd tali sponso iungitur:

gitur: sed maius Iosepho, quòd tali sponsæ coniungitur. Namque E
si de beneficio Mariæ facto, dùm Iosepho sponso iungitur, nobis agendum est: quis hoc magnum, & valde magnum fuisse non fateatur, vbi tùnc nemo in toto terrarum orbe inuentus esset, qui aut tanto honore dignior, aut tãto muneri aptior haberi posset, quàm Ioseph? Ioseph, inquam, qui si generis nobilitatem spectes, ex nobiliori, ac illustriori stirpe descendebat, quam omnes, qui tùnc in mundo essent. Cùm enim generis nobilitas, & sanguinis claritas, nihil aliud sit, quã quædã longa descendentia, quæ trahitur ab hominibus, qui non solùm generis nobilitate, sed virtutum quoque splendore clari extiterunt quis, putas, hanc generis nobilitatẽ melius habuit, quam Ioseph, qui si eius genus velis considerare, non nisi ex Patriarchis, Regibus, Ducibusque descendebat? Lege (si placet) Christi Redemptoris nostri genealogiam ab Euangelista Mattheo descriptam, & in ipso Iesepho terminatam, & prorsus inuenies, quòd ex quadraginta duabus generationibus, quę ibi enumerantur primæ quatuordecim Patriarcharum, aliç quatuordecim Regũ, & totidem aliç strenuissimorum Ducum extiterũt. Et quod magis est, Patriarchæ Deo valde familiares, Reges ab ipso Deo consecrati, & Duces ob summam fortitudinem, quam habuerunt, Dominicæ religionis veri amatores fuerunt. G

Matt. 1.

His adde maiorem aliam, ac veriorem, non generis: sed animi nobilitatem, quã Ioseph ipse habuit statim in vtero matris suæ, in quo (si Gersoni credendum est) ipse Ioseph sanctificatus fuit. Nã ex huius autoris sententia sermone de Natiuitate Virginis, sicut Maria, de qua natus est Iesus fuit in vtero sanctificata, ita de Iosepho virginali viro suo pia credulitate credi potest, quamuis non omnino similiter. Nam Ioseph post originale peccatum sanctificatus est, sicut D. Ioannes Baptista & alij plurimi: Maria vero nõ ita. Huic priuilegio aliud quoque eodem loco addere, non dubitat idem autor Gerson dicens, quod sicut Maria habuit repressionem fomitis originalis, nè in vitiosam exardesceret concupiscentiam; sic de Ioseph virginali sponso suo intelligi pie potest, præsertim dùm matrimonialiter eidem virgini coniunctus est. H

Gerson.

Verum quia incertum omnino est, vtrum hæc vera sint, ideo illis omissis hoc vnum pro certo asseuerare audebimus, quod ipse Ioseph tàm vera animi nobilitate sic emituit: vt etiam ante matrimonium cum Virgine contractum iam esset vir iustus, & perfectus

A fectus, ſicut conſtat tùm ex illo verbo Matthei: Ioſeph autem vir eius cùm eſſet vir iuſtus: tùm etiam ex eo, quia vſque ad illud tempus integram ſeruauit virginitatem, & caſtitatem, quam poſtea ſimul cum Virgine Deo conſecrauit tùm denique quia ſicut hiſtoriæ referunt, propter ſummam ſanctitatis opinionem idoneus iudicatus eſt, cui beata Virgo committeretur. Ex quo ſolum facto optimè conijci, ac iudicari poteſt quiſnã fuerit Ioſeph, & quantũ Deus de illo confidebat. Sicut enim ſi Rex, & Princeps fidei alicuius ſui familiaris filium, theſauros, & Regni arces tradat, hoc magnæ confidentiæ, atq; amoris ſignum eſt: Ita in Deo vehementiſſimi amoris erga Ioſephum ſignum fuit, Deum ipſum, eius fidei non ſolum cõmiſiſſe inexpugnabilem arcem Mariam Virginem beatiſſimam. Sed etiam vnigenitum filium ſuum, quando de cęlo in terram veniens, de Spiritu ſancto ex ipſa Maria Virgine incarnatus, & natus eſt. Vnde non immerito illi accõmodari poteſt id, quod de alio Ioſepho ſcriptum eſt: Conſtituit eum dominum domus ſuæ, & Principem omnis poſſeſſionis ſuæ. Mat. 1. Simile. B

Ex his omnibus planiſſimè quoque intelligitur, quàm meritò D. Pater Bernardus ipſum Ioſeph laudibus extollens homilia 2. ſuper, miſſus eſt, ſic dicat: Non eſt dubium, quin bonus, & fidelis homo fuerit iſte Ioſeph cui mater deſponſata eſt Saluatoris. Fidelis, inquam, ſeruus, & prudens, quem Dominus ſuæ matris ſolatium, ſuæ carnis nutritium, ſolum denique in terris magni conſilij coadiutorem fideliſſimum. Huc etiam illud ſpectat, quod Tuitienſis Abbas Rupertus lib. 1. de Gloria & honore filij hominis ſcriptum reliquit, & prȩſertim ſuper illa Mathȩi verba: Iacob autem genuit Ioſeph: quo loco Rupertus totam illam generationum ſeriem ſcalę Iacob cõparans, dicit: ſupremum ſcalę gradum, cui dominus innixus eſt fuiſſe Ioſephum. Sed quomodo, inquit Rupertus, Deus & homo huic homini innixus eſt? Vtique tanquam tutori pupillus, quippe qui in hoc mundo ſine patre natus eſt, Ita innixus eſt, huic beato Ioſepho, vt ipſe fuerit infantulo pater optimus, cuius ſolatio paterno puer cũ Virgine puerpera ſoſtẽtaretur. D. Bernar. C Ruper. Mat. 1. D

Cum igitur tali, ac tanto viro iungitur Maria nonne hoc illi magnũ eſt? Nõne hoc illi magna laus eſt? Eſt etenim: qa ſicut laus altera prȩclarior Mariæ dari non poteſt, quàm quòd ex illa natus ſit dominus noſter Ieſus Chriſtus: ita poſt hanc laudem, maior alia nequit illi exhiberi, quàm quod illi fuerit vir Ioſeph iuſtus, Simile.

&

& virgo suæ testis, & custos virginitatis. E

Verum hoc Mariæ licet magnũ fuerit, maius tamen, & multò
Eccle. 26. sanè maius fuit Iosepho, Marię iungi. Si enim (sicut Ecclesiasti-
Eccle. 25. cus ait) Mulieris bonę beatus vir: & alibi: Beatus, qui habitat cum muliere sensata. Quantò, putas, beatior Ioseph non solum dicendus, sed habendus etiam est, qui cùm tali muliere non solum habitauit, sed etiam eam coniugem habuit? D. Gregorius Nazianzenus volens sororis suę Gorgonię maritum laudare oratione 11. his solum verbis vsus est. Vultis vno verbo virum describam? Vir illius. Neque enim scio, quid amplius dicere necesse sit. Ac si diceret vir sanctissimus: Omne illud, quod in mei leuiri laudem dici potest, hæc vna laus prorsus excedit, atque exuperat, quòd vir illius erat, quòd sororis meæ Gorgoniæ maritus erat. Ad hunc sanè modum Euangelista Matthęus nobis cum sese gerere visus est, qui Virginis sponsum Ioseph laudare instituens, omnes eius laudes hoc vno, & solo verbo descripsit: Virum Mariæ, de qua natus est Iesus. Nec immeritò, cum hæc sola laus, omnes alias sanctissimi viri laudes longè antecellat: & in hac vna laude cõtineatur quidquid de illo dici potest. Vnde meritò Euangelista eum laudans solum dicit: Virum Mariæ de qua natus est Iesus. Quia nihil neque altius, neque dignius de illo dici poterat.

(Margin: D. Greg. Nazian.; F; Mat. 1.; G)

CAP. VIII.

Ex Mariæ coniunctione Iosepho quanta bona euenerunt: ipse quomodo ipsius Mariæ caput, & quomodo ipsa superior erat.

Quia fecit mihi magna, qui potens est. Luc. 1.



VT verò melius omnibus pateat, quàm magnum fuerit nostro Iosepho Marię iungi, considerare hoc loco libet, quanta bona illi contigerint, ex hoc quòd ipse virginis vir esse mereretur. Hæc enim tanta fuisse constat, H
Sap. 7. vt meritò Ioseph ipse, de se illud sapientię dicere posset: Venerũt mihi omnia bona pariter cum illa. Nam licet ipse Ioseph (sicut antea diximus) ante matrimonium cum virgine contractum, iam esset vir iustus: tamen post ipsum matrimonium, in sanctitate, om-

nium

A nimque virtutum genere mirum in modum excreuit. Cum enim inter Mariam, & Iosephum intercessisset mutui amoris, perfectissimæque amicitiæ nodus, & vinculum, quod oriebatur ex eminenti statu, & suprema dignitate ad quam hic vir assumptus est, maximè cùm ad sanctitatem vxoris pertineat, non solum vt virum suum diligat, sed etiam vt omne bonum, præsertim animæ, illi exoptet, & procuret: dubium non est, quin ex coniunctione Virginis, maxima dona, & munera beatus Ioseph fuerit consecutus. Nec desunt rationes, quibus optimus quisque adduci possit, vt credat, hoc ita esse. Inter eas vero prima est, ratio gratitudinis, quæ B benefactoribus debetur: & nulla re magis, quàm amore persoluitur. Cúm autem beatus Ioseph multa passus fuerit, multosque labores propter Virginem sustinuerit, & hoc quidem maximo amore, ac voluntate (sicut par erat) opus erat vt beatissima, & gratissima Virgo hoc illi cumulatissime persolueret.

Huic etiam rationi alia ratio accedit, & hæc procedit tàm ex morum similitudine, quàm ex frequenti, & continua familiaritate, & cohabitatione Virginis cùm Iosepho, absque vlla prorsus occasione diffidij aut rixæ, quæ omnia non possent, non parere summum quendam amorem, inter Virginem, & Ioseph. O virum fęlicissimum, qui tantæ Virgini coniunctus est. C Verè tantò fęlicior propter hoc beatissimus Ioseph cēsendus est, quanto maiora sunt dona, quæ propter hoc consecutus est. Nam sicut omnia, quæ Dei sunt Mariæ sunt, quia mater, & sponsa Dei illa est: ita omnia, quæ Mariæ sunt, Ioseph sunt, quia vir eius est. Ac propterea dicere possumus, quod eodem modo, quo Maria Regina cœli est, & omnium Domina: eodē etiam modo Ioseph vir eius, Rex cœli, & omnium Dominus est. Sicut enim si Rex puellam aliquam infimo loco natam vxorem ducat, ipsa quia Regi nupsit, Regina dicēda est ita etiam si quilibet homo Reginę nubat, Rex D continuò efficitur, & vniuersi Regni Dominus dicitur. Si ergo homo, qui Reginæ nuberet, ex eo fęlix dicendus esset: quantò, putas, Ioseph fęlicior dicendus est, siquidem non solum terræ, sed cœli quoque Reginæ, nubere meruit, propter quòd illud etiam obtinuit, vt Mariæ caput esset. Nam teste Apostolo: Caput mulieris vir. Propter quod D. Petrus præcepit, vt mulieres subditæ sint viris suis afferens exemplum Saræ, quæ Abrahæ obediebat, eumq; Dominum suum vocabat. Cum ergo Maria multò sanctior, & perfectior

Simile.

Simile.

1. Cor. 11.
1. Pet. 3.
Gen. 18.

perfectior esset, quàm Sara, dubium non est, quin sponsum suum E
tanquam caput suum reuerebatur. Hoc autem ipsi Iosepho tàm magnum fuit, vt meritò cum nostra Virgine de se ipso dicere possit: Quia fecit mihi magna, qui potens est.

D. August. Neque his illud obstat, quod dicit D. Augustinus opusculo de assumptione Virginis cap. 4. vbi asserit beatissimã Virginem fuisse exemptam ab illa lege: Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. (Genes. 3.) Quia ipse D. Augustinus eodem loco statim se se correxit, sic dicẽs: Mariam nõ fuisse sub potestate viri, idest, mariti, quę integerrimis visceribus de Spiritu sancto Christum suscepit, id, quod idem est, ac si Augustinus diceret: Virginem beatissimam F
quantum ad vsum carnalis copulæ, non fuisse sub viri potestate: Verùm in alijs, sicut in externis, & domesticis rebus, suo modo sub viri potestate erat, illumque tanquàm suum caput, & superiorem agnoscebat.

Sed dicet fortasse aliquis. Ioseph caput & superior Virginis fuit. Ergo excellentior illa fuit. Ad hoc respondetur: id non rectè sequi, ac proinde minime dicendum esse. Nam celsitudo Ioseph data est illi propter Mariã, & propter quod vnumquodq̃, tale, & illud magis. Id, quod etiam multò clarius patet, in ipsa Virgine respectu Christi: Licet enim Maria mater sit Christi, & in- G
quantum mater illo superior sit, non tamen ideo est illo excelsior. Eodem modo cùm sanctitas Ioseph data sit illi propter Mariam, licet ipse officio sit caput, & superior: tamen in gratia, multò est illa inferior, siquidem in gratia, Maria ipsius Ioseph caput, & superior existit.

Hinc nonnulli dicunt, quòd hoc significatum, & expressum fuit in benedictione illa Ioseph Patriarchæ, qui huius nostri Ioseph nomen, non solùm obtinuit, sed etiam figuram in multis expressit. (D. Bern.) Cuius rei testis est mellifluus Pater D. Bernardus hom. H
2. super missus est. quo loco vtrumque Ioseph inter se comparãs, dicit: ille Domino suo fidem seruans, Dominæ noluit commisceri: iste Dominam suam, Domini sui matrem virginem agnoscens, & ipse continens fideliter custodiuit. Illi data est intelligentia in mysterijs somniorum: isti datum est conscium fieri, atque participem cęlestium secretorum. Ille frumenta seruauit non sibi, sed omni populo: iste panem viuum è cœlo, seruandum accepit, tàm sibi quàm toti mundo.

Illum

A Illum itaque Ioſeph, qui huius noſtri figura fuit, cum Moyſes benediceret talibus verbis vſus eſt: Benedictio illius, qui apparuit in rubo, veniat ſuper caput Ioſeph, & ſuper verticem Nazaræi inter fratres ſuos: quæ verba ad noſtrum Ioſeph, & Mariam nonnulli referentes dicunt: quòd benedictio illius, qui apparuit in rubo, in Mariam deſcendit manifeſte, quia illa eſt rubus incõbuſtus, facta mater, & Virgo. Dicitur vero deſcendere in caput Ioſeph, quia licet ille officio ſit caput, illa tamen, gratia caput eius erat. Idque optimè colligitur ex D. Tho. 3. par. q. 30. ar. 2. ad 2. D. Thom. vbi Angelicus doctor inſinuare videtur, quod in his, quæ pertiB nent ad myſteriorum Dei cognitionem, & priuilegia gratiæ ſuſcipienda, Maria non debuit pendere à viro, nec ſub eius poteſtate eſſe. in externis vero, & domeſticis rebus (id, quod iam ſupra vidimus ex D. Auguſtino, ex quo forſan D. Thomas hanc doctrinam deſumpſit) aliter ſe ſe res habebat. Quia in his Ioſeph Mariæ caput exiſtebat, & in huius rei ſignum quando aliquid huiuſmodi agendum erat, ex diuino inſtinctu ipſi Ioſepho reuelatio fiebat, ſicut patet de fuga in Ægyptum, & de redditu ex Ægypto. Hinc etiam eſt, quod impoſitio nominis Ieſu, illi iuncta eſt: ſicut patet ex illo Mathæi: Et vocabis nomen eius Ieſum.

C Ex his omnibus apertè ſatis colligitur Sanctiſſimum noſtræ Virginis ſponſum Ioſeph ipſa Virgine excellentiorem minime fuiſſe: licet eius caput, & ſuperior extitiſſet. Id, quod vnum ſufficit, ad intelligendum manifeſtiſſime, quàm magnum illi fuerit, Mariæ ſuæ ſponſæ beatiſſimæ iungi, atque etiam quam maxima ad hoc gratia illi à Deo omnium rerum liberaliſſimo largitore collata fuerit. Sicut enim maxima Mariæ gratia ex hoc colligitur, quia tanquam Chriſti mater, erat illo ſuperior, licet gratia minime excellentior, cùm maior gratia fuerit in Chriſto: Ita Simile. etiam ſumma Ioſeph gratia, ex hoc intelligitur, quia inquanD tum Mariæ ſponſus, eius caput, & ſuperior erat. Id, quod vnum ſufficit, & ſatis ſuperque ſufficit, ad intelligendum, atq; optimè cognoſcendum qualis, quantuſve fuerit noſter Ioſeph: de quo quia (ipſo Deo volente) alibi latius tractare inſtituimus, hęc ſola in præſentiarum dicta ſufficiant.

E

CAP. IX.

Maria Deum sibi magna fecisse dicit: sed non qualia, & quare: Et cùm Deo ipsa magna fecerit, nullam tamen de ipsis mentionem faciebat, sed de illis solùm, quæ à Deo ipsa acceperat.

Quia fecit mihi magna, qui potens est. Luc. 1.

POST Aliqualem tractationem beneficiorum, quæ Mariæ à Deo concessa sunt, eo præsertim tempore, quo ipsa in templo versata, & ab ipso egressa fuit: iam nunc tempus est, vt ad alia tractanda veniamus, quæ nobis hęc Mariæ verba manifestissimè suppeditare videntur. In quibus minime illud, hoc loco prætermittendum putamus, quod Virgo dicit: Quia fecit mihi magna, qui potens est: Non enim ait: per me, aut in me, hominibus magna fecit: sed fecit mihi magna. Huius rei ratio hęc mihi esse videtur: quia quod in ea ad omniũ salutem factum est, hoc priuilegio electionis, ad eius gloriam singulariter ordinatũ ęst. Et ideo licet ea, quæ in Maria facta sunt, ad omnium salutem ordinata sint: tamen Mariæ facta sunt ad gloriã singularem. Et propterea ait, Quia fecit mihi magna. F G

In his verbis, illud etiam adnotare nos decet: quòd licet magna sibi facta Maria dixerit, non ob id tamen addidit qualia. Cuius rei (vt ego quidem existimo) ea ratio est, quia licet omnia Dei opera humani sensus capacitatem omnino exuperent: tamen sacramentum redemptionis, incarnati Verbi mysterium, præcipue super omnia ineffabile esse constat. Nihil enim vnquàm mirabilius, ac ineffabilius factum est, quàm vt Deus homo fieret, & natura in comprehensibilis corporis substantiam: ita sibi vniret, vt nec minus in eo esset, quia in se erat immensa, nec minor in se existeret, quia in illo fuerat tota. Hæc ergo magna, quia ineffabilia sunt, ideo Virgo magna sibi facta esse confitetur, non tñ qualia illa sint particulariter exponit: Quia fecit, inquit, mihi magna, q̃ potẽs est. H

Nemo melius quàm Virgo diuina mysteria, quę à Deo in ipsa operata sunt, poterat explicare. tùm quia erat aula cęlestiũ sacramentorum (sicut lib. 1. de institutione Virginis de Maria ipsa dicit Am-

A cit Ambrosius) tùm quia (sicut lib. de excellentia Virginis cap. 7. D.Ambr.
loquitur Anselmus) incomparabiliter eminentius, ac manifestius, D. Ansel.
quàm alij, ipsa per spiritum veritatis, veritatis profunditatem intelligebat. tùm denique quia (sicut ibidem idem dicit Anselmus) multa per Virginem Apostolis reuelabantur, quæ in se non solũ simplici scientia, sed ipso affectu, ipso experimento didicerat. Cũ igitur Maria talem, ac tãtam haberet cognitionem nemo melius, quàm ipsa diuina mysteria in se operata, poterat manifestare: & tamen ipsa nihil aliud de illis dicit, quàm quod magna fuerunt.
Propter quid hoc? Propter hoc, credo, quia nos docere voluit, vt Rom. 12.
B in his, quæ penitus humanam elocutionem superant, non plus sapiamus, quàm oportet sapere, sed vt ad sobrietatem sapiamus: nè nobis illud accidat quod visui dum in radios dirigitur solares: si- Simile.
cut enim quantò quis diligentius solares radios videre voluerit, tantò magis sensu læditur, & dum nimium cernere quærit, lumine priuatur. Et sicut etiam, qui igne vult calefieri, quantò plus illum tangit, & interius manum mittit, tantò plus comburitur: ita nos quantò plus diuinorum mysteriorum maiestatem, quæ omnino est ineffabilis voluerimus scrutari, tantò plus detrimenti inde percipiemus. Id, quod etiam sapiens sub hac similitudine no- Simile.
C bis apertè significauit: Sicut qui mel multum comedit non est ei bonum: sic qui scrutator est maiestatis opprimetur à gloria. Vt ergo beatissima Virgo nos doceret curiosam diuinorum mysteriorũ indaginem euitare, cùm de illis ageret non qualia illa essent, sed solum quod magna essent declarauit: Quia fecit mihi magna.

In quibus Mariȩ verbis, hoc etiã libet perpendere, quod illis in gratiarũ actioné totam se Virgo effundit, propter beneficia, quæ à Deo sibi facta esse cognoscebat: nihil interim cogitãs de seruitijs illis, quæ ipsa etiã Deo fecerat, & deinceps factura erat. Nam multa propter Deum ad illud vsque tempus Maria fecerat, & multa
D adhuc propter illum factura erat: & tamen de illis coràm cognata Elisabeth, nullã prorsus mentioné facit: sed solũ Dei beneficia sibi facta apud illam prædicans: Quia fecit, inquit, mihi magna.

Tuitiensis Abbas Rupertus lib. 3. cõmentariorum in cantica, Ruper.
super illa verba: Odor vnguentorũ tuorum super omnia aroma- Cant. 4.
ta; vt Mariæ in Deum munera, & officia ostendat, filiũ sponsum, cùm Maria sponsa, virgine, & matre in hunc modum loquentem inducit. Quæ auté sunt vnguenta tua, soror mea sponsa? Elemo-

Ioan. 12. finæ tuę, quas expendisti in me. Audiunt & audituri sunt amici de quadam muliere effundente oleum super caput, & super pedes di lecti tui, & dicunt, quia domus repleta est ex odore vnguenti, & intelligunt in illa muliere ecclesiam nostrã, quæ quoties impendit elemosinã pauperibus nostris, toties vnguenta sua pedibus meis superfundit, & aromata distribuit. Hæc enim sunt aromata vera, vnguenta prętiosa, esurienti cuilibet ex inimicis meis cibum dare, sitienti potum præbere, hospitem, siue peregrinantem colligere, nudum vestire, infirmum visitare, & si in carcere est, ad eum venire. Super omnia hæc aromata, est odor vnguentorũ tuorũ. id est, suauitas elemosinarũ tuarũ, quia non vt cæteri, in membris meis, sed in me metipso tu mihi munificentissima extitisti: & quidem iure materno, & naturali affectu, tu mihi cuncta debuisti: Verũtamen fidem, & humilitatem, siue charitatem tuam plusquam maternam, cuncta pro optimis vnguentis, cuncta pro suauissimis fuere elemosinis, ita vt nulla elemosinarum aromata quæcunque mihi in meis expenduntur minimis, vnguentis illis valeant aliquatenus comparari. E F

Metho. His Ruperti verbis, quibus sub sponsi nomine Mariæ munificentiam, in filiũ laudat, Sanctissimi, atque antiquissimi illius martyris Methodi, qui sub Valeriano, & Decio pro Christi cultu, & fide vitam profudit, verba etiam libet annectere, quibus oratione ob Hipopantem Domini, inter alia Virginis munera, quibus Deũ ipsa sibi deuinxit, ipsius Virginis munificentiã in Deũ sic exaggerat. Tu Deo alioquin nullius rei indigo carnẽ, quàm non habebat dedisti: vt hac ratione omnipotens id, quod esse dignatus est, hõ videlicet, vere appareret. Quid hoc illustrius? Quid hoc sublimi⁹? Qui cœlum, & terrã implet, cuius præterea sunt omnia, quęcunq; mouentur, atq; subsistunt, is, tui factus est indigus. Tu enim admirabilẽ incarnationẽ, quam aliqñ non habuit, Deo mutuã dedisti. Tu potentem illum corpore, tanquã decenti quadã panoplia induisti, per quam quidem facile à me caperetur, & cerneretur: ego vero tutum, & cõmodum ad illum accessum haberem, per quam etiã ignita omnia maligni tela extinguntur. Euge euge mater Dei, & ancilla: Euge euge quæ debitorem illum habes, qui omnibus mutuò dat. Deo namque vniuersi debemus, tibi vero ille debet. G H

Ecce quibus verbis inuictissimus hic martyr, Deũ Virginis debitorẽ cõstituit. Ecce qualiter omniũ debitorũ, quibus etiã ipse Deus

Mariæ

A Mariæ deuinctus est, mentionem facit. Nec immeritò, dignum est enim, vt alii in Virgine non taceant, quod ipsa de se tacita præteriuit. Siquidem cum magna Dei debita, erga se etiam posset allegare, nihil tale fecit, sed sola Dei in se beneficia, sub his verbis voluit manifestare: Quia fecit mihi magna: & deinde addidit: qui potens est.

CAP. X.

Cum Dei potentia ab eius operibus optimè cognoscatur: & ab effectu
B *etiam Maria cognouerit magna, quæ Dominus sibi fecit: quæ causa fuit, vt ipsa in suis verbis, de Deo adderet: qui potens est.*

Quia fecit mihi magna, qui potens est. Luc. 1.

DEI Potentiam in eius operibus, ab effectu cognosci posse, nemo est, qui dubitet. Sicut enim siquis videat domum affabrè factam, instructamque vestibulis, parietibus, porticibus, aulis, cubiculis, & Simile.
C id genus cæteris, cogitatione statim percipiet artificem, & eius scientiam, id, quod etiam de ciuitate, aut nauigio, aut de quouis maiori, minoriue opere sentiendũ est: ita etiam ex Dei operibus immensam, & summam eius potentiam statim percipimus. Si quis enim hunc in mundum, tanquã in maximam domum, aut ciuitatem ingressus fuerit, & viderit cœlum in orbem volui, continereque omnia, erraticasque stellas, ac fixa sydera modulatè pariter moueri, summaque cũm harmonia ad vtilitatem rerum vniuersarum: terram deinde medium locum sortitam, aquam, aeremque latè vtrumque diffusum, suisque
D contentum terminis. Ad hæc animalium, stirpium, fructuumq; varias species, statim ratiotinabitur, hæc nõ sine perfectissima arte, potentiaque maxima condita, sed fuisse, esseque Deum huius vniuersitatis potentissimum opificem. Id, quod electionis vas Paulus haud obscurè sanè significauit, cũ dixit: Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas. Rom. 1.

Cum ergo hoc sic se habeat, cumq; beata Elisabeth ipsius Dei

potentiam ab effectu tàm in se, quàm in Maria ipsa fuerit contem E
Luc. 1. plata: in Maria quidem quam Domini sui matrem esse confiteba tur, vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? In se vero, quia ad salutationem Virginis, quæ Dei filium in vtero gesta-
Luc. 1. bat, suum statim filium in suo vtero exultare sensit: Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo. Cũ hoc, inquam, ita sit, quòd Elisabeth Dei potentiam ab effectu cognoscebat, quid est quod Maria apud illam, Dei potentiam sic prædicat? Sufficiebat enim dicere Deum fecisse sibi magna, quia fecit mihi magna: vt ex hoc eius potentia colligeretur, absque eo quod Virgo adderet: qui potens est. F

Quid ergo? sunt nè hæc verba; qui potens est, superfluè à Virgine prolata? Absit, absit, quia in scriptura diuina nihil superfluum reperitur: nihil in ea continetur, quod non maxima ratione dictum sit: nihil quod non latentem habeat vtilitatem, & non qualemcunque vtilitatem, sed vtilitatem per quam maximam. Ac proinde cùm beatissimæ Virginis canticum, cuius hæc verba sunt, canonica scriptura sit, non solùm quasi materialiter, id est, quia Euangelista refert beatam Virginem illud protulisse: Sed etiam formaliter, ac per se, vt ab ipsa Virgine prolatum est, nullo modo dicendum est, quod aliquid superfluum contineat: præsertim cùm singula eius verba, Spiritu sancto dictante, ab ipsa Virgine prolata sint. G

Qua de causa necessario fateamur oportet, non sine singulari Dei consilio, & particulari Spiritus sancti instinctu, hæc verba, qui potens est, à Virgine fuisse prolata. Nam dato quod hæc ipsa verba, quoad Elisabeth necessaria non fuerint, quippe quæ (sicut diximus) Dei potentiam tam in se, quàm in Virgine ab effectu optimè experta fuerat: hoc tamen non tollit, quin fuerint maximè necessaria, quoad aliquos, quos in mundo futuros esse Virgo prænidebat, qui de magnis sibi factis, & præsertim de conceptionis H negotio, dùm Virgo manens concepit, & peperit, diffiderent. Et ideo vt istorum diffidentiæ Maria mederetur, vbi dixit: Quia fecit mihi magna: protinus adiecit: qui potens est. Et in hoc sensu,
Titus. hæc ipsa Mariæ verba explicat Titus apud D. Thomam in aurea
D. Thom. cathena super hunc locum. Dicit autem, qui potens est (dicit ibidem Titus) vt si quis diffidat in conceptionis negotio, dùm virgo manens concepit, retorqueat miraculum ad potentiam operantis.

Hæc

A Hæc eadem Titi verba sub nomine D. Chrysostomi referuntur in glossa morali super hunc locum.

Ex his omnibus patet Virginis intentionem, in his verbis, qui potens est, fuisse, vt illis omnem diffidentiam diuinorum mysteriorum, & præsertim admirabilis dominicæ incarnationis mysterij, ex hominum animis omnino euelleret. Nec immeritò, quia sicut veniente Sole, tenebræ eius potentiam sustinere omnino nō possunt, sed subito diffugiunt nihil ipsum Solem impedientes: ita in hominum animis, diuinæ potentiæ, quæ omnia potest cognitione refulgente, omnis diffidentia, quę circa diuina mysteria, à B malis spiritibus solet accidere, statim deperditur. Nam in rebus mirabilibus (sicut allegatus à D. Bonauentura super hunc locum, inquit D. Augustinus) tota ratio facti est potentia facientis. Neque est aliud quærendum, vbi ipse faciens, omnia quæcunque voluit fecit in cœlo, & in terra, in mari, & in omnibus abyssis. Simile. Psal. 134.

CAP. XI.

Dominici nominis significationes, quot sint: ipsius sanctitas, virtus, & potentia quanta sit.

C

Et sanctum nomen eius. Luc. 1.

DIVINI Nominis sanctitas expostulat, vt de ea etiam non nihil hoc loco dicamus. Verum priusquam id à nobis fiat, non abs re fuerit, si decem nomina, quibus (teste Isidoro Hispallensi lib. 7. etymologiarum cap. 1.) apud Hebręos Deus vocabatur, hoc loco afferamus. Primum Dei nomen apud Hebræos, El dicebatur, quod alij Deum, alij ety D mologiam eius exprimentes, Ischyros, idest, fortem interpretati sunt, ex eo quòd Deus nulla infirmitate premitur: sed fortis est, & sufficiens ad omnia perpetranda. Secundum Dei nomen est, Eloi. tertium Eloe. Et utrumque in latinum conuersum, Deus dicitur. Quartum nomen Dei, dicitur Sabaoth, quod vertitur in latinum exercituum, siue virtutum: de quo in psalmo ab Angelis dicitur: Quis est iste Rex glorię? Dominus virtutum. Sunt autem in huiusmodi ordinatione virtutes multæ, vt Angeli, Archangeli, & reliqui cœlestis militiæ ordines, quorum tamen ille Isido. Psal. 23.

Dominus est. Quintum nomen est Elion, quod in latinum conuersum, excelsus dicitur, quia supra cœlos est. Sextum nomen est Eieie. idest, qui est: Deus enim solus, quia æternus est, hoc est, qa exordium non habet, essentiæ nomen verè tenet: hoc enim nomē ad Sanctum Moysem per Angelum est delatum. Quærenti namque quod esset nomen eius, qui eum pergere præcipiebat ad populum de Ægypto liberandum, respondit: Ego sum, qui sum. hæc dices filijs Israel, qui est misit me ad vos. tanquàm in eius comparatione, qui verè est, quia incommutabilis est, ea, quę mutabilia facta sunt, quasi non sint. Quod enim dicitur, fuit, non est. Et quod dicitur, erit, nondum est. Deus autem esse tantum nouit, fuisse, & futurum esse non nouit. Solus enim Pater, cum Filio, & Spiritu sancto veraciter est, cuius essentiæ comparatum esse nostrum, non esse ęst. Vnde in colloquijs dicimus: Viuit Deus, quia essentia vita viuit, quam mors non habet. Septimum nomen est Adonai, quod generaliter Dominus interpretatur, quod dominetur creaturæ cunctæ, vel quod creatura omnis dominatui eius deseruiat. Dominus ergo est Deus, vel quòd dominetur omnibus, vel quod timeatur à cunctis. Octauum nomen est Ia, quod in Deo tantum ponitur, quod etiam in alleluia in nouissima syllaba sonat. Nonum nomen est Tetragrāmaton, hoc est, quatuor literarum, quod propriè apud Hebræos in Deo ponitur: Iode Iode, id est, duabus, ia, quæ duplicata ineffabile illud, & gloriosum Dei nomen efficiunt. Dicitur autem Deus ineffabilis, vel eius nomen ineffabile, non quia dici non potest: sed quia finiri sensu, & intellectu humano nullatenus potest. Et ideo quia de eo nihil dignum dici potest ineffabilis est. Decimum, & vltimum Dei nomen est Iaddai, idest, omnipotens, eo quod omnia potest. Sed à faciendo quod vult, non à patiendo quod non vult, quod si ei accideret nequaquam esset omnipotens, facit enim quidquid vult, & inde omnipotens.

Exod. 14.

Totidem ipsius Dei nomina loco citato enumerat Isidorus, quæ omnia licet apud hebręos in maxima semper veneratione haberentur, tamen Noho, quod est Tetragramaton tantùm ab illis honoris, reuerentiæque deferebatur, vt illud in publico nequaquam nominarent, sed tantum in templo, & hoc non quiuis de plebe: sed solum summi sacerdotes in benedictionibus faciendis super populum, qui loco huius nominis Tetragrāmaton habebat

A bebat nomen Adonai, quod pronuntiabat quoties deum volebat nominare: nam dei nomen Tetragrammaton (sicut diximus) erat illis ineffabile: non quod sensibilibus verbis exprimi non posset (sicut ex Venerabili Beda super exodum adnotauit D. Bonauentura de principio sacrę scripturę,) sed quia sensu, & intellectu creaturæ, eius significatum exprimi non poterat. Beda. D. Bona.

Ratio vero propter quam hoc nomen Tetragrammaton in tanto honore habebatur, est, quia hoc nomen est deo appropriatum: & nulli alij attributum: significat enim (sicut ex Rabbi Moyse refert Nicolaus de Lyra in Danielem super illa verba: & benedictum nomen gloriæ tuę) diuinam proprietatem intrinsecam omnibus alijs separatis, alia vero nomina diuina imponuntur ab operibus diuinis, sicut patet de nomine Eloim in hebręo, vel deus in latino, quod imponitur à generali prouidentia, & propterea communicatur alijs per quandam participationem: Vnde etiam iudices dicuntur Eloim, vel Dij, vt habetur in Exodo vbi dicitur: si latet fur dominus domus applicabitur ad deos, idest, ad iudices? & hoc de alijs nominibus diuinis hoc modo intelligendum est, quę etiam communicantur creaturis: Nomen vero Domini Tetragrammaton, nulli alij communicatur, sed de solo Deo dicitur. Nic. Lyr. B Dan. 3. Exod. 22.

C In quanam vero horum decem nominum significatione, Dei nomen hoc loco à Virgine accipiatur, cum dicit: Et sanctum nomen eius: non est cur hoc loco curiosè inuestigemus: illud satis esse existimantes, si dixerimus, Dei nomen hoc loco (id, quod iã in principio huius libri adnotauimus) vel significare ipsum deũ, vel eius famam. In prima significatione accipitur à Venerabili Beda homilia illa ferię sexrę quatuor temporum, quo loco super hęc Marię verba. Ipsum enim, inquit, est nomen de quo supra ait: Et exultauit spiritus meus in deo salutari meo: quibus verbis expresse docet nomen dei, pro ipso deo hoc loco accipi. Beda.

D Vnde non prętermittemus hoc loco admonere, quòd quia nomen Dei, in scriptura sacra sępe accipitur pro ipso Deo, & est vnũ cùm eo, ideo in eadem scriptura, quę attribuuntur Deo, attribuuntur etiam eius nomini, cui tantum debetur, quantũ ipsi Deo. Dicitur Deus benedictus: dicitur etiam eius nomen benedictum. Benedictum nomen maiestatis eius in ęternum. Dicitur Deus terribilis: hoc ipsum habet eius Sanctissimum nomen: dicitur admirabilis: admirabile etiam dicitur eius nomen. Admirabile est nomen Psal. 71. Psal. 110.

men tuum in vniuersa terra. Deniq; dicitur Deus excelsus, fortis, E
Isa. 12. & magnus: hæc omnia habet etiam nomen eius. Mementote quam
Ierem. 10. excelsum est nomen eius: est forte, & est magnum, quia de ipso dicitur. Magnus es tu, & magnum nomen tuum in fortitudine. Et vt alia multa, eaque prope infinita, quæ Deo, & eius nomini attribuuntur, hoc loco omittamus: dicitur Deus Sanctus: Sanctũ etiam à nostra Virgine dicitur nomẽ eius: & sanctum nomẽ eius.

Sed quomodo quæso sanctum? Sanctum in se formaliter, & effectiuè in nobis, quia nos efficit sanctos. Vnde eleganter quidẽ
Hug. Vict. Hugo Victorinus super hæc verba: Sanctum est, inquit, in se, & in nobis sanctificatur nomen eius, dum nos sanctificamur in nomi F ne eius. Itaque nomen Dei Sanctum est, & non quocunque, sed eminentius, & perfectius quàm alia, quia quidquid in alijs potest excogitari, totũ eminentius, & perfectius est in eo, lõgissimo enim interuallo oẽm sanctitatẽ superat, & ita superat, vt omnis alia sanctitas respectu sanctitatis, huius dñici nominis nihil appareat. Si-
Simile. cut enim stanni metallum, quod alicuius vtilitatis, & gratiæ putabatur fit argenti cõtẽplatione vilissimũ. & sicut auri cõparatione meritũ euanescit argẽti: & sicut aurum quoq; ipsum gemmarum collatione contemnitur, & sicut deniq; ipsa iũ (quamuis insignium) multitudo gemmarum, vnius margaritæ candore supera- G tur: ita omnis alia sanctitas, quamuis magna sit, & eximia, tamen si diuini nominis sanctitati conferatur, vilis, atque (vt ita dixerim) inutilis prorsus censebitur.

D. Dionys. Cum enim (autore D. Dionysio lib de diuinis nominibus cap. 12.) sanctitas sit ab omni labe libera, & perfecta, & oĩno immaculata munditia, quis melius quàm Dei nomen hanc sanctitatẽ poterit habere, quod est idem cũm nominato, qui est tota perfectio, & perfecta munditia? O nomen sanctissimum, nomen dignissimũ, nomen super omne nomen sanè pretiosissimum, nomẽ quod qui-
Iohelis. 2. cunque inuocauerit saluus erit. Et erit omnis, quicunq; inuocaue H
Acto. 4. rit nomen Dñi, ait propheta, saluus erit. Et D. Petrus: Nec enim,
D. Ioan. Damasc. inquit, aliud est nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Hinc D. Ioãnes Damascenus lib. 3. huius nominis virtutem tantam esse affirmat, vt quicunq; illud inuocauerit, & inuocãdo dixerit, verba illa: nempe, Sanctus, Sanctus, Sãctus Dominus Deus exercituũ, plena est omnis terra gloria eius: à morte subitanea, & fulgure, & ab oĩbus tribulationib⁹ sit securus.

CAP.

A

CAP. XII.

Christus Dominus quanti fecerit suum sanctissimum nomen. Ipsum Chr'sti sanctissimum nomen aduersus omnia mundi mala securissima est medicina.

Et sanctum nomen eius. Luc. 1.

B VIdimus superiori capite ex aliorum sententia,& autoritate quanta sit Dominici nominis virtus, & potentia: Verum quia Christus dominus huius sui nominis potentiam melius cognoscebat, quàm alij, ex eius etiam sententia hoc ipsum hoc loco videamus, & quantum ipse suum sanctissimum nomen fecerit paucis aperiamus. Nam Christus dominus cum euangelij omni creaturæ prædicandi causa, discipulos suos per vniuersum mundum mittere vellet, & de signis illis ageret, quæ credentes essent secutura, statim adiecit: In nomine Mat.16. meo dęmonia eijcient linguis loquentur nouis, serpentes tollent,
C & si mortiferum quid biberint non eis nocebit, super ægros manus imponent,& bene habebunt: quib⁹ verbis Christus sui nominis virtutem,& potentiam optime significauit. Et non solum Cstri stus, sed Maria etiam mater eius sanctissima, multò prius quàm ille hoc fecit. Nam Virgo cùm Deum potentem vellet ostendere, & de illo diceret: Quia fecit mihi magna, qui potens est, statim adiunxit: & sanctum nomen eius. Quasi diceret non solum ille, qui fecit mihi magna potens est: sed etiam sanctum nomen eius, potens est. Potens ille non nego, sed potens etiã est, sanctum nomen eius. Quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum
D nomen eius.

Verum poterimus ne per hoc sanctissimum nomen, intelligere dulcissimum illud Iesu, nomen? Poterimus quidẽ. Immo de hoc nomine potius, quàm de alio Virgo nostra loquitur: quę ,ppterea in Deo suo salutari, idest, in filio Saluatore (sicut hẽt Glossa interlinearis) exultauit, quia ipse respexit humilitatem ancillæ suæ, ipse fecit sibi magna, qui potens est, & sanctum nomen eius. Et ideo cum de filio suo Virgo loquatur, bene sequitur, quod nomen eius,

idest

idest filij, sanctum vocans de nomine Iesu intelligit. O nomen potentissimum, nomen pretiosissimum, nomen, quod ipse Mariæ filius tanti faciebat, vt etiam moriens super caput, illud habere vellet: tum vt eo modo ostenderet quanti illud faceret: tum etiam vt illo crucis suæ trophæum ditaret. Nec hoc cuiquam mirum esse videatur. E

Simile. Si enim strenui Duces, enses, quibus victoriam ab hostibus reportant, ita nobilitare solent, vt in illorum manubrijs prætiosas quasque margaritas, gemmasque inseri iubeant: Quomodo Christus ensem illum (salutiferam ipsius crucem dico) quo teterrimi hostis caput amputauit, non ditaret pretiosissima illa margarita, F & gemma sui nominis, qua meliorem alteram non habebat? Hãc gemmam Christus tanti faciebat, vt neque moriens eam deserere vellet. Omnia quæ habebat, Christus deseruerat, vestem in manibus militum, sanguinem peruias, & plateas Ierusalem, vitam denique in manibus inimicorum: Verũ nomen, quod tantum amabat nunquam voluit deserere: sed illud mortis suæ tempore super caput suum, in hunc modum scriptum habere voluit: Iesus Nazarenus Rex Iudæorum, scriptum inquam, Hebraicè, Græcè, & Latinè. Vt oẽs pariter cognoscerent, quanti ipse suũ nomen faciebat.

Huius rei maximum etiam indicium fuit, id, quod ipse Christus postea egit cum Paulo. Nam cum hoc diuinissimum nomen, G tanquam ditissimum aliquod donum gentibus, vniuersisque mundi Regibus mittere vellet, ad hoc munus diuinissimum Paulum

Simile. præ cæteris elegit. Sicut quando Principibus, & Regibus aliqua maximi valoris munera offeruntur, vndique conquiruntur vasa aurea, & argentea, in quibus munera illa coràm ipsis præsententur: ita Deus cum vellet ditissimum sui nominis munus, mundi regibus, & principibus mittere, conquæsiuit vas inter omnia electissi-

Acto. 9. mum, quale erat doctor gentium Paulus, de quo dicitur: Vas electionis factus est mihi iste, vt portet nomen meum coram gentibus. & Regibus, & filijs Israel. H

Ecce quanti Deus faciebat hoc sanctissimum nomen: & merito quia hoc est illud nomen præter quod sub cœlo nullum aliud

Acto. 4. reperitur, in quo oporteat nos saluos fieri: Nec enim aliud est nomen sub cœlo, inquit D. Petrus, datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Quæ D. Petri verba ita intelligenda sunt, vt ad omnes infirmitates tùm mẽtis, tùm corporis referantur. Ab his

enim

A enim omnibus in isto sanctissimo nomine saluamur. Nam si aliquis nostrum tristatur, & illi venit in mētem, & cor Iesus, & inde salit in os. statim ad exortū sanctissimi nominis lumen, omne tristitiæ nubilum diffugit, & redit serenū. Si labitur quis in crimen, & inde curritur ad laqueum mortis desperando, vbi primum inuocat hoc sanctissimum nomen vitę, statim respirat ad vitam. Nemini vnquàm stetit ante faciē huius salutaris nominis duritia cordis, ignauię torpor, rancor animi, languor accedię. Nemini ita exsiccatus est fons lachrymarū, vt inuocato Iesu, continuò non erumperet vberior, flueret suauior. Cui in periculis palpitanti, & trepi-
B danti inuocatum virtutis nomen, nō statim fiduciam præstitit, depulit metum? Cui, quæso, indubijs æstuanti, & fluctuanti non subitò ad inuocationē, huius clari nominis emicuit certitudo? Cui in aduersis diffidenti, iam iamq; deficienti, si nomen adiutorij sonuit, defuit fortitudo? Nimirum morbi, & languores animi, isti sunt: Nomen vero istud aduersus illos medicina.

Nihil enim in nobis ita iræ impetum cohibet, superbiæ tumorem sedat, sanat liuoris vulnus, restringit luxuriæ fluxum, extinguit libidinis flāmam, sitim temperat auaritiæ, ac totius indecoris fugat pruriginē, siquidem cum nominamus Iesum, hominem no-
C bis proponimus mitē, & humilē corde, benignū, sobrium, castum misericordem, & omni deniq; honestate, ac sanctitate conspicuū: Eundemq; ipsum Deum omnipotentem, qui suo nos, & exemplo sanet, & roboret adiutorio.

Hæc omnia à nobis supradicta simul nobis sonant, cum insonuerit Iesus. Sumimus itaq; nobis exempla de homine, & auxiliū à potente. Illa tanquam pigmentorias species: hoc tanquam vnde acuamus eas, & facimus cōfectionē, cui similem medicorū nemo facere possit. Hanc confectionem: hoc electuarium reconditum, & repositum habemus in vasculo vocabuli huius, quod est, Iesus.
D Salutiferum certe, quodq; nulli pesti nostræ inueniatur inefficax semper igitur hoc sanctissimum nomen nobis in sinu sit, semper in manu, semper in corde, semper in ore: quia hoc modo semper omnes nostri sensus, & actus dirigentur in Iesum, qui cum Patre, & Spiritu sancto viuit, & regnat in secula seculorum. Amen.

FINIS LIBRI QVARTI.




DE VERBIS DOMINAE AD ELISABETH COGNATAM.

LIBRI QVINTI.

CAP. PRIMVM.

Dei misericordia non in sola Maria, sed omnibus, qui Deum reuerentur communis fuit: ipsa Dei misericordia licet per omnia eius opera diffusa sit, perfecta tamen misericordia solis Deum timentibus conuenit.

Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. Luc. 1.



Narratis superioribus quatuor huius cantici versiculis, particularibus Dei in se collatis beneficijs, iam Virgo nostra totam se conuertit, ad recolenda vniuerso mundo à Deo etiam exhibita beneficia. Quia vero hæc non ex humanis meritis, sed ex sola Dei misericordia proueniunt, iuxta illud Pauli: Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit: ideo in illis recensendis ab ipsa Dei misericordia Virgo exorditur. Et misericordia, inquit, eius à progenie in progenies timentibus eum. G H Tit. 3.

Ex

A Ex quibus Mariæ verbis, iam liquidius illud apparet, quod superiori versiculo adnotauimus, nempe, quod ea, quæ virgini magna facta sunt ad ipsius virginis gloriam singularem, ad omnium etiam salutem ordinata sunt. Nã verba hæc, & misericordia eius: perinde fere sunt (sicut hunc locum exponẽtes adnotarunt D. Augustinus, & Hugo Victorinus vterq; super magnificat, Theophylactus, Cornelius Iansenius, & Glossa ordinaria, quæ est Venerabilis Bedę) ac si Virgo dicat: Non mihi soli fecit magna: sed etiam omnibus timentibus eum, in hos enim etiam crescit, & dilatatur misericordia eius. Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. Hoc est, non in me sola fuit, non in me sola eluxit Dei misericordia: sed cõmunis etiam est omnibus, qui reuerẽtur, & timent illum, idque per omnes succedentes sibi generationes, & secula cuncta: Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. D. Aug. Hug. Vict. Theophy. Cor. Ian.

B

Quod vero attinet ad verba ista: à progenie in progenies: varij varie ea exponunt. D. Eusebius Emissenus homilia feriæ sextæ ante quartam Dominicam Aduentus videtur innuere, quod mens Virginis in his verbis fuerit declarare, quod Dei misericordia nõ in sola Iudæorum progenie fuerit compressa: sed quòd ab ista in omnes fuerit dilatata. Eius misericordia, inquit, Eusebius, non in vna progenie est, non enim Iudæorum tantum Deus: sed à progenie in progenies dilatatur, & crescit, cunctis subueniens timentibus eum. Fauet huic Eusebij Emisseni sententiæ venerabilis Beda in celebri illa homilia eiusdem feriæ sextæ ante quartam Dominicam Aduentus, quo loco sic inquit Beda: Progenies autem, & progenies, vel vtriusque populi Iudęi videlicet, & Gentilis appellat: vel certè omnium per orbem nationum, quas in Christo credituras esse præuidebat. D. Euseb. Emiss. Ven. Beda.

C

Deinde Theophylactus super hunc locum, hęc verba sic intelligit, vt per illa significentur, timẽtes Deum ipsius misericordiam consequi, & in hac generatione, hoc est, in prę̨senti seculo. & in futura generatione, hoc est, in futuro seculo: Nam hic centuplum accipiunt, illic vero longe amplius accipiunt. Huius autem Theophylacti sententiæ fuit etiam Theophilus apud D. Thomam in Aurea Cathena super hunc locum, vbi sic dicit: Vel per hoc innuit, quod timentes misericordiam consequentur in generatione ista, id est, in præsenti seculo: & futuram, id est, in seculo futuro, Theophy. Theophi.

D

in

in hoc seculo centuplum accipientes, in illo vero multo maiora. E

Euthy. Præterea Euthymius super hunc locum, in ea est opinione vt dicat, verba ista: à progenie in progenies: idem significare apud Hebręos, quod semper. Quod dicitur, ait Euthymius, in progeniem & progeniem, & in generationes generationum, aliaque similia, idem significant, quod semper, apud hebræos. Dicit ergo quod etiam misericordia eius, semper est in his, qui timent. Et in hac sua sententia videtur Euthymius imitatus fuisse antiquissimũ eundemq; etiam Græcum autorem Origenem, qui in quadam

Orig. homilia super Magnificat, hęc ipsa verba exponens. Misericordia Dei, inquit, non in vnam, neque in duas, neq; in tres, sed neque in F quinq; verum in sempiternum extenditur à generationibus in generationes. Estq; hæc Euthymij, & Origenis sententia per quam similis modo loquendi scripturæ sacræ, in qua his similia multa

Psal. 102. habentur apud prophetam, & præsertim cùm ait: Misericordia autem domini vsque in æternum; idest, sine fine, sicut exponit Glossa interlinearis, super timentes eum. Quia enim misericordia domini semper durabit, & erit absque termino a parte finis super timentes eum timore filialis reuerentię, qui manet etiam in patria, secundum illud: Timor domini sanctus permanens in seculum seculi: Ideo Virgo dicit. Et misericordia eius à progenie in proge- G nies timentibus eum.

Iam vero quod attinet ad postrema huius versiculi verba, nempe, timentibus eum. Sic accipienda sunt, vt intelligatur, perfectã Dei misericordiam solis timentibus eum conuenire. Nam quamuis Dei misericordia super omnia opera eius diffusa sit, secundum

Psal. 144. illud: Et miserationes eius super omnia opera eius. Et quamuis etiam Dei misericordia sit secundum aliquos effectus communis timentibus, & non timentibus eum, sicut patet ex illo: Qui solem

Mat. 5. suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos: Perfecta tamen Dei misericordia, quæ consistit in suble- H uatione à vera miseria æternæ damnationis, & in eo quòd in pręsenti vita, Deus omnia eis in bonum cooperari facit: & post hanc vitam æterna fęlicitate gaudere donat. Hæc, inquam, Dei perfecta misericordia solis timentibus Deum cõuenit. Sicut enim Sol,

Simile. & Luna cęcos, & non cęcos pariter illustrant: verum ipsis corporalibus oculis cęcos quamuis illustrant, illi tamen lumen non recipiunt, sed illi soli, qui vident. Ita etiam Dei misericordia, quamuis

A nis super timentes, & non timentes diffundatur: tamen in Solis timentibus Deum suæ virtutis perfectionem ostendit.

Neque hoc loco prætereundum est, quàm apte Virgo potius dixerit, timentibus eum, quàm sperantibus in eum, aut diligentibus eum. Cum enim superiori versiculo de Dei potentia, & sanctitate ageret, quibus in nobis respondet ipsius Dei timor, & reuerentia, ideo dicit: timentibus eum: per quos pie Deum venerantes intelligit, id, quod Dei sanctitati maxime debetur. Vnde dicitur in psalmo: Sanctum & terribile nomen eius. Quibus verbis apperte significatur, Deum quia sanctus est metuendum, & pie à B iustis reuerendum esse. Psal. 110.

CAP. II.

Dei misericordiam, inter cæteras ipsius Dei virtutes, cur Maria prius laudat. Deus quàm pronus sit ad miserendum, & quàm tardus ad puniendum.

Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. Luc. 1.

C



IRVM Non est, si de Dei virtutibus nunc actura Virgo, & inter eas ipsius Dei misericordiam, & iustitiã deinceps præcipuè prædicatura, à misericordia initium sumat. Id enim Maria in Deo prius laudat, quod in eo laudabilius esse nouit. Quid autem laudabilius in Deo (inquit D. Greg. in psalmos pęnitentiales super illa verba: Dñe labia mea aperies) quàm misericordia: Et paucis interiectis huius rei rationem adducens: Quamuis enim, inquit, laudabile sit, quod hominem de limo terræ condidit: laudabilius tamen est; quod perditum ꝓprij filij sui morte redemit. Deniq; illud potestatis est, hoc D gratiæ. Itaq; Virgo nostra id, quod in Deo laudabilius est prius laudat, & illud ante omnia prædicat, quod Deo magis placere non dubitat. Quid enim, obsecro, clemẽtissimo Deo magis placet, quàm clemẽtia? Quid benignissimo misericordiarũ Patri iocundius est, quàm misericordia? Misericordia, inquã, q̃ illi tàm ꝓpria est: vt sancta Ecclesia diuino gubernata spiritu, in eius laudẽ quotidie decantet: Deus cui propriũ est misereri semper, & parcere. D. Greg. Psal. 50.

V Neque

Neque mihi dicas,quomodo illi proprium eſt miſereri, cui nõ E
Pſal. 110. ſola miſericordia,ſed iudicium etiam decãtatur? Miſericordiam,
& iudicium cantabo tibi, inquit regius propheta, vnde apparet,
quòd non minus iuſtus quàm miſericors eſt, cui miſericordia, &
iudicium decantatur. Nam ad hoc reſpondendo dicimus: Verũ
Rom. 9. hoc,quidẽ,& illud etiam veriſſimum eſſe, quod dicit D. Paulus:
Cuius vult miſeretur,& quem vult indurat. Sed quod miſereatur
proprium illi eſt, ex ſe enim ſumit materiam, & velut quoddam
ſeminarium miſerendi. Nam quod iudicat,& condemnat, nos eũ
quodammodo cogimus,ita vt longe aliter de corde ipſius miſeratio,
quàm animaduerſio procedere videatur. F

Ezech. 18. Ipſum audi dicentem. Nunquid voluntatis meę eſt mors impij
dicit Dominus,& non magis vt conuertatur, & viuat? Recte
igitur illi proprium dicimus miſereri ſemper,& parcere,qui miſerendi,
& parcendi cauſam,& originẽ ſumit ex proprio: iudicandi
Simile. vero,& vlciſcendi magis ex noſtro. Quemadmodũ terræ propriũ
eſt eſſe immobilis,ex ſua enim natura ſemper ſtat iuxta illud: Ter
Eccleſ. 1. ra autẽ in æternum ſtat: ſi qñ vero mouetur hoc ei accidit ab extrinſeco:
ita etiam Deo proprium eſt ſtare, & in ſua miſericordia
tanquam in proprio centro contineri,ex quo non mouetur, niſi à
cauſa externa. Qñ enim peccamus, tunc eum quodãmodo à ſuo G
Iſa. 26. centro exire cõpellimus,vt debitis nos ſupplicijs afficiat: Sicut apparet
ex illo Iſaiæ, quo dicit: Ecce enim Dñs egredietur de loco
ſuo,vt viſitet iniquitatem habitatoris terræ, cõtra eum. Et quis eſt
locus eius,ex quo Dominus egredi dicitur? Miſericordia, pietas,
inquit gloſſa interlinearis,locus eius: hoc eſt eius centrum,ex quo
nos cum peccamus exire ipſum compellimus,vt nos caſtiget.

Huic Iſaiæ loco alius valde ſimilis reperitur apud prophetam
Michæ. 1. Michæam: Cum enim propheta iſte populo cõminari vellet ſupplicia,
quæ ſuper eum ventura erant. Quia ecce,inquit, Dñs egredietur
de loco ſuo, & deſcendet,& calcabit ſuper excelſa terræ. H
Quem locum exponens Nicolaus de Lyra, huic noſtro inſtituto
accõmodatiſſimè inquit. Proprium enim ipſius Dei eſt parcere,
& misereri: Et ideo locus eius dicitur miſericordia, a qua quodãmodo
videtur egredi, quando punit ſecundum rigorem iuſtitiæ.

Vt vero omnia hæc, quæ dicimus notiora fiãt, ante noſtros oculos
vnum proponamus omniũ noſtrum primum parentẽ Adam:
ante cuius peccatum non legimus quod Deus egrederetur è loco,
& cen-

A & centro suæ misericordiæ: Verum vbi primum ipse peccauit sta tim Deus egredi cœpit è loco suo. Namque statim ipse Adam au diuit vocem Domini deambulantis in paradiso ad auram post me ridiem. Ante peccatum nunquam eum Adam viderat, nec eius deambulantis vocem audierat. Erat enim tunc Deus in suo loco, erat in centro misericordiæ suæ, à quo non exibat: sed post peccatum statim discedere cœpit à misericordia, & ad iustitiam proficisci. Genes. 3.

Sed quomodo quæso, hoc? Non festinando: non currendo, immo non volando sicut homines facere solent ad sumẽdam vin-

B dictam, sed deambulando, vt vel sic ostenderet, suæ voluntatis mi nime esse contra hominem crudelitatis personam sumere. Sicut il le, qui inter duos terminos deambulat hùc atque illùc se se mouet, & deambulando sic ab vno termino discedit, vt repetito gressu ad illum redeat, à quo recessit: id, quod natura ipsius verbi, deambulo, manifeste ostendit: id enim est, deambulo, quod de loco ad locum ambulo: ita Deus post Adam peccatum, inter hęc duo extrema, misericordiam scilicet, & iustitiam iter faciebat. Verum quia licet ad iustitiam accedebat, non tamen à misericordia discedebat, ideo scriptura sacrà, vt hunc nobis in Deo effe- Simile.

C ctum significaret, ipsum Deum deambulantem inducit. Et cùm audissent, inquit diuina scriptura, vocem Domini Dei deambulantis in paradiso, ad auram post meridiem, abscondit se Adam, & vxor eius. Genes. 3.

Vide quid dicat: non solùm dicit, quod pijssimus Dominus deambulabat, sed quod deambulabat ad auram: & hoc etiã non summo mane, non meridie, sed post meridiẽ. Quæ oĩa Dei misericordiam redolent, & eius in castigando tarditatẽ manifestissime arguunt: hanc enim significat non solũ verbum deambulo, sicut diximus: sed illud etiam, ad auram, & post meridiem. Sicut enim Simile.

D qui ad ventum, & cõtra ventum ambulat impeditur, & detinetur à vento nè tàm velociter ambulet: Et sicut etiam si iudex possit ad puniendum reum summo mane, aut meridie venire, si post me ridiem veniat vergente iam ad occasum Sole signum est, quod non libenter puniat: ita etiam scriptura in eo quod nobis Deum deambulantem inducit ad auram post meridiem, nobis vult ostendere, clementissimum Deum omnes occasiones quæritasse, vt à castigando primo parente nostro Adamo, retardaretur. Adeo

enim illi displicebat, atque (vt ita dixerim) dolebat, quod hominem esset puniturus. E

O si ad conferendum aliquod in primum hominem beneficiũ Dominus iste tunc veniret: Quomodo, non dicam, deambularet, sed properaret, sed curreret, sed aduolaret: & hoc non post meridiem, non in meridie, sed mane. Bene nouerat hanc Domini sui
Psal. 142. conditionem, qui dicebat: & dicendo rogabat: Auditam fac mihi mane misericordiam tuam. Hanc eius in pręstanda, vel ad pręstandam misericordiam, velocitatem non ignorabat, quæ di-
Cant. 2. cebat: Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles, similis est dilectus meus capreę, hinnuloque ceruorum. F

Verum quid aliunde petimus exempla, vt hanc Dei proprietatem ostendamus, cùm in his nostrę Virginis verbis eam optime depictam habeamus? Et misericordia eius, inquit illa, à progenie in progenies timentibus eum. Quasi diceret non segnis, non tarda, non lenta est eius misericordia: sed ita velox, festina, & agilis, vt ab vna in omnes progenies summa pernicitate currat. Non enim ab vna in aliam, solum currere nouit, & ibi pedem figere: sed ab vna in omnes erumpere, atque exilire solet. Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. G

CAP. III.

Maria quia mater est misericordiæ, inde habet, quod Dei in miserendo proprietates tàm optimè explicet. Dei misericordia per Mariam in omnes generationes diffusa; & quænam sit hæc misericordia.

Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. Luc. 1. H



Non dubium quin nostra Virgo his suis verbis, bene nobis piissimi, ac clementissimi Dei, & Domini nostri proprietatem ante oculos proposuerit. Sed non mirum. Quis enim melius de natura, & cõditione huius Dñi, qui pater est misericordiarum, agere posset, quàm illa, quę mater est misericordię? An non misericordię mater, quę talibus

ab

A ab vniuersa ecclesia, quotidie verbis salutatur: Salue Regina mater misericordiæ? An non misericordiæ mater, quæ Christi mater est, per quem misericordiam à Deo consecuti sumus? Deniq; an non misericordiæ mater, quæ nobis quotidie misericordiam à Deo præcatur? Et præcando impetrat? Verè misericordiæ mater Maria, non solum propter hæc: sed etiam ex eo quia valde misericors est. Sicut enim phrasi hebraica Deus dicitur pater misericordiarum: idest, pater summè misericors: ita etiam Virgo, mater dicitur misericordiæ, quasi valde misericors. Simile.

Cum igitur Maria tãtis rationibus mater sit misericordiæ, ideo B de clementissimo Domino tàm bene loquitur: ideo eius in miserendo proprietatem tàm bene explicat. Et maxime cùm nosset scripturas propheticas, ipsius Dei in miserendo celeritatem, iam antea fuisse attestatas. Nouerat enim ad hoc illud Isaiæ spectare: Isa. 8. Voca nomen eius accelera, festina prædari. Et illud etiam: Ecce festinus velociter veniet, non est deficiens, neque laborans in eo. Et multa alia his similia, quibus abundè satis, hęc diuinę misericordię proprietas declaratur, quę ijs etiam Marię verbis tàm pulchrè nobis manifestatur. Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum.

C Vbi iam aduertatur oportet, quàm recto ordine, Maria agat de Dei misericordia à progenie in progenies diffusa. Sicut enim prius agitur de fonte, & postea de ipsius fontis aquæductu, & deinde de campis, qui aqua ex ipso fonte, & aquęductu profluente irrigantur: Ita Virgo primo loco egit de Deo, qui est totius misericordię fons, & origo: Magnificat anima mea Dominũ, Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Deinde egit de se ipsa tanquam de aquęductu per quem misericordia profluxit: Quia respexit humilitatem ancillę suę. Postremo loco egit de hominibus, ad quos misericordia ipsa, quę à diuino illo fonte per ipsam, D tanquam per aquęductum effluebat, abundè diffusa est. Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. Simile.

Sed quęnam hęc est misericordia, quę per Mariam ad homines usque diffusa est? Illa, quam Dauid tam instanter postulabat, & postulando dicebat: Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis. Quasi diceret Dauid: Ostendisti iam Domine sapientiam, potentiam, & iustitiam tuã. Potentiam quidem in mundi creatione ex nihlo, sapientiam, in

ipsius mundi tàm ordinata gubernatione,& iustitiam in peccatorum punitione,sicut in diluuio,& in subuersione Sodomæ, & Gomorræ: Nunc solùm restare videtur, vt misericordiam tuam etiã ostendas, in filij tui incarnatione. Vnde præcor, vt hanc nobis misericordiam ostendere velis: Ostende nobis Domine misericordiam tuam. E

Hæc igitur est misericordia,quam à Deo, per se ipsam, ad homines vsque diffusam esse Maria testatur: Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. Quasi diceret (sicut exponit glossa interlinearis.)Et misericordia eius in me incepta dilatatur à progenie in progenies. hoc est,ex me, quæ sum Iudæa natione,in omnium gentium nationes diffunditur. F

Simile. Hoc verò quàm apte Virgo dixerit, bene noscet, qui sciuerit Dei misericordiam esse, velut cuiusdam perennissimi fontis aquã, quæ in multas partes,& riuulos deriuatur: & propter hoc forsan à Salomone hortorum fonti comparatur: fons hortorum puteus aquarum viuentiũ: Sicut.n.fontis hortorũ aqua in multos riuulos deriuata omnium arborum,plantarum,olerum, & herbarum pedes ita irrigat,vt nulla earum remaneat,quam aqua ipsa non attingat: ita Dei misericordia tanquam aqua fontis hortorum, in omnes homines sic profluit, vt nullus eorum sit (dummodo tamen Deum timeat) quem misericordia ipsa intactum derelinquat. G

Cant. 4.
Simile.

CAP. IIII.

Dei misericordia,quæ æqualiter omnibus parata est,inæqualiter hominibus eorum exigentibus meritis exhibetur.

Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. Luc. 1. H



SI Nostrę Virginis verborum vbertatem,diligenter pensamus, meritò ea perenni fonti poterimus comparare. Sicut enim ex fontibus largis, & perennibus scaturientibus fluentis,quò quis plus aquæ hauserit, eò magis scaturiunt: Ita ex Mariæ verbis quò quis plus sumpserit, eò magis indicibiles inuenit diuitias. Reperimus enim in eis, Dei non so-

Simile.

lum

A lum in miserendo proprietatem,& ad beneficia conferenda inexplicabilem celeritatem: sed etiam quantum ipse Deus omnibus sit æqualis. Non enim respicit personam hominum (sicut etiam apud Matthæum de Christo profitebantur Pharisæorum discipuli,& Herodiani,) sed omnibus misericordiæ suæ sinum aperit. Græcus sit Iudæus sit, Barbarus sit, Schita sit, masculus sit, fœmina sit, liber sit, seruus sit, nobilis sit, ignobilis sit, denique magnus sit, paruus sit. Nemo ab eius gratia excluditur, sed ea (omni personarum acceptione prorsus exclusa) in omnes abunde diffunditur. Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. Matt.22.

B Quemadmodum agricola seminans, campum non discernit, vt in altera eius parte seminet, sed vtrobique procijcit semina, ita etiam Deus, vt suam misericordiam hominibus exhibeat, non diuitem, aut pauperem: non ingeniosum, aut rudem: non fortem, aut ignauum: non denique diligentem, aut desidem discernit, sed omnibus æqualem se se præbet: Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. Simile.

Si vero obijcias non omnes, ipsius Dei frui misericordia,& maximè cum eius iustitiam multi experiantur. Respondetur, hoc ex C ipsius Dei culpa minime prouenire, qui semper paratus est, ad misericordiam omnibus hominibus exhibendam: sed ex ipsorum hominum culpa, qui suis peccatis, ipsius Dei iustitiam, aduersus se ipsos prouocant. Deus enim cùm natura sua misericors sit, naturaliter hominibus exhibet misericordiam: vltionem vero,& iustitiam non nisi ab ipsis hominibus prouocatus. Sicut enim mater modo lactat filium, modo nutrit, & fouet: modo verò flagellat, & increpat: magis tamen procedit à pietate materni pectoris fouere,& nutrire, quàm flagellare,& increpare. Illud enim naturali pietate facit; hoc vero à filio prouocata. Ita etiam Deus cùm D naturaliter bonus sit, naturaliter exhibet pietatem: hominum vero peccatis prouocatus vltionem, quod quidem (sicut diximus) nõ prouenit ex eius culpa, sed hominum, qui se ad misericordiam disponere nolunt, quæ ęqualiter omnibus parata est. Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. Simile.

Quemadmodum Sol ad illuminationem omnibus ortus, sine inuidia porrigit suos radios, cunctósque illuminari permittit: Si qui autem oculos claudentes videre eius fulgorem nolunt, nõ id- Simile.

circo reprehendendus est Sol,vel à cęteris despiciendus, aut gloria sui splendoris propter illorum inhonorabitur stultitiam, sed illi potius,qui se lumine eius priuant. Ita etiam diuina misericordia more Solis omnes illuminat, cunctos illustrat, & sui fulgoris radios ad vniuersos diffundit: Si qui vero sunt, qui suæ mentis oculos, diuinæ misericordiæ claudere volunt, ipsa non ideo reprehendenda est,vel ab alijs despicienda: sed illi Solum, qui splendorẽ diuinæ misericordiæ percipere nolunt,quæ (Virgine nostra teste) omnibus parata est. Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. E

Hoc tamen,quod dicimus non ita intelligendum est, quasi diuina misericordia eadem mensura, & pondere omnibus exhibeatur. Nam licet Deus,erga omnes misericordia vtatur: tamen erga timentes se perfectiori ipse vtitur misericordia. Sicut enim ille,qui multos habet filios, & seruos simul, cibis alijs ipsos seruos pascit,& alijs ipsos proprios filios ex semine suo natos, quia filij sunt,& hæredes. Ita Deus, qui verus est Dominus, & multos non solum filios, sed etiam seruos habet: seruos, qui eum timent timore seruili, licet erga seruos misericordia vtatur, tamen multò differentiori,erga filios vtitur misericordia,; & tali misericordia, quæ semper durabit, & misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. Quod idem est, ac si Virgo diceret (sicut iam superius ex Theophylacto, & multò clarius ex Euthymio adnotauimus) Dei misericordia erga timentes eum semper durabit,non solum in præsenti sæculo,sed etiam in futuro. F

Simile.

G

C A P. V.

Deus timentes se,non solùm in hac vita, sed etiam in futura misericordia sua oculis respicit. H

Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. Luc. 1.


ADeò beneplacitum est Domino super timentes se, vt misericordiæ suæ oculis eos, non solum in præsenti: sed etiam in futuro respiciat. Et hoc forsan est, quod Deus ipse,per Isaiam voluit significare,cùm dixit: Ad quem autem respiciam

Isa. 66.

A spiciam nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos? Quasi diceret, ad nullum alium quàm ad humilem, & timentem me, respiciam. hoc est, iterum, atque iterum aspiciam. Semel videlicet, in præsenti, & iterum in futuro.

Quod autem hæc sit Dei nostri conditio optimè Regius propheta significauit, cùm dixit: Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ. Nè quis vero existimaret, Dei misericordiam in præsenti solum vita suos subsequi solere, protinus addidit: Et vt inhabitem in domo Domini in longitudine dierum. Ac si diceret (sicut præter alios Patres hunc psalmi locum expo- Psal. 22.
B nit D. Theodoretus) Mon solum tua me misericordia in præsenti vita subsequetur. Sed etiam in futura. Et hoc ipsum est (sicut sæpe iam diximus) quod Virgo nostra vult significare cùm dicit: Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. Verum his omissis, iam in sequenti capite videamus, de quonam Dei timore, hæc nostræ Virginis verba intelligere debeamus. Theod.

CAP. VI.

C *Enumeratis quatuor timoris generibus, ostenditur de quonam eorum Virgo loquatur, cùm de timentibus Deum mentionem facit.*

Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. Luc. 1.



Vatuor genera timoris hunc locum explicans adducit Hugo Victorinus in suis ad notationibus elucidatorijs super magnificat. Primum timoris seruilis, secundum timoris mundani, tertium timoris initialis, quartum ti- Hug. Vict.
D moris filialis. Et D. Thomas (magistrum sentẽtiarum secutus lib. 3. dis. 34.) 2. 2. q. 19. ar. 2 totidem timoris modos diuerso tamen ordine enumerat, ponens primo loco timorẽ mundanũ, & quarto loco timorẽ initialẽ. Qm̃ vero de Dei timore, etiam Mariæ sermo est, nõ erit abs re, si de oĩbus his timoris modis particulariter dicamus: vt vel sic postea, tandẽ facilius intelligamus, de quonam ex his timore nostra Virgo loquatur cum dicit, timentibus eum. D. Thom. Petr. Lom.

Quod igitur attinet ad timorem mũdanum (ab hoc enim libet initium

Hug. Vict. initium sumere) is secundum Hugonem Victorinum loco citato E
est, quando pro vitanda pęna abstineiur à bono retenta voluntate
Isido. bona; Vel est (secundum Isidorum in prologo super psal. 127.)
quando timemus pati pericula carnis, vel perdere bona mundi,
propter quod delinquimus. Hoc modo timuisse D. Petrus inuentus
D. Greg. est, qui (teste D. Gregorio) quia mori timuit vitam negauit.
Pilatus etiam hoc timore peccauit, qui nè amicitiam Cęsaris amitteret, vitę autorem morti tradidit, cùm reuera sciret ipsum esse innocētissimum. Et ideo de hoc timore, qui semper malus est, apud
Mat. 10. Mathæum sic scriptum est. Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt, occidere. Hoc est, propter timorem amittendę vitæ Deum nequaquam offendatis. F

Secundum genus timoris, quod est timoris seruilis, secundum eundem Hugonem est, qñ pro euitãda pęna, abstinemus à malo.
D. August. Et ex sententia D. Augustini, quæ prorsus in idem recidit, est qñ propter timorem gehennæ cõtinet se homo à peccato, quo pręsentiam iudicis, & pęnas metuit, & timore facit quidquid boni facit: non timore amittendi æternum bonum, quod amat: sed timore patiendi malum, quod formidat. Habet hoc timoris genus pro suo obiecto malum pœnæ, vel æternę, vel temporalis, vt si quis vel propter timorem inferni, vel quia timebat gloria priuari, vel G
ipsam diligebat, vel etiam, si propter aliquod damnum, quod sibi timebat euenire, desisteret à peccato.

Hug. Vict. Hoc timoris genus, quamquàm Hugo Victorinus loco citato
D. August. dicat, quod est malum simul cùm primo: tamen D. Augustinus,
Pet. Lom. Magyster Sentētiarum, & D. Thomas eisdem locis dicunt, quod
D. Thom. bonum est. Et contrarium dicere, iam nunc ex determinatione Concilij Tridentini sessione 6. canone 8. esset erroneum, ibi enim sic dicitur. Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccatis abstinemus, esse peccatum, aut pecatores facere, anathema sit. Com- H
Mat. 10. mendauit nobis Christus hoc genus timoris cum dixit: Eum timete, qui postquam occiderit corpus, potest corpus & animam mittere in gehennam ignis.

Tertium timoris genus, quod est timoris initialis, ex sentētia
D. Thom. D. Thomæ loco citato est, quando propter timorē tàm pœnę, quã culpæ abstinemus à peccato, quia enim eã pœnã, quam Deus cominatur, declinare satagimus, nequaq̃ nobis sufficere videmus,

vt ab

A vt ab illicita nos solum operatione contineamus, quia ei, qui cor intuetur, non est satis ad probationem, si innocens fuerit actio, nisi simul ante eius oculos ipsa cordis cogitatio, syncera, atque impolluta appareat. Quia ergo illi displicere metuimus, qui videt totum ad perfectam innocentiam coram eo necesse esse consideramus, vt mundemus totum. Et ideo ipse timor initialis dicitur, quia ab hoc per bonam voluntatem, & virtus initium capit, & vitium finem, nec dum tamē perfectio est: quia dum aliud agitur, & aliud intenditur, ipsum adhuc propter se bonum, nō amatur. Tunc accedit charitas, & intrat per timorē istum, qui dum monstrat, quod
B fugere debeamus periculum, quodāmodo appetere, & desiderare facit præsidium. Conuertimus ergo cor ad Deum, vt quodāmodo de ipso fugiamus ad ipsum, & quem cauemus habere iratum, studeamus habere propitium.

Quartum timoris genus, quod est timoris filialis, tunc est quando homo abhorret culpā, non propter pęnam, quā Deus culpam cōmittenti cōminatur, quod est propriū timoris seruilis, sed propter offensam Dei tantūmodo, quod est proprium timoris filialis. D. Augustinus in psal. 127. vt doceat quid intersit inter hunc filialem timorem, & seruilem hac vtitur similitudine. Pone, inquit D. Aug.
C D. Augustinus, aliquā fœminam castam timentem virum, aliam pone adulteram, & ipsa timet virum. Castà timet nè discedat vir, adultera ne veniat. Sed hoc etiam multo clarius idem Augustinus tractatu nono in epistolam Ioannis. Non potest, inquit melius explanari, quid intersit inter duos timores, castū, & eum quē charitas foras mittit, quam si ponas duas maritatas, quarum vnam constituas volentem facere adulterium, delectari nequitia, sed tamen nè damnetur à viro, huic onerosa est viri præsentia: tales sunt qui timent nè veniat dies iudicij, ne damnentur: fac alteram amare virum, debere illi castos amplexus, & nulla se adulterij immun
D ditia maculare, optat præsentiam viri. Vtraque timet, vox vna, diuersus animus, illa timet ne veniat: ista timet nè discedat. Ex quib⁹ omnibus bene cognoscitur quantum intersit inter timorem seruilem, & filialem, qui nascitur in nobis ex succedente charitate, ita vt ipsum timere, nihil aliud sit, quam degustatum in charitate bonum, iam nolle amittere.

Marginalia: D. Aug. — Simile. — D. Aug. — Simile.

Cum vero hic timor duos habeat actus, vnum secundum statum viæ, qui est timere separari, alium secundum statum patriæ,

qui

qui est reuereri, tūc fit vt aliquid pęnæ secum adiunctum habeat, E
dum in incerto laboramus, & potest in vtramque adhùc partem declinare status vitæ nostræ. Nā si alicui viatori reuelaretur, quod esset in gratia confirmatus, & deberet saluari, hic talis non haberet hanc pænam, cum iam non timeret separari, sicut videtur aper
Rom. 8. tissimè in beatissimo Paulo, qui ad Romanos scribens ait: Certus sum enim quia nec mors, nec vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtus, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu domino nostro. Habebat beatissimus Paulus hanc certitudinem, & ideo non time- F
bat separari.

Sed quid dico de Paulo? Id etiam habebat Virgo beatissima, imo multò excellentius habuit, quàm Paulus, qui (sicut super mis
Alb. Mag. sus est cap. 106. loquitur Albertus Magnus) beatissimæ Virgini nequaquam coæquaretur, quia (sicut ille ait) illa Pauli certitudo esset per scientiam, & per effectum, per posterius: certitudo autem beatissimæ Virginis, qua sciuit se nō separari, fuit per modum causæ: sciuit enim se in vtero sanctificatam: sciuit se matrem Dei esse effectam, & sciuit se non peccasse, & de cætero non posse peccare, & sic sciuit se separari non posse, per modum causæ. G

Ex his patet quomodo illi, in quibus hæc certitudo fuerit non timebunt separari, in illis vero in quibus non fuerit, timor iste tūc cessabit, cùm mutabilitas nulla erit. Tùnc enim nulla ex incerto suspitionis pęna inerit, & tùnc timor quodammodo sine timore erit, vbi & de stabilitate certi erunt, & tamen reuerentiam creatori exhibere non dessistent. At hęc de his quatuor timorum generibus, iam dicta sufficiant. Nunc videbimus de quonam ex his timoris generib' hoc intelligitur, quod Virgo dicit: timentib' eum.

Hug. Vict. Hugo Victorinus loco citato hæc verba explanans, Ergo, inquit, misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum: H
nec solùm timentibus perfecta charitate: sed etiam timere incipientibus, & per inchoantem sapientiam se conuertentibus. Ve-
Nicu. Lyr. rum Nicolaus de Lyra de timore filiali, & casto hunc locum intelligit. Nec immeritò. licet, enim Dei misericordia, hoc est, incarnationis beneficium, se extendat ad omnes quantum ad sufficientiam: tamen quantum ad efficaciam non se extendit, nisi tantum ad iustos timentes Deum timore filiali, & casto. Et ideo vbi
Virgo

A Virgo dixit: Et misericordia eius à progenie in progenies statim subdidit: timentibus eum: hoc est, timore filiali, & casto.

CAP. VII.

Dei misericordia per omnes transit, sed in solis Deum timentibus conquiescit. Ipsa Dei misericordia duplex est: vna generalis, & altera specialis.

B Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. Luc. 1.



Liam Dei, & eius misericordię proprietatem sub his verbis Virgo nobis demonstrauit, quæ talis est: nempe, quod licet aquæ istæ, & aquarum riuuli diuinæ misericordiæ per omnes trāseant, tamen in solis Deum timentibus conquiescunt. Nam Deus cum velit omnes homines saluos fieri, omnibus suam gratiam, & misericordiam offert. Verum hæc C in malis solum pertransit, quia isti non eam recipiunt, non acceptant: sed solum iusti, & timorati in quibus ipsa conquiescit, quia ipsi eam amplectuntur. Sicut enim quando pluit, aqua per totum transcurrit: Verumtamen in ea sola terrę parte sistit, in qua maiorem concauitatem, & profunditatem inuenit: ita Dei misericordia per omnes quidem currit, & discurrit: currit per elatos, & timoratos: discurrit per humiles, & superbos, verumtamen in solis humilibus, & timoratis conquiescit tanquam in suo proprio loco, tanquam in suo vltimo termino, tanquam in suo centro. Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. Simile.

D Neque mihi obijcias: Dei misericordia omnibus cōmunis est: Ergo quòd circa solos Deum timentes remaneat falsum omnino est. Nam Deus cum omnia possit, & omnia quæ sunt diligat, neque aliquid eorum, quæ fecit, odiat, sine aliqua prorsus acceptione omnium miseretur. Et de hac eius vniuersa, & cōmuni misericordia illud intelligitur, quod sub his verbis apud sapientem dicitur: Misereris omnium, quia omnia potes: diligis omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti. Sap. 11.

Pro

Pro huius obiectionis faciliori responsione aduertendum est, E
duplicem esse Dei misericordiam: vnam generalem,& aliam specialem. Generalis misericordia est illa, qua Deus benefaciendo vni, vel pluribus benefacit etiam vniuersis. Et secūdum hanc Dei misericordiam, non potest vnus, aut plures bonum suscipere, quin omnes etiam illud bonum suscipiant: sicut patet de pluuia, de aeris salubritate, de abundantia rerum è terra nascentium, & deniq; de omnibus similibus,& cōmunibus accidentibus. Et de ista generali Dei misericordia dicendum est, quòd Deus vtitur illa tàm erga bonos, quàm etiam erga malos: & de tali misericordia intelligitur, tum illa sapientis autoritas in contrarium adducta: tum F
etiam illa Christi Domini sententia, qua erga omnes misericor-
Mat. 5. diam cōmendans dixit: Estote misericordes, sicut & pater vester cœlestis misericors est, qui solem suum facit oriri super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos.

Quod vero attinet ad misericordiā Dei specialē, hæc est, qua à Deo beneficium confertur vni, vel pluribus, nō tamen omnib⁹, sed specialiter à Deo determinatis, & de ista misericordia loquitur hic nostra Virgo,& de hac etiam nos loquimur cùm dicimus Dei misericordiam apud solos Deum timentes remanere. Cum enim hic agatur de Dei misericordia in filij Dei incarnatione hominibus exhibita, hac Dei misericordia illi solum specialiter perfruentur, qui se ad illam præparabunt,& Deum timebunt. Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. G

CAP. VIII.

Dei timor an maneat in patria: ipse Dei timor in hac vita semper est hominibus necessarius.

H

Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. Luc. 1.

QVoniam superius iam diximus, hæc Mariæ verba intelligi de timentibus Deum timore filiali,& casto, restat hoc loco nobis videndum, an huiusmodi timor remanere etiam debeat in beatis post hanc vitam, sicut misericordia

A ſericordia de qua dicit noſtra Virgo: & miſericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. Et dicendum eſt, quòd remanebit:id regio propheta ſic atteſtante. ac dicente: Timor Domini Sanctus permanet in ſæculum ſeculi. Verumtamen non ita remanebit, vt habeat omnes ſuos vſus: Et illum duplicem actũ, quem habet timor filialis, & caſtus ſecundum ſtatum huius viæ. Pſal. 18.

Neque incontrarium eſt Auguſtini, & Bedæ autoritas, quorum Beda ſuper illud prouerbiorum: Timor Dñi principium ſapientiæ: dicit quod omnis timor in futuro ceſſabit. D. Auguſtinus veto ſuper illum locum pſalmi: Adorabo ad templum ſanctum tuũ B in timore tuo. timorem Dei defiturum eſſe dicit, ſub his verbis. Timor Domini eſt magnum præſidium proficientibus ad ſalutẽ, ſed peruenientibus foras mittitur. Beda. Prou. 1. D. Auguſt. Pſal. 5.

Quæ D. Auguſtini, & Bedæ ſententiæ non ita intelligendæ ſunt, quaſi timor filialis, & caſtus defiturus ſit in futuro ſecundum duplicem illum actum, quem habet, ſed ſecundum vnum tantum. Cum enim timor filialis (ſicut diximus) habeat duos actus, vnũ ſecundum ſtatum huius vitæ, qui eſt timere ſeparari: alium ſecũdum ſtatum patriæ, qui eſt reuereri. Secundum primum actum deſinet in futuro, vbi iam nulla timetur ſeparatio, aut offenſio, & C in hoc ſenſu ſunt intelligendi D. Auguſtinus, & Beda. Secundũ alium vero actum remanebit, quia licet beati certiſſimi ſint, quòd ſtatum beatificum non amittent: tamen reuerentialem quendam Dei timorem habent, quo ipſum Deum venerantur.

O ſi hoc modo Deum timere iam nobis contingeret. Sed heũ, & iterũ heu, imò infinities heu, quia ſic viuimus, ſic in hac lachrymarũ valle vitam traducimus, tanta ſecuritate, tanta animi noſtri trãquillitate, quaſi iam ibi ſimus, vbi q manent, iã ſunt de ſtabilitate ſecuri. O lugendã noſtram inſaniã. tanti laquei obiecti ſunt ante pedes animæ noſtræ. tam innumeri hoſtes obſeruãt, & cuſto D diunt iter noſtrũ, tantę foueę, & tãta ꝓrupta, tãtę rerũ difficultates inter iacẽt, inter nos, & finẽ noſtrũ. Via ipſa, quæ per ſe ardua, & arcta eſt, tantis ſpiritualium latronũ inſidijs obſidetur, tantos nos ſcopulos, tantos fluctus tranſire neceſſe eſt, & videre: antequam anchoram optato in littore collocemus: & putamus iam nos eſſe ſecuros? Putamus ſine quotidiana anxietate, & cura, ſine quotidiano timore, & tremore nos dies noſtros trãſigere debere? Quis, q̃ſo, trãſiens ſuper alicuius ꝓfunda fluminis, per arctiſſimi põtis angu- Simile.

ſtias,

stias, etiam si maiorem partē in offenso trāsmiserit pede, periculū E
euasisse se credat, cùm in vltimo pontis spatio si paululum titubauerit, casum, quem in medio timebat spatio, incurrit? Quis in acie positus ante finem certaminis, aut ante victoriæ sententiam arma deponit? Nemo hoc facit, & nos tàm securi viuimus, tantam fiduciam in nostra vita præsumimus, quasi omne iam euaserimus periculum: Vere non hæc est via, quæ ducit ad vitam.

Quid ergo, inquies, nobis faciendum est? Quid? timendum: & non tam pernitiosa securitate in tanto vitę discrimine, viuendum. Quia cum adhuc in incerto laboremus, non est cur tantopere de

Simile. securitate confidamus. Sicut mercatores inter nauigandum, quan F
tumuis ventum prosperum, & mare tranquillum habeant, tamen antequam ad portum perueniant semper metuunt, nè quoquo modo repente contrario vento excitato fluctibus æstuet mare, & nauis periclitetur: sic nos antequam ad salutis portum perueniamus, semper Dei timorem præ oculis habeamus, & à nostra Virgine admoniti ipsum dominū timeamus, vt vel sic eius misericordiam nobis acquiramus, quam verè timentes semper consequentur: Et misericordia eius à progen:e in progenies timentibus eum.

CAP. IX. G

Homines Dei timore saucij, ab ipsius Dei offensa facile abstinent. Dei timor habentibus, & non habentibus gratiam, est maximè necessarius.

Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. Luc. 1.

MAgnus ille Rex, & propheta Dauid, cum tàm sanctus, & iustus esset, vt secundum cor domini inuentus esset, cùm animam Dei timore haberet transfixam, corpus etiam eodem timore sibi trāsfigi, ab ipso Deo in- H
Psal. 118. stantissime postulabat: Et nos cùm tàm peccatores simus non timemus? confige timore tuo carnes meas: dicebat Dauid. Quasi diceret anima mea tuo timore induta est: Sed quoniam corpus in hanc consurgit, eiusq; mēbra, obsecro vt hoc tuo timore ita configantur, vt ipsa membra mortua peccato facta, animæ ducatum sequantur.

A sequantur. Et ideo, confige, rogo, timore tuo carnes meas. O vtinam corpus, & animam tali timore transfixa haberemus, quàm diligenter omnem Dei offensam non solum euitaremus: sed etiã Dei voluntati nos totos traderemus. Quemadmodum ille, qui clauos co:pori infixos habet, doloribus pressus non facile quicquàm agere potest: ita nos si Dei timore confixi simus, non oculo vti pręter decorem, non manus ad nefarias mouere actiones, non denique paruum aliquid, aut magnum contra Dei voluntatem agere poterimus. Simile.

Nostram igitur Virginem audientes, & ex eius verbis Dei misericordiam minime concedi intelligentes, nisi timentibus eum; B Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum: ad hunc nos timorem disponamus, eumque ante mentis nostræ oculos semper habeamus: siue enim in Dei gratia simus, siue extra illam, tamen semper timere debemus: in gratia nè Dei amorem amittamus: extra gratiam nè debitas pro nostris peccatis pœnas incurramus. Licet enim cùm in gratia sumus ex vna parte lætari debeamus: tamen ex alia parte est, cur maximè timeamus. Quemadmodum si quis magnum habens thesaurum proficscatur ad loca, in quibus sunt latrones gaudet quidem propter opes, & C thesaurum: & nihilominus metuit nè quo pacto latrones irruant ad deprædandum illum. Ita nos cùm in gratia sumus gaudere debemus: sed ita gaudere vt simul etiam timeamus, nè quoquo modo illam amittamus. Simile.

Si vero dum in gratia sumus, ita timere debemus, in quanto timore, simul & tremore nos esse oportet cùm extra illam sumus? In quanta tunc animi anxietate nos esse decet? Verè in tanta quãtum est periculum, in quo sumus. Sicut ille contra quem mortis sententia, iam pronuntiata est, semper est pauidus, & quoties D portas carceris aperiri audit, toties tortorem venire iudicat, qui eum ducat ad supplicium, ita nos cùm extra gratiam sumus, semper in maximo timore, & tremore esse debemus, nè æternis à Deo supplicijs statim deputemur. Simile.

X CAP.

E

CAP. X.

Conuerso ad Mariam sermone, eidem supplicatur pro impetrando nobis Dei timore, quo eius misericordiam consequamur.

Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. Luc. 1.

NON Miror Virgo beatissima, non miror Virgo pijssima si paucissimis verbis tuis Dei misericordiam, & eius proprietates tàm bene comprehendas, & eius simul in hominibus necessarium timorem, nobis tàm pulchrè ostendas: quia tu non solum misericordiæ mater es, sed timoris, & cùm vtriusque mater sis, hinc est quod de vtroque tàm bene elocuta sis, Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris dicebat quidam de te, & tuo iam tunc Virgo nomine in spiritu sancto prophetando, & te matrem pulchræ dilectionis, & timoris nominando: timoris, inquam, & non qualiscunque timoris, sed timoris salutaris, timoris verè filialis, quo tu dilectissima Dei filia, ipsum Deum patrem tuum, non solum summè venerabaris, sed etiã reuerebaris, Hunc tu nobis timorem, & talem timorem Virgo impetra, te Domina mediãte habemus, quidquid boni habemus: per te etiam habeamus hunc timorem, quo omnes tantopere indigemus, vt huius misericordiæ participes simus, quæ in Deo à te tam optimo iure laudatur: & tàm iustè non nisi ipsum Deum timentibus datur. Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. Quid de nobis Virgo erit, si non timemus? Si enim non timemus, ex tua sententia sine Dei misericordia omnino remanemus. Eia ergo aduocata nostra, eia tota fiducia nostra, eia tota ratio spei nostræ, impetra nobis, quæ sumus, impetra, supplicamus, vt Deum sic timeamus, vt sine eius misericordia nequaquam remaneamus. Pro hoc tu Virgo timore, Deum patrẽ pro nobis non solum roga, sed cùm dilectissimo tuo filio vnico Domino nostro etiam fac, vt ipse quoque pro eo nobis impetrando amantissimum patrem suum roget. Quid enim apud talem patrem filius talis non obtineat? Exaudietur vtique pro sua reuerentia,

Ecclesi. 24 F G H

A tia, pater enim amat illum: Exaudieris etiam tu à filio pro tua reuerentia: & non tantum à filio, sed etiam à patre. Apud ipsum ergo tu pro nobis Virgo deprecare: suauissimis, & iocundissimis tuis precibus cum illo fac, vt configat timore suo carnes nostras: à iudicijs enim tuis Virgo timemus, à tua sententia formidamus, & à verbis tuis pauemus. Ex his enim clarissimè intelligimus nos miseros sine Dei misericordia remansuros, si eius timorem non habeamus. Hunc tu timorem Virgo habuisti: huius tu mater extitisti, hunc tu nos fac habere, per eius amorem, quem in tuo vtero Virgo intemerata concepisti. Sicut enim si hunc timorem non B habemus, omnino sine Dei misericordia remanemus: ita illum si possidemus, quòd sine Dei misericordia simus, iam amplius nō timemus. Quia per illum, aut propter illum Deus nostri, eo modo misereri dignabitur, quo illi misereri proprium est. Scimus enim Virgo beatissima, scimus Virgo pijssima, quod misereri multò aliter dicitur in Deo, quàm in nobis. In nobis enim ipsum misereri, est alienæ miseriæ compati: in Deo autem multò aliter per omnem modum: quia cùm in eo nec passio, nec compassio vlla esse possit, in eo nihil aliud est misereri, quàm nos à nostris miserijs releuare, & releuando nobis miseris tale bonum dare, quale no- C bis opus est, vt miseri esse desinamus, id, quod solum inuenitur in gloria, in qua Iesus Christus filius tuus Dominus noster cum Patre, & Spiritu sancto viuit, & regnat Deus per infinita sæculorum sæcula. Amen.

Psal. 118.

Simile.

FINIS LIBRI QVINTI.





DE VERBIS DOMINAE

AD ELISABETH COGNATAM.

LIBRI SEXTI.

CAP. PRIMVM.

Verbum fecit, in præterito à Virgine prolatum, an in præterito, sicut est, an vero in futuro accipiendum sit. Per Dei brachium eius fortitudo, siue eius filius significatur. Dispersit, per quos Dæmones, Iudæi, & alij superbi intelliguntur, an dispersi dicendi sint, mente cordis sui: an mente ipsius Dei. G

Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui. Luc. 1.



ABVNDE Satis Dei misericordiam, per diuini Verbi incarnationem, Deum timentibus exhibitam, in superioribus Virgo ostendit: hoc præsenti versiculo, & alijs duobus proximè subsequentibus, iam incipit ostendere, quid Deus altissimo incarnationis mysterio erga genus humanum facere decreuerit. Et huius rei gratia in hunc modum ipsa Virgo exorditur. Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui. H

Circa quæ Mariæ verba hoc imprimis est adnotandum, quod verbum, fecit, in præterito positum, pro futuro hoc loco a nonnullis accipitur. Et in hoc sensu præter alios hunc locum exponit D. Eusebius Emissenus homilia feriæ sextæ ante quartam Dominicam Aduentus. Et Nicolaus de Lyra super hunc locum: vbi dicit

D. Euseb. Emiss. Nic. Lyr.

A dicit quod Virgo hic loquitur de futuro per modum præteriti propter certitudinem euentus suæ prophetiæ. Et in hac sententia fuit etiam autor glossæ interlinearis, quem Sixtus Senensis lib. 4. suæ bibliothecæ sanctæ affirmat fuisse Anselmum Laudunensem natione gallum, cognomento scholasticum, qui sequentis versiculi verbum, deposuit, in pręterito, in futuro, pro deponet interpretatur. Vnde iuxta hanc sententiam dici potest, quod spiritu prophetico hoc loco, à Virgine illa canuntur, quæ per incarnationẽ Verbi facienda erant, ac propterea quòd ab ipsa Virgine in pręterito canuntur, tanquam iam facta, eo quod iam iam facienda erãt, B & quia iam erant facta inchoatiue, & in sua radice. Six. Sen. Ansel. Laudun.

Verum (sicut sapienter quidem super hunc locum adnotauit Cornelius Iansenius) simplicius, & rectius hęc verba intelliguntur in sua generalitate, & vt præterita, sicut eadem ipsa verba sonant. Sicut enim mater Samuelis Anna in suo cantico, post prædicatam singularem Dei in se benignitatem, ex plenitudine deuoti cordis, procedit ad laudandam generaliter Dei potentiam, & iustitiam in varijs pręcedentibus operibus frequẽter declaratam, dum similia his canit, quæ hic habentur, & canendo dicit. Arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt robore, repleti prius C pro panibus se locauerunt, & famelici saturati sunt; & id genus alia. Ita etiam in præsenti cantico Virgo fecisse videtur. Non tamen his versibus solum intelligendum est, ea cani, quæ præterita erant, sed simul etiam futura. Namque verborum spiritus sancti ea est vbertas, vt eisdem verbis simul plura, ad diuersa tempora pertinentia, significẽtur. Itaque si verbũ, fecit, hoc loco, pro præterito, sicut ipsum sonat, accipiendum est: Istorum verborũ, videlicet: Fecit potentiam in brachio suo: talis est sensus. Per virtutem, & fortitudinem suam, siue per filium frequenter operatus est, & mirabilia designauit. Cor. Ianf. 1. Reg. 2.

D Per Dei vero brachium, ipsius Dei virtutem, fortitudinem, & robur: siue Dei filium, ideo declaramus. Quia ipsum Dei brachium, pro vtroque in diuina scriptura passim accipitur: in qua verba illa: Ego Dominus, qui educam vos de ergastulo Ægyptiorum, & eruam de seruitute, & redimam in brachio excelso. Et illa: Memento quòd ipse seruieris in Ægypto, & eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti, & brachio extento. Et illa: Nolite timere Deos alienos: sed Dominum Deum vestrum, qui Exod. 6. Deut. 5. 4. Reg. 17.

eduxit vos de terra Ægypti in fortitudine magna, & in brachio ex- E
Psal.43. tento. Et illa. Brachium eorum non saluauit eos, sed dextera tua,
Sap.11. & brachium tuum. Et illa virtuti brachij tui, quis resistit? Et illa
saluauit mihi brachium meum. Et denique infinita prope alia,
quæ his similia in ipsa scriptura sacra reperiuntur: Dei virtutem,
& fortitudinem significant.

Nec desunt etiam multa alia loca, in quibus Dei brachium,
pro ipso Dei filio accipitur. Et in hoc sensu planè intelliguntur
Psal.70. verba illa psalmi: Donec annuntiem brachium tuum generationi
Isa.40. omni, quæ ventura est. Et illa: Ecce Dominus Deus in fortitudi-
Isa.53. ne veniet, & brachium eius dominabitur. Et illa: Et brachium F
Domini, cui reuelatum est? Quæ Isaiæ verba (vt multa alia his
similia interim omittamus quæ de Dei filio aperte intelliguntur)
D. Ioannes Euangelista de ipso Dei filio expresse intellexit. Red-
dens enim Euangelista rationem, propter quam increduli Iudæi
Ioan.12. Christo non credebant. Cùm autem, inquit, tanta signa fecisset
coram eis non credebant in eum, vt sermo Isaiæ prophetæ imple-
retur, quem dixit. Domine quis credidit auditui nostro? & bra-
chium Domini cui reuelatum est?

Cum ergo Dei brachium vtrumque significet. Hinc est quòd
ex patribus, qui hunc locum explanant, alij pro Dei fortitudine: G
alii vero pro Dei filio, brachium in præsentiarum interpretantur.
Inter eos, qui Dei brachium hoc loco pro eius fortitudine inter-
D.Eu.Em. pretati sunt, est D. Eusebius Emissenus homilia supra citata, quo
loco: fecit enim, inquit, potentiam Dominus in brachio suo, id
est, in virtute, & fortitudine sua, quia diabolum vicit, & infernum
spoliauit, & sanctorum animas secum ad cœlestia vexit. Denique
Beda. ne in referendis aliorum Patrum sententijs multi simus, eiusdem
Euthy. sententiæ est Venerabilis Beda. homilia feriæ sextæ ante quartam
Dominicam Aduentus. Euthymius in Lucam super hunc locum,
D.Aug. & multi alij patres. H
Hug. Vict. Verum D. Augustinus tractatu super magnificat, & ipsius D.
Theophy. Augusti sedulus imitator Hugo Victorinus etiam super magnifi-
D. Bona. cat. Theophylactus, & D. Bonauentura vterque in Lucam. Et
Simile. omnes tres glossæ ordinaria, interlinearis, & Lyrensis per Dei bra
chium hoc loco, eius filium intelligunt. Neque immerito. Sicut
enim in nobis brachium, est quo operamur. sic brachium Dei di-
ctum est eius Verbum, per quod operatus est mundum.

Quod

A Quod vero attinet ad verba alia, quæ sequuntur, nempe, disperſit ſuperbos mente cordis ſui. Hæc etiam varij variè interpretantur. Quidam enim ſicut D. Auguſtinus, Hugo Victorinus, Euſebius Emiſſenus, & D. Bonauentura locis citatis, relatiuum, ſui, non ad ſuperbos: ſed ad Deum ipſum referunt, qui mente cordis ſui, id eſt, profundo conſilio, diſperſit ſuperbos, ſiue dæmones, ſiue Iudæos. Hos enim per diſperſos, ac diſſipatos ſuperbos, Patres hoc loco intelligunt. D. Aug. Hug. Vict. D. Lu. Em. D. Bona.

Verum alij contendunt relatiuum ſui, non debere quidem ad Deum referri: ſed ad ſuperbos ipſos. Et in hac ſententia præter Euthym.
B alios eſt, Euthymius ſuper hũc locum. Qui id, quod nos dicimus: Diſperſit ſuperbos mente cordis ſui, ſic interpretatur. Superbos in cogitatione cordis ſui, ſuperbos apud ſe ipſos. Nec mirũ quod græcus autor Euthymius in hac fuerit ſententia: quia ex græco cõtextu expreſſe habemus, quod huius modi relatiuum non ad deũ, ſed ad ſuperbos ipſos refertur: in eo enim pro eo, quod nos dicimus: Diſperſit ſuperbos mente cordis ſui: ſic habetur. Diſſipauit ſuperbos cogitatione cordis eorum.

Sed hæc pro faciliori huius verſiculi intelligentia adnotaſſe ſufficiat: nunc ad ſequentia properemus, in quibus deo volente, de
C ipſius dei potentia, in eius brachio (ſiue per brachium dei fortitudinem, ſiue ipſius dei filium intelligas) contra dæmones, & iudæos, ac omnes alios ſuperbos oſtenſa: necnon de diſperſione iſtorum ſuperborum, tàm à mente ipſius dei, quàm etiam à cogitatione, & mente ipſorum, non nihil etiam dicemus.

CAP. II.

Deus in brachio ſuo duo extrema valde diſtãtia coniunxit: omnia Dei opera, præter incarnationis opus, fuerunt opera digitorum eius: ſolum opus incarnationis, fuit opus brachij eius: Dei brachium an-
D *te incarnationem in eius ſinu videbatur abſconditum.*

Fecit potentiam in brachio ſuo diſperſit ſuperbos mente cordis ſui. Luc. 1.

DE dei potentia dicere volens, ſicut ſuperiori capite promiſi, timeo, & ſatis ſuperque timeo, rem aggredi, quam ipſemet

regius propheta hominum humeris, adeo imparem iudicabat, vt E
Psal. 105. diceret: Quis loquetur potentias Domini? Quasi diceret: Nullus, cùm sit maior omni laude. Neque in tanto timore, alia mihi consolatio, aut respiratio superest, nisi ea, quam alibi in simili occasione ipse sibi assumebat Dauid. Cum enim ad ipsius Dei laudes prædicandas, propter defectum humanæ scientiæ, quam per studij exercitationem nullam acquisiuerat, minus idoneum se se
Psal. 70. sentiret. Quoniam non cognoui, inquit, literaturam, introibo in potentias Domini. Hoc est, quoniam non cognoui numeros, sicut habet hebraica veritas: siue, quoniam (& hoc idem est) non cognoui numerare (sicut ex interpretatione Symmachi hoc loco F
Theodo. adnotauit Theodoretus) ingrediar in potentia Domini.

Sed quid sibi ipse voluit Dauid, cum dixit: quoniam non cognoui literaturam, introibo in potentias Dñi? Vel qm̃ non cognoui numeros, siue numerare ingrediar in potẽtia Dñi? Quid in hoc dicere voluit? Hoc planè dicere voluit: Quoniam ex me talis ego sum, vt nesciam omnes laudes suis numeris absolutas Deo referre, ingrediar ad laudandum in potentia Domini. Taliter Dauid suarum virium tunc consolabatur inopiam, taliter etiam ego nũc meam consolabor. Licet enim is ego sim, qui debitas diuinæ potentiæ laudes persoluere minime possum, tamen ad illam laudandam diuina fretus fortitudine, & potentia, accedam: Et in eius G
potentia, cuius est potentia, quam laudare intendo: dicere incipiam de Domini potentia: de potentia, inquam, non illa, quam vel per Moysem quondam contra Ægyptios, vel per Angelum cõtra Æssyrios ostendit: Sed de illa, quam in proprio brachio, in ꝓprio videlicet filio incarnato factam, & ostensam, sub his verbis Virgo testatur. Fecit potentiam in brachio suo.

Sed quænam iam est potentia illa, quam ex Virginis testimonio Dominus fecit in filio incarnato? Planè maxima: quia in filij sui incarnatione coniunxit Deus duo extrema summè distantia H
in vnam personam: coniunxit primum cùm vltimo, filium vide-
Ioan. 8. licet suum, qui est omnium principium, iuxta illud: Ego principium, qui & loquor vobis: cùm humana natura, quæ fuit vltima omnium creaturarum. Et tàm potenter, tamq; indissolubili nodo coniunxit, vt filius, qui humanam naturam inseparabiliter sibi assumebat, inseparabilis nihilominus cùm patre, & in patre omnino remaneret. Et hoc etiã est, quod Virgo nostra voluit signifi-
Simile.
care

A care cum dixit: Fecit potentiam in brachio suo. Quia sicut de corpore brachium sine sui separatione porrigitur, sicut per compaginis virtutem extenditur, & tenetur: Ita Dei filius inseparabilis cũ patre substantiæ, & ad terrena descendit, & cœlestia nõ deseruit, hic affuit, & ibi non defuit. Quid hoc potentius potest excogitari? An non hæc potentia summa? Verè summa, & ipsi soli Dei brachio in ipsa incarnatione reseruata.

Ante incarnationem non ostendebat Deus brachium suum: sed illud in sinu suo absconditum habere videbatur: & ita abscõditum, vt diceret Isaias: Et brachium Domini cui reuelatum est? Isa. 53.

B Verum in incarnatione, & redemptione reuelauit Deus brachiũ suum: quia hæc solum opera erant propria brachij sui. Alia enim ipsius Dei opera, sicut est opus creationis mundi solum fuerunt opera digitorum Dei. Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum, lunam, & stellas, quæ tu fundasti: dicebat David. Quibus verbis aperte videtur propheta voluisse significare, quod sicut nos ad tollenda, mouendaque aliqua leuia, non indigenus nisi digitis: ad tollenda vero, ac mouenda pondera, & onera grauia non sufficiunt digiti, sed brachijs, & eorum potẽtia, & fortitudine opus est, ita etiam Deus ad creationem vniuersi non indiguit, nisi digitis (nostro modo loquendo) omnia enim tanta facilitate creauit, vt propterea opera digitorum eius à propheta dicantur. Verum ad incarnationem, & redemptionem opus illi fuit brachium, & non digitos mouere, & hoc tanta vi, tantaq; fortitudine, quod meritò dicat nostra Virgo: Fecit potentiam in brachio suo. Psal. 8. Simile.

C

Ostendebat Deus olim suam potentiã, non nego: sed nõ in ꝓprio brachio, non in proprio filio ostendebat. Licet enim, sicut in libris Regũ habetur: In castris Assyriorũ centũ octoginta quinq; millia hominũ percusserit, hoc tñ fecit, non in suo ꝓprio brachio, sed mediante Angelo. Eodẽ etiã modo, q̃uis Deus in diluuio oẽs homines interfecerit, illis exceptis qui in arca saluifacti sunt, & q̃uis duas illas ciuitates, Sodomã, & Gomorrã oĩno destruxerit: tñ hoc non fecit nisi mediante aqua, & igne: non aũt in suo proprio brachio, quia hoc solum reseruabat, ad aliud multò maius opus, quale erat opus incarnationis, & redemptionis, in quo tantam sui brachij fortitudinem, & robur Deus ipse ostendit, quod propterea Virgo dicat: Fecit potentiam in brachio suo. 4. Reg. 19. Genes. 7. Genes. 19.

D

O miseros nos, & nimiũ sanè miseros: si ad nostrã redẽptionẽ

Deus non faceret potentiam in brachio suo. Quis enim nos posset E
liberare? Quis à tanta peccatorum captiuitate eripere, nisi solum ipsius Dei brachium? Nulla enim neque humana, neque Angelica creatura, erat ad hoc sufficiens, sed solum Dei brachium hoc facere debebat, cuius fortitudo in solo incarnationis, & redemptionis opere ostendenda erat.

Sed quomodo, inquies, in solo opere incarnationis, diuini brachij fortitudo ostendenda erat? An nō multò ante incarnationem brachium istud suam iam virtutem, & fortitudinem ostendebat? An non iam tùnc illam sic clare ostendebat, vt dicat de illo Isaias:
Isa. 8. Voca nomen eius accelera, spoglia detrahe, festina prædari, quia F
antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ coram Rege Assy-
Rup. Ab. riorum. Super quæ Isaiæ verba Tuitiensis Abbas Rupertus lib. 4. de Victoria Verbi Dei cap. 11. sic dicit. Planè grandis acceleratio, magna festinatio quempiam prius spolia detrahere, quàm de matre natum esse, prius in bello prædari, quàm in vtero concipi. Quomodo igitur hoc Deus fecit, si non per suum propriū brachium fecit: sicut in incarnatione? Mediantibus hominibus vel Angelis, sicut superius diximus, quibus in incarnatione non iam vtitur: sed multò maiori potentia, quali est potentia brachij G
sui: fecit potentiam in brachio suo.

In huius rei signum, quando Deus voluit, vt filij sui incarnatio, & humani generis redemptio Virgini annuntiaretur: Gabrielem Angelum ad eam tunc misit, qui Dei fortitudinem significat, quia debebat annuntiare maximam fortitudinem, quæ in Dei brachio, hoc est, in filio facienda erat. Congruentissimum enim erat, vt sicut genus humanum in esse exierat per Verbum increatum, & in culpam ceciderat per verbum inspiratum, sic etiam à culpa resurgeret per Verbum incarnatum, quod est brachium illud Dei, quod nostræ humanitatis scutum suscepit, in quo omnes diuinę iræ, & iustitiæ ictus, qui super nos ipsos cadere debebant, excepit. H

CAP.

A

CAP. III.

Genus humanum propter peccatum, quàm infirmum; ipsum quia non habebat brachium, in quo exciperet ictus diuinæ iustitiæ, extendit Deus brachium suum, ad illos excipiendos.

Fecit potentiam in brachio suo. Luc. 1.

B A Deo debiles, & infirmi omnes remansimus, post transgressionem primi parentis nostri Adami, vt brachium nequaquàm haberemus, in quo nec minimum quidem diuinæ iustitiæ ictum recipere possemus. Vnde opus erat nobis alieno brachio, in quod descenderent omnes ictus diuinæ iustitiæ pro peccato nobis debiti. Hinc tale brachium totius humani generis nomine Isaias petebat, quando dicebat. Domine miserere nostri, te enim expectauimus, esto brachium nostrum in mane. Quasi diceret: quia nos non habemus brachium, da tu nobis domine tuum brachium, da nobis tuum brachium, in quo fiat omnes sectiones, quibus nos indigemus. Isa. 33.

C Licet venarum scisio infirmis res sit vtilissima, tamen dicunt medici, quòd minimè est scindenda vena, nisi quando contingit, quod duo hæc simul concurrunt. Scilicet, morbus grauis, & virtus constans. Sicut enim propter leuem morbum, non est statim infirmo scindenda vena: ita etiam quando infirmus fuerit adeo debilis quod nullam habeat virtutem, neque vigorem ad sustinendam sectionem venæ, non est illi talis sectio facienda propter mortis periculum. Erat genus humanum totum infirmum per peccatum: quia licet morbus esset grauissimus, tamen non habebat virtutem constantem, non habebat brachium in quo fieret sectio venæ ipsi tantopere necessaria, ideo tetendit Deus brachiũ suum, misit in mundum filium suum, vt diuinæ iustitiæ ferrum in eo sectionem faceret, qua nos debiles, & infirmi omnino sanaremur: id quod ipse per Dauid multo ante promiserat, sic dicens. Manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum: Quasi diceret: quia non est huic infirmo manus, quia non est illi propter suam debilitatem, brachium, ex quo sanguis possit exire, Simile. D

propterea

propterea ego porrigam manum meam, ego extendam brachium E meum, cuius ſanguine confortabitur, & à tanta infirmitate liberabitur.

O diuiniſſimum brachium: O brachium potentiſſimum: brachium quod ſimul cùm ſua potentia laudandum, atque prædicandum ipſe præuidit Dauid, cùm dixit. Thabor, & Hermon in nomine tuo exultabunt, hoc eſt, laudabunt, & perſonabunt, ſicut eſt in Hebræo, tuum brachium cum potentia. Et quid ego de Dauide loquor, vbi huius diuini brachij. & ſuæ potentiæ noſtra Virgo tam egregia laudatrix extitit? Quo enim tendunt hæc noſtræ Virginis verba? Quo tendit hoc quod dicit: Fecit potētiam in brachio F ſuo? Quo niſi ad laudandum hoc diuiniſſimum brachium, brachium potentiſſimum æterni patris filium, quem in ſuo vtero iam hominem factum Virgo ſentiebat, vt moriens pro nobis, nobis vitam donaret, & propterea dicebat: Fecit potentiā in brachio ſuo?

Pſal. 88.

Cum enim mortis aculeum (vt beatiſſimi Leonis Papæ verbis vtar ſermone de Paſſione Domini) recipere nō poſſet natura deitatis: ſuſcepit naſcendo ex nobis, quod poſſet offerre pro nobis. Id quod etiam magiſter gentium Paulus glorioſa voce confeſſus eſt, dicens: Qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui ac- G cipiens. Quando duces exeunt ad prælium, pugnaturi: cum ſint naturæ corruptibilis, induūt ſe probatiſſimis, ac fortiſſimis armis, quibus corruptibilem naturam, ab inimicorum ictibus poſſint defendere. Multo contra fecit Dei filius, qui cum eſſet naturæ incorruptibilis: & in apertum vellet campum, pro nobis pugnaturus deſcendere, impaſſibilem naturam paſſibilitatis, & corruptibilitatis armis induit: in quibus omnes mortis impetus pro nobis poſſet ſuſcipere, & mori, moriendoque noſtram mortem vincere. Id quod ego in ipſo Dei filio multo potentius, ac admirabilius H eſſe iudico, quàm ſi ipſe non moreretur. Sicut enim in tribus illis pueris, longe admirabilius fuit, quod ingreſſi in caminum ignis per eum deambularent, quam ſi eo nunquàm ingrederentur: Et in Iona etiam multò admirabilius fuit, quod in Cete deciderit, & nihil inde mali perpeſſus fuerit, quā ſi abſorptus nūquam fuiſſet: ſic in Dei filio maiorem admirationem attulit, quod mortuus noſtram mortem ſolueret, quàm ſi mortuus non fuiſſet: in illo enim multò maiorem potentiam oſtendit, quàm in iſto. Vnde de incarnationis,

Leo Papa.

Philip. 2.

Diſſimile.

Simile.

A nationis, & redemptionis mysterio agens nostra Virgo, meritò inquit: Fecit potentiam in brachio suo.

In omni vitæ suæ cursu maxima semper potestate, & potentia vsus est Dei filius homo factus. Potentia enim phreneticos tolerauit, potentia cæcos, claudos, mutos, aridos, ab spiritu immundo captiuos curauit. Verum in sua morte multò maiori potentia vsus est Dei filius, multò validius se se ostendit Dei brachium, in cruce enim distentum, in cruce affixum, & omni sanguine exhaustum, quando iam nulla in eo potentia ab inimicis esse putabatur, maiorem suæ potentiæ vim absconditam indicauit. Id quod prophe-
B ta Abacuc multò ante de eo sic prædixerat, dicens. Cornua in manibus eius ibi abscondita est fortitudo eius. Quo loco per cornua, quæ erant in manibus eius, ex multorum Patrum sententia brachia crucis intelligimus, quibus confixæ erant manus Domini. Et ideo bene ibi abscôdita erat fortitudo eius, quia vbi nulla prorsus putabatur esse fortitudo, & potentia eius, ibi erat. Abacuc.

Hominis fortitudo maxime pollet in brachijs, & in manibus, & quia Christus confixus cruci, pēdebat manibus, pendebat brachijs, ideo videbatur, quod nulla esset fortitudo eius. Verum vbi nulla esse videbatur, ibi nonnulla erat. Sed quid dico nonnulla
C erat? Immo maxima erat: ibi enim non solum abscondite operabatur clauis illis, qui manus Domini, pedesque transfoderant, perpetuis diabolum configens vulneribus, & sanctorum pœna membrorum, omnem inimicorum interficiens potestatem, sed etiam visibiliter reddentibus elementis omnibus testimonium diuini brachij. Cœlum enim, terra, Sol, sydera, petræ, monumentaque clarissime tunc pro testata sunt fortitudinem, & potētiam huius diuini brachij, de quo hæc solum in præsentiarum dicere, nos compellunt multa alia, quæ super hunc versiculum dicēda adhuc nobis restant, de illis, quæ in fine prioris capitis promisimus.
D

CAP. IIII.

Dæmoniaca dispersio vbi inceperit, eius, quæ causa fuerit. Superbus Dæmon à Dei filio mente cordis sui dispersus, intestino propterea nos odio prosequitur.

Dispersit superbos mente cordis sui. Luc. 1.

Diximus supra, & ex patrum sententia ostendimus, per superbos mente cordis sui dispersos, intelligi hoc loco superbos, siue

siue dęmones, siue iudæos. Reliquum est nunc, vt de dispersione E
istorum superborum nõnihil etiam particulariter dicamus. Quia vero dęmonum dispersio prior fuit, quàm iudęorum de illa hoc præsenti capite agendum nobis erit, de hac vero capite proxime sequenti.

Quod igitur attinet ad dispersionem. Superborum dęmonum, hæc antiquissima fuit, & in ipso statim paradiso incepta. Neque in ipsis dęmonibus aliam causam habuit, quàm superbiam ex speciositate, scientia, ac conditionis, & perfectionis magnitudine, in qua à Deo creati sunt, prouenientem. Habuit namque Lucifer prę
Ezech. 28. alijs magnitudinem, sciētiam, & pulchritudinem. Quæ tria quisque perpendens facilius intelliget, cur dùm contra eum sub nomine principis Tyri inuehitur propheta ex persona Dei, sic dicit. Tu signaculum similitudinis plenus sapientia, perfectus decore in delicijs paradisi Dei fuisti. Cuius enim similitudinis nisi sanctæ, & adorandæ trinitatis signaculum, secundum hæc tria fuit. Sancta quippe trinitas ipsa est magnitudo, sapientia, & pulchritudo. F
Ezech. 28. Magnitudo namque filij, & Spiritus sancti Pater est: Sapientia patris, & Spiritus sancti filius est. Pulchritudo patris, & filij, Spiritus sanctus est. Et quia Lucifer magnitudine, scientia, & pul-
Ezech. 29. chritudine plus cæteris participauit, ideo signaculum dicitur similitudinis, plenus sapientia, perfectus decore in delicijs paradisi. G

Sed ò vecors, qui cum in tanto honore esset non intellexit. Sed hæc omnia vertit in materiam superbiendi. Non suffecit ei tanta largitas creatoris, nisi idem diceretur, vel existimaretur de ipso, quod de Deo, nisi appellaretur Deus, nisi adoraretur ab Angelis vt Deus: nisi prędicaretur etiam ipse increatus. Negauit enim Deum esse creatorem suum, & dixit. (Sed mentita est iniquitas sibi) se esse Deum. Qua de causa sub nomine principis Tyri, dicit Dominus contra eum. Eleuatum est cor tuum, & dixisti, Deus ego sum, & in cathedra Dei sede. Et dedisti cor tuum, quasi cor H
Dei. Et alibi etiam, dum sub nomine Pharaonis Dominus illi exprobrat sic dicit. Ecce ego ad te Pharao Rex Ægypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum: & dicis, meus est fluuius ego feci me metipsum.

Vbi ergo mendax iste, mendacium hoc contra Deum locutus est: nempe, Ego feci me metipsum, Deus ego sum. Deliberauit
Isa. 14. adhuc apud se, & proposuit, dixitq; in corde suo. Ascēdam super altitu-

A altitudinem nubiũ, similis ero Altissimo. O quomodo se extollit mendacij pater: quomodo se extollit: Ascendam inquit super altitudinem nubiũ, similis ero altissimo. Quibus verbis cęteros intelligit, & despecit Angelos, propter magnitudinẽ, & pulchritudinem suã, quia nõ paruus erat in oculis suis: tantò omnes alios Angelos semetipsó viliores iudicãs: quãtò nubes licet aliquatenus cãdidæ: vel lucidę obscuriores sunt pulchritudine Luciferi: Luciferũ nãq; volebat se haberi. Vnde & cũ improperio ei dicitur. Qũo cecidisti de cęlo Lucifer, qui mane oriebaris? Ex quib' verbis, quib' cũ exprobatione Lucifer nuncupatur: Et ex istis etiã nempe, Ascen-Isa.14.
B dam super altitudinem nubium, planè datur intelligi, quod cęteros Angelos Lucifer in seipso despiciebat, eosq; quasi viles reputabat, putans de se ipso, quod esset tanquam lux, qua nubes indigent, vt illustrentur. Namque (sicut de illo alio in loco scriptura testatur) omne sublime videt, & ipse est Rex super omnes filios superbię.

Vt igitur Lucifer id, quod mente cogitabat ad effectum perduceret, cępit prædicare semetipsum omnibus Angelis: & cum esset plenus sapientia confidebat de seipso, quod crederetur sibi dicenti: Ego sum Deus: Ego feci me metipsum. Hæc Luciferi prædica-
C tio ab Ezechiele propheta innuitur sub his verbis, quib' dominus contra eum sub nomine Assur vsus est dicens: Flumina eius ma- Eze.31.
nabant in circuitu radicum eius: & riuos suos emisit ad omnia ligna regionis, & multiplicata sunt arbusta eius, & eleuati sunt rami eius præ aquis multis. Riuos namque suos emisit ad vniuersa ligna, quia sapientiam suam multam effundendo, vniuersas Angelorum multitudines circumuenire, & in suam sententiam trahere, laborauit: vt apud illos tanquàm altissimus haberetur, & adoraretur, vt Deus. Et eleuati sunt rami eius præ aquis multis:
D quia maior quam erat cœpit haberi apud magnam partem Angelorum, propter multã sapientiam, qua se apud illos cõmendauit, & cõmendando in suã sententiam deduxit. Id, quod apud eundem prophetam, sub his verbis ita innuitur. Et æmulata sunt eum omnia ligna voluptatis, quæ erant in paradiso Dei. Vbi notandũ est ex propheta, quòd non dixit: Et æmulata sunt eũ omnia ligna regionis: sed ligna voluptatis. Quia licet ad omnia ligna regionis, hoc est, ad omnes Angelos, riuos suos emiserit: tamen non æmulata sunt eum nisi sola ligna voluptatis. Cunctos enim Angelos per

per suam sapientiam decipere, & ad suas partes deducere tentauit: Verumtamen illi tantummodo illi sunt adulati, qui gloriam suam quærebant, & non Dei: quosque delectabat seruire potius creaturæ, quàm creatori. E

Sed quid euenit Lucifero, & alijs Angelis talia molientibus? Quid illis fecit Deus talia apud se ipsos constituentibus? Omnes illorum conatus Deus non solum destruxit: sed longè aliter illis fecit euenire, quàm ipsi cogitabant. Dicebat superbus apud se: In
Isa.14. cœlum conscendam: super astra Dei exaltabo solium meum: sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis: ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo. Sed statim mente cordis sui dispersus est. Ipse namque statim audiuit in infernum de- F
Isa.14. traheris in profundum Laci. Illuc enim statim deiectus est cùm suis sequacibus. Id, quod alius propheta etiam testatur cum dicit.
Eze.31. Ecce deductus es cùm lignis voluptatis ad terrã vltimam, in medio circuncisorum dormies, cum his, qui interfecti sunt gladio.

Ecce quomodo dæmones superbi de mente cordis sui, tunc dispersi sunt: Ecce quomodo miseri decepti sunt, & ab illo fęlicissimo statu in quo erant deiecti sunt. In delicijs paradisi Dei positi erant: pleni sapientia, & perfecti decore: Verum quia altiora se ipsis quæsiuerunt, & maiora se ipsis scrutati sunt, deorsum miseri G ceciderunt. Non steterunt in se, ceciderunt à se ambulantes in magnis, & in mirabilibus super se. quanto velocius ad alta festinarunt: tanto celerius ad occasum declinarunt. Sed heu, & iterum heù, quanto, & quàm intestino odio non solum Deum: Sed hominem, quem ad imaginem Dei factũ videbant, prosecuti sunt. Cum enim non possent, in autorem ipsum, quem ante omnes lædere cupiebant suam iram effundere, in eius imaginem eam exercere co-
Simile. nati sunt. Quemadmodum enim homo Regi inimicus, quando ipsum regem attingere non potest, eius simulachrum cædit: ita dæmon, qui Deum offendere nequibat, hominem, qui ipsius Dei erat H imago per peccatum lædere laborauit, vt vel sic quanto esset, erga Deum odio affectus, ostenderet.

Sed vide pijssimi conditoris amorem erga facturam suam: erga imaginem suam, quam quia supplantatoris odio, & inuidia lęsam, & per peccatum deformatam esse cognouit ideo de throni sui arce descendit, & formam serui accepit: vt hominem, quem diabolus mortifero vulnere in primo parente prostrauerat, ele-

uaret.

A uaret. O inauditum pijſſimi conditoris amorem erga facturam ſuam: O immenſam clementiſſimi creatoris pietatem erga imaginem ſuam.

CAP. V.

Dei filius qua arte vſus fuit in diſpergendo dæmone mente cordis ſui. Dæmon Chriſto mortem parans potius eſt læſus, quàm læſit.

B

Diſperſit ſuperbos mente cordis ſui. Luc. 1.



IVINI Amoris erga hominem, maximum in ſigne fuit, quòd inter ipſa mundi principia, imaginem atque ſimilitudinem Dei ſui ſeruus accepit. Verum multò amplius fuit, quod propter ſeruum, perſonam, & formam ſerui Deus creator aſſumpſit, vt in ea ſerui forma, & humanum genus repararet, & de inimico diabolo glorioſiſſime triumpha-
C ret. Licet enim Dei miſericordiæ ad reparandum humanum genus ineffabiliter multa ſuppeterent, hanc tamen conſulendi viam elegit, qua ad deſtruendum opus diaboli, non virtute vteretur potentiæ, ſed ratione iuſtitiæ. Nam ſuperbia hoſtis antiqui, non immerito ſibi in oẽs homines ius tyrannicum vendicabat, neque indebito dominatu premebat, quos à mandato Dei ſpontaneos, in obſequium ſuę voluntatis allexerat. Non igitur iuſtè amitteret originalem dedititij generis ſeruitutem, niſi de eo, quod ſubegerat, vinceretur.

Hac ergo de cauſa miſericors, omnipotenſq; Saluator repara-
D tionis humanę cõſiliũ, ita moderatus eſt, vt virtutẽ, & potentiã ſuę deitatis, per velamen noſtrę mortalitatis abſconderet. Quemadmodum enim ſi quis animaduerſa in compare, atque ęmulo ſuo formidine ſecum decertandi, imbecillem ſe fingat, vt illum pelliceat ad pugnam: & ille dum pro vera habet ſimulatam illam imbecillitatem audacter incertamen prodeat mox domandus illius generoſi athletę viribus: ita Dominus ſub ſpecie humanę, infirmitatis prouocat aduerſarium: vt ipſe quaſi cùm homi- Simile.

ne congressurus securius descendat ad pugnam, in qua vires eius E
diuinas experiatur. O profundissimam diuini iudicij abyssum. O altissimam diuini consilij rationem, qua superbus iste à Dei filio humana carne vestito de mente cordis sui: ita dispersus remansit, vt cùm in Dei filium irrueret, ipse rueret: dum illú capere vellet, caperetur ab illo. Denique, vt dum persequeretur mortalem, incideret, in Saluatorem.

Sic illusa est antiqui hostis astutia, quia natiuitatem pueri in salutem humani generis procreati, non aliter sibi, quàm omnium nascentium putauit obnoxiam. Vidit enim vagientem, ac lachrymantem puerum: vidit pannis inuolutum, vidit circuncisioni subditum, vidit legalis sacrificii oblatione perfunctum. F
Agnouit deinde solita pueritię incrementa, & vsque ad viriles annos de naturalibus non dubitauit augmentis. Inter hec intulit contumelias, multiplicauit iniurias, adhibuit maledicta, opprobria, blasphemias, conuitia. Postremo omnem in illum vim sui furoris effudit: omnia tentamentorum genera procurauit. Et sciens quo humanam naturam infecisset veneno, nullo modo credidit primę transgressionis expertem, quem tot documentis didicit esse mortalem. Perstitit ergo improbus prędo, & auarus exactor in eum, qui nihil ipsius habebat, insurgere, atque G
furere in Christum, neque quieuit donec vitę autorem suspendi fecit in ligno; Sed ipse exaltatus in ligno mortem retorsit in mortis autorem, & per obiectionem patibilis carnis ipsum inimicum potenter elisit. Dum enim diabolus tantùm corpus hominis in filio Dei considerat: & Deum in illo corpore non agnoscit, quasi ad præparatam sibi prædam solita auiditate festinat: sed dùm vult auidus prædam rapere, ipse sicut piscis adductus in hamo
Simile. præda Domini captus efficitur. Sicut enim hamum esca conseptum, si piscis rapiat, non solum escam cùm hamo non remouet: H
Sed & ipse de profundo esca alijs futurus educitur: Ita diabolus, qui mortis habebat imperium, rapuit quidem in mortem corpus Iesu non sentiens in eo hamum diuinitatis inclusum, sed vbi deuorauit hæsit ipse continuo. Idque de Christo contra diabolum
Iob. 40. multò ante sub his verbis prædictú reperitur. In oculis eius quasi hamo capiet eum. Quibus verbis designatur quòd Christus superaturus erat diabolum ostendens ei infirmitatem humanæ naturæ, quam credens sicut escam deuorare, incluso diuinitatis

hamo

A hamo fuit captus.

O insanum quid agis? Quid agis inuentor mortis, superbiæ institutor, radix malitiæ, scelerum caput, omnium vitiorum princeps, quid agis? Putas nè est hic homo, sicut cæteri homines? Falleris, falleris, insane, falleris: Quia non est hic homo sicut cæteri homines: non est hic homo sicut primus homo. Adam enim primus, & Adam secundus: licet vnum sint carne non tamen opere: quia in illo omnes moriuntur, & in isto omnes viuificabuntur. Ille per superbiæ cupiditatem iter fecit ad miseriam: hic per humilitatis fortitudinem, viam parauit ad
B gloriam. Quid ergo insane quæris in isto homine? Quid quęris in illo, in quo nihil tuum vnquàm poteris inuenire? Quid eum persequeris? cur ei tàm acerbum mortis supplicium paras inferre? Verè malignitati tuæ hoc multò magis prodesset, si ei parceres, & te ab effusione eius sanguinis abstineres, per quem omnium saluenda est captiuitas, & reparanda libertas. Sed lucem tenebræ non comprehenderunt, nec mendax cæcitas tua, tantæ sapientiam veritatis potuit inspicere. Et ideo Iesum occidisti, qui tenens disposita mansuetudine patientiam, & cohibens seruientium sibi angelicarum virtutem legionum hausit calicem
C doloris, & mortis, vt totum postea supplicium gloriosum transferret in triumphum.

Et quis hoc ita esse non videat? Quis hoc ita factum esse non cognoscat? Nam pijssimus Saluator noster per mortem suam repulit mortem omnibus debitam, per indignissimam passionem suam, quia propria peccata non habebat, redemit aliena. Et sic tali iustitia victus est, & tali vinculo tenetur tantus humani generis inimicus. Nam cum se isti inimico homo vendidisset per peccati comercium, ille Deum consuetudinaria præsumptione deceptus appetijt: & dum occidit liberum amisit obno-
D xium, perdidit ius suum, dum inuadit hominem non suum. Totum ergo cùm eo perdidit, qui nihil in eo inuenit, quod posset tenere, multum tamen inuenit, quo posset ipse teneri. Sub opposito enim sibi carnis velamine, deitatis hamum inuenit, quo tanquàm piscis captus est: eo enim quo hominem ceperat instrumento, eodem & ipse captus est. Nam diabolus (teste Abacuc propheta) vniuersum genus humanum hamo ceperat; totum, inquit ille, in hamo subleuauit. Quæ verba exponens glossa inter- Abb. 1.

linearis de genere humano in Adam hamo à diabolo subleuato, E
ea interpretatur. Vnde qui totum hamo ceperat, bene hamo capitur à filio Dei. Quia dum famulis, & stipendiarijs suis iudæis vehementius in Christum incitatis ipsi mortem parare intendit, in præiudicium suum sæuit: Et dùm putat aliquid facere contra ipsum, de mente cordis sui dispersus omne malum retorquet in

Simile. se ipsum. Sicut enim qui saxum, àut lapidem impetit potius à lapide læditur, quàm lapidem lædit: Ita diabolus filium Dei crucifigens potius est lęsus, quàm lesit.

D. August. Et ideo D. Augustinus in psalmum 130. de illo damno agens, quod diabolus in morte Christi accepit, sic inquit: Sæuiens tradidit Christum, sæuiens crucifixit: & crucifixo Christo redemptus est orbis terrarum. Ecce sęuitia diaboli diabolo offuit, nobis autem profuit. Sęuiendo enim, quos tenebat amisit. Et beatissimus Leo Papa sermone 10. de passione Dñi, Claui illi, inquit, qui manus Dñi, pedesq; trãsfoderant perpetuis diabolũ fixere vulneribus, & Sãctorum pęna mẽbrorũ, inimicarũ fuit interfectio potestatũ. Euenit diabolo in morte Christi illud, qđ olim impijssimo F

Hes. 7. illi Amam euenisse legimus, qui in eodẽ ipso patibulo, quod Mar

Simile. dochæo parauerat suspensus est. Consurrexerunt inuicem duo isti viri Mardochæus, & Amam. Parauit Amam patibulum G
Mardochæo, sed Mardochæo fœliciter euadente: Amam in ipso patibulo, quod parauerat suspensus est. Hoc etiam modo, pugnauerunt inter se Christus, & diabolus: parauit diabolus crucem Christo, sed non ille in ipso patibulo transfixus est (dicit Ru

Ruper. pertus octauo libro de Victoria Verbi Dei cap. 3.) triumphante Verbo, quod impassibilis Deus est, & resumpta carne in immortalitatem, quæ ad breue tempus passa est mortem: ipsum homicidam Deus viuens in suo machinamento strangulauit.

Vnde bene de Christo dicit Apostolus: Delens quod aduersum nos erat chirographum decreti, quod erat H
Colo. 2. contrarium nobis, & ipsum tulit de medio affigens illud cruci, & expolians principatus, & potestates traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso.

CAP.

A

CAP. VI.

Omnia, quæ superbi Iudæi in passione Christi, in eius dedecus faciebant, conuertebat Deus in ipsius Christi gloriam, & honorem, & in ipsorum Iudæorum opprobrium. Dies passionis Christi, ipsi tantæ lætitiæ fuit, vt in eo lamentum sibi à mulieribus impendi, dedignaretur.

B Disperfit superbos mente cordis sui. Luc. 1.

POST Diabolicam dispersionem, iudaica etiam sequitur dispersio, quam duplicem fuisse ostendemus, vnam qua superbi illi Iudæi mente cordis sui omnino dispersi sunt: alteram vero, qua per omnes mundi partes dispersi, vagabundi, & errantes feruntur: Solique, & cœli sui profugi per aliena hospitia iactantur.

Quod ergo attinet ad primam Iudæorum dispersionem, hanc multis quidem possemus ostendere, quę Iudæis cùm Christo per C totum eius vitæ cursum cõtigerunt. Verum satis esse arbitramur, si nonnulla solum adducamus, quæ ipsis Iudæis cùm Christo in eius morte euenerunt, ex ipsis vt perspiciatur quàm bene ipsis cõgruat id, quod tantò ante nostra Virgo ipsis Iudæis cùm proprio suo, atque æterni patris filio sub his verbis euenturum esse prædixit: Dispersit superbos mente cordis sui.

Vt ergo id, quod dicimus, ante cuiusque oculos perspicuè obijciamus, ab illis libet sumere dicendi initium, quæ impij, & superbi Iudæi contra Christum perpetrarunt. Cum enim multis modis iudaica laboraret impietas, vt occasionem aliquam perpetrandi D in Dominum Iesum sceleris inueniret, & mendacia, quæ falsi testes iniustis sacerdotibus famulando protulerant, nihil quod morte dignum esset, haberent: hoc ipsi Iudæi quasi insuperabile repererunt, vt Dominum mundi affectati Regni inuidia apud Pilatũ sic dicentes, perurgerent. Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentẽ tributa dari Cæsari, & dicentem se Christum Regem esse. Luc. 23.

Cumque Pilatus Iesum, quem frustra, & sine causa videbat ac-

cusari, vellet absoluere, contra ipsum calumniosè, & minaciter E
conclamarunt. Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris: omnis
Ioan.19. enim qui se Regem facit contradicit Cæsari. Quibus visis Pilatus Iesum flagellatum tradidit eis, vt crucifigeretur: Sed Iesus antequam crucifigatur exuitur, & purpureo vestimento induitur, spinea corona super eius caput imponitur, & arundo in eius dextera
Mat. 27. collocatur, & genu flexo ante eum, his verbis illuditur. Aue Rex Iudæorum. Ecce quomodo Dominus à superbis Iudæis tractatur: Ecce qualis erga eum fuit mens cordis Iudæorum. Videamus ergo iam, quomodo superbi isti mēte cordis sui dispersi sunt, de quibus dicit nostra Virgo, quòd Deus dispersit superbos men- F
te cordis sui.

Omnia quæ Iudæi per irrisionem, & ironiam Christo faciebant, sic in ipsius Christi gloriam, & honorem conuersa sunt, vt Spiritus sanctus ad hanc Iesu gloriam, & honorem contemplandum, filias Sion inuitans: Egredimini, inquit, filiæ Sion, & vide-
Cant. 3. te Regem Salomonem, in diademate quo coronauit illum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius. Quasi diceret ò filiæ Sion, siue filiæ Ierusalem: Venite, & aspicite, egredimini & videte hunc Regem, hunc Salomonem pacificum, & pacis principem in diademate regali. Videte qualis, quantus, & G
quam gloriosus sit. Videte hunc Regem coronatum. Videte in manu eius sceptrum; Videte vestem purpuream: Videte salutantes: Videte adorantes. Nolite hoc solum videre in corona eius, quòd spinea sit. Sed videte in spinis illis illam coronam, cuius præparatoriæ spinæ sunt: coronam, inquam, glorię, & honoris de
Psal.81. qua psalmista cecinit: Minuisti eum paulò minus ab Angelis, gloria, & honore coronasti eum. Videte non solum arundinem pro sceptro datam: sed videte rem veram, cuius illa fuit præsagium: nempe, summum cœli ac terræ imperium: quia cùm arundine illa, propter arundinem illam, data est illi omnis potestas in H
cœlo, & in terra. Videte non solum purpuram illam manu factam, huic verò Salomoni irrisoriè circumpositam: sed in purpura illa meditamini purpuream ecclesiam illius sanguine mundatam, sanguinem suum pro illo fusuram. Et in illis Romanę potestatis militibus, cùm risu genua flectentibus, cùm risu, vel ioco adorantibus, videte quid significetur, & illius tacentis cogitatus sonet in auribus cordis vestri, velut si dicat: Viuo ego quia mihi
curua-

A cruabitur Romani imperij genu, & humana lingua, humana, & etiam Romana confitebitur, me Regem esse Iudæorum: immo & Regem Regum, & Dominum dominantium. Neque erit irritum quamuis cùm ironia, quãuis cùm hostili irrisione dixerint: Aue Rex Iudæorum. Talem videntes Regem Salomonem scitote illum diem, quo hęc pertulit, fuisse diem desp͡osationis illius, diem lætitiæ cordis eius. Desponsationis quidem eius, qua sibi ecclesiam, per suum sanguinem desponsauit: desponsationis multũ differentis à desponsationibus carnis, siue huius sæculi, quia illæ à voluptate incipiunt, & in dolore desinunt. Ista autem desponsa- Mat. 27.
B tio incipit à dolore, & perficitur in æterna voluptate, & lætitia cordis.

Talia videtur Spiritus sanctus per illa verba voluisse significare, quibus Sion filias ad egrediendum, ac regem Salomonem videndum inuitauit: Videndum, inquam, cum illa spinea corona, veste purpurea, & arundine triumphantem, & in die mortis suæ, ita exultantem, sicut in die desponsationis suæ, in die lętitię cordis eius. Hæc vero omnia cum ita sint, & verissima quidem sint, liquidissimo constat, quàm meritò dicat nostra Virgo: dispersit superbos mente cordis sui: Siquidem ea, quę Iudęi faciebant in
C Christi dedecus, & ignominiam, conuertit Deus in eius honorem, & lętitiam.

Adeo dies mortis Christi fuit illi dies cordis eius, vt in eo sibi planctum, & lamentum dedignaretur impendi. Narrat enim Euangelista Lucas, quod cum mulieres plangerent, & lamentarentur eum, ipse ad illas conuersus: filiæ, inquit, Ierusalem nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros. Luc. 23.
Quasi diceret: Non est cur me Ierusalem filiæ dolere debeatis: non est cur me plangatis, quia non decet luctus triumphum: ne-
D que lamenta victoriam. Pro vobis plangite, & pro vestris filijs eiulate: super illos plangite, super illos fundantur isti ploratus, quòd tales viscera vestra pepererunt. Lugendum vobis planè est, non de Saluatore credentium: sed de temeritate, & impietate infidelium istorum Iudæorum pereuntium. Ego istam crucem volens patior, & mortem in me, quam sum per empturus, admitto. Nolite flere pro mundi redemptione morientem, quem in potestate patris videbitis iudicantem: sed flete super vos, & super filios vestros Iudæos flete, qui me morti tradunt, æternam transiturum


ad vitam: æternam ipsi transituri in mortem. Nam in morte mea E
isti filij vestri magis occidendi sunt, quam ego: in me enim mors occidenda est: in illis autem iniquitas viuificanda, quæ in ipsis viuente ipsi potius mortui erunt, quàm viui.

O bone Iesu, o Iesu dulcissime, Iesu pijssime, quàm bene, quã verè mater tua, mater intacta, mater purissima, mater sanctissima tunc prophetauit, cùm istorum superborum Iudæorum impios conatus à te deludendos esse præuidit, & præuidendo dixit: Dispersit superbos mente cordis sui, Quasi diceret Iudæi superbi foueam ante faciem filij me foderunt: sed ipsi miseri in eam inciderunt: in eo enim quòd meum filium ipsi occiderunt: ipsi magis F
occisi sunt: quia quòd meum filium occiderunt, non illi obfuit, sed ipsis potius Iudæis obfuit. Et ideo dico, quòd dispersit superbos mente cordis sui: quia infixi sunt in interitu, quem fecerunt, & in laqueo mortis quam filio meo absconderunt, comprehensus est pes eorum.

CAP. VII.

Iudæi in cognoscendo Christo ipsis brutis animantibus stupidiores. Christus non solum per crucis mortem fuit exaltatus: Sed eius G
passionis instrumenta valde bonorata remanserunt.

Dispersit superbos mente cordis sui. Luc. 1.



IVDAICI, & effrenati populi malitiam, in Christo omnium Saluatore interficiendo tam cœcam fuisse constat, vt omnino miseri, & infœlices nescirent, quod si Iesum interficiebant, H
ad suum proprium malum, & damnum interficiebant. Quemadmodum enim si quis serpentem manu apprehendat, & ipsum conetur in altum proijcere, prorsus ipse à serpente mordetur: aut si quis ignẽ manutenens, dùm illo hostem vult lædere, ipse potius exuritur: Ita Iudæorum malitia aduersus eos militauit. Nam magis eos mors Domini læsit, quàm Dominum.

Simile.

2. Paral. 20 Simile.

Legitur in scriptura veteris testamenti, quod cum filij Amon, & Moab,

A & Moab, & filij montis Seir venissent contra Iosaphat, vertit Dominus insidias eorum in semetipsos. Nam filij Ammon, & Moab consurrexerunt aduersus habitatores montis Seir, vt interficerent, & delerent eos, cumque hoc opere perpetrassent, etiam in semetipsos versi mutuis concidere vulneribus. Pari modo superbis, & cœcis Iudæis euenit, cùm enim vellent Dominum occidere semetipsos occidebant, & non Domino, sed sibi ipsis noxij existebant. Sicut enim si quis lapidem manu secare velit, lapidem quidem non scindit, sed manum vulnerat: ita Iudæi contra Christū agentes, Christum, inquam, lapidem primarium, probatum, & Simile.
B pretiosum, lapidem incorruptibilem, lapidem quem reprobauerunt ædificantes, sed ipse factus est in caput anguli, pernitiem suā moliebantur, & in immortalem mortem intentantes, ipsi in mortem rapiebantur. Idque Christus cùm illis antea agens, ita ipsis, sub his verbis euenturum esse, clarissimè prædixit. Qui ceciderit super lapidem istum confringetur. Hoc est, quicunque ex vobis super me ceciderit, mihi mortem intentando, ipse potius morietur. Mat. 21.

O Populum nequam, fragilem carne, paruulum sensu, & animo satis humilem: O grossum, vipereumque superborum Iu-
C dæorum affectum, odire, & interficere hominem, qui hominum & corpora sanabat, & animas saluabat. O intellectum grossum, & non minus quàm bouinum, qui Deum non cognouit, neque in operibus Dei intellexit. Sed quid dicimus, aut quid facimus Iudæorum intellectum bouinum appellantes? Nimium enim fortassis de nobis conquerentur tanta sui sugillatione Iudæi, quia illorum intellectum dicimus bouinum. Sed legant, si placet, Isaiam, legant, & de nobis conqueri desinant, ex illo enim non solum bouinum, sed plusquam bouinum intelligent. Cognouit, inquit, bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, Israel Isa. 1.
D autem non cognouit me, & populus meus non intellexit. Ac si diceret: Bos quidem, & asinus, quæ sunt inertia & stulta animalia, cognoscunt eum, qui ipsa alit, Israel autem multò his à ratione alienior inuenitur, si quidem me non cognouit, & populus meus non intellexit.

O bestialem, & plusquàm bestialem hebetudinem Iudęorum per ipsum Moysem illis tantò ante prænuntiatam, immo & inter alias multas maledictiones, propter eorum magna peccata cominatam,

minatam, & præsertim si audire nolent vocem Domini sui, & cu- E
Deut. 28. stodire omnia mandata eius. Erit, inquit Moyses, vita tua quasi pendens ante te, timebis nocte, & die, & non credes vitæ tuæ. O miseros, ò cæcos, ò stupidos. Et quę maior hebetudo poterat inueniri? quæ peior, & miserabilior cæcitas poterat excogitari? Quæ maior miseria poterat detegi, quam hæc, quæ meritò
Ioan. 4. superbię ipsis Iudęis accidit? Videbant vitam suam, quę Christus est, qui est via, veritas, & vita: videbant non à longè, non retrò post tergum, non à dextris, neque à sinistris: sed ante se, ante eorum oculos, in conspectu suo pendentem, & promundi salute morientem eam videbant: & tamen non credebant ei. F
Vnde hoc? Quare hoc?

D. Cypr. Dicat id nobis inuictissimus martyr D. Cyprianus. Quòd autem Iudęorum populus intelligere non potuit (inquit D. Cyprianus tractatu quarto de Idolorum vanitate) delictorum meritum fuit. *Sic erant sapientię, & intelligentię cęcitate mulctati, vt qui vita indigni essent, haberent vitam ante oculos, nec viderent.* Hæc est causa propter quam miseri vitam ante se habentes non cognoscebant: hæc est causa ob quam Christo non credebant, qui Deum se esse ipsis operibus clarissimè clamabat, ac propterea dicebat: *Si mihi non creditis, operibus credite: & si non* G
Ioan. 10. *facio opera patris mei, nolite mihi credere.* Sed neque sic tamen euigilabant, & ad credendum properabant. O miseros. Non fuga dęmonum, non obedientia elementorum, non resurrectio, & vita mortuorum bestialem hanc & plusquam bestialem hebetudinem, ac stupiditatem depellere valuit.

Vnde de ista non minus mirabili, quàm miserabili cæcitate factum est, vt tauri pingues, vituli multi, frementes bestiæ, canes rabidi in illud tàm horrendum, tamque enormiter grossum, & grossè enorme facinus proruerint, per quod Domino maiestatis manus sacrilegas intulerunt, ipsumque vitæ autorem, & do H
minum gloriæ morti tradiderunt: Et non cuicunque, aut qualicũque morti, sed morti turpissimæ, morti ignominiosissimæ, qualis erat mors crucis.

Philo. Iudæ. Mors crucis (sicut lib. de speciali lege autor est Philo Iudæus) non dabatur tunc tẽporis nisi homicidis: & ideo clarissime apparet, quàm iniuste contra Dei filium se gesserint iudæi, qui supplicium crucis, quod Barrabæ, quem ipsi sibi dimitti postulabant,

A bant, duplici de causa debebatur. tùm vt Latroni: tùm quia homicidium fecerat in seditione, iniuste prorsus ipsi Dei filio irrogarunt tanto enim odio in ipsum exardescebant, vt non satis illis esset, latronem, & homicidam liberasse, nisi etiam supplicium crucis, duplici ex causa (sicut dictum est) illi debitum, in ipsum Christum conuertissent.

Adeo enim iudæi Christo erant infensi, & contra illum tàm acerbo odio incensi, vt non nisi per hoc mortis genus, illum dè medio tollendum esse indicarent. Id, quod propheta Isaias iam tunc in spiritu, sic euenturum esse prædixit: Et non cognoui, Isa.11.
B inquit, quia cogitauerunt super me consilia. Hoc est, non cognoui in me peccatū, propter quod talia in me consilia cogitarent, dicentes. Mittamus lignum in panem eius: & eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius. Nam licet in Hebræo, pro eo, quod nos dicimus: Mittamus lignum in panem eius, habeatur: Corrumpamus lignum in pane eius: hoc est, venenò cibum eius corrumpamus: tamen (id, quod ad rationem nostri instituti spectat) melius habet nostra æditio, quæ dicit: Mittamus lignum: scilicet, crucis in panem eius: hoc est in corpus eius nempe Saluatoris, qui est panis, qui
C de cœlo descendit. Quasi dicerent: Crucifigamus eum, & per hoc mortis genus eradamus eum de terra viuentium; & nomen eius non memoretur amplius.

Sed ò superbi, o stulti, quomodo à Deo mente cordis sui omnino dispersi sunt. Nam omnia media, quæ ipsi assumebant, vt Christum de hominum memoria tollerent, ipsi Deo seruiebant vt Christum sublimaret, vt Christum exaltaret. Elegerunt iudæi crucem vt Christum humiliarent, & vt per illam Christum, & eius nomen obliuioni omnino demandarent. Hāc ipsam crucem
D elegit Deus, vt Christū extolleret, & vt eius nomen perpetuæ hominum memoriæ cōmendaret. Propterquod (dicit D. Paulus) & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne Philip.2.
nomen: vt in nomine Iesu omne genuflectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua cōfiteatur quia Dn̄s Iesus Christus in gloria est Dei Patris. Vides ex Apostoli testimonio quam exaltationem, quā nominis gloriam per crucem Dn̄s acquisiuit? Et quid dico de Domino Iesu? Neq; etiam ipsa crux propter Dominum, qui in ea pependit, sine honore remansit. Cum enim sub

ſub antiquis ſolum ſcelerati in ea crucifigerentur, modo nullus E
crucifigitur. Honorata eſt, & finita eſt: finita eſt in pęna: manet in gloria,& honore. à locis ſuppliciorum fecit tranſitum ad frontes Imperatorum. Vt exinde cognoſcamus quid ſeruis ſuis, quid fidelibus ſuis ille ſeruet,qui tantam gloriam, & tantum honorem ded t pęnis ſuis.

Verum de cruce cur tantum loquimur, vbi nihil fuit in paſſione Chriſti,quod ſine ſuo honore remaneret? Cum honore reman ſerunt claui,lancea,corona,veſtes & huiuſmodi alia. Et in tali,& cum tali honore remanſerunt,vt propter Chriſti cōtactum ab ho
minibus adorentur: ſed tamen non eadem adoratione,qua ipſam F
crucem adoramus: quam in quantum nobis repræſentat figuram Chriſti in ea extenſi: Et inquantum habuit contactum ad membra Chriſti, & inquantum etiam eius pretioſiſſimo fuit ſanguine perfuſa,eadem adoratione cùm Chriſto adoramus: nempe, adoratione latriæ. Propter quod etiam ipſam crucem alloquimur, & deprecamur quaſi ipſum crucifixum,& in ipſa ſpem ſalutis ponimus. Vnde de illa canit Eccleſia. O crux aue ſpes vnica,hoc paſſionis tempore auge pijs iuſtitiam, reiſque dona veniam. Itaque nullum fuit inſtrumentum paſſionis Chriſti, quod in glorium re-
maneret,ſoli Iudæi fuerunt, qui opprobrio & confuſione pleni re G
manſerunt. Vnde dè illis multò ante in perſona Chriſti cecinit Dauid ſic dicens: Dedit in opprobrium conculcantes me.

Pſal. 56. Sed quos dedit in opprobrium? Iudæos. Qui mortuo Chriſto inſultauerunt, qui tanquam hominem crucifixerunt, quia Deum non intellexerunt, dedit eos in opprobrium. Sęuierunt iudæi in Chriſtum, ſuperbierunt in Chriſtum in ciuitate Ieruſalem, vbi enim regnabant,ibi tumebant,ibi ceruices erigebāt: Sed poſt paſſionem Domini eradicati inde ſunt: & regnum perdiderunt, in quo Regem Chriſtum agnoſcere noluerunt. O quomodo
dati ſunt in opprobrium: diſperſi ſunt per omnes gen H
tes, nuſquam ſtabilitatem, nuſquam certam ſedem habentes. Verum quia hæc ad ſecundam eorum diſperſionem magis pertinent, ea in ſequens caput reſeruamus, vbi de ea dicere intendimus.

A

CAP. VIII.

Iudæi ne amitterent regnum, & gentem Christum interfecerunt: sed eo interfecto, & regnum, & gentem omnino amiserunt.

Dispersit superbos mente cordis sui. Luc. 1.

B 

Alutis nostræ autorem morti turpissimæ Iudæi impij, & superbi tradiderunt, neque ad id aliam causam inuenerunt, nisi quia videbant ire turbas post Christum regnum cęlorum prædicantem, & multa miracula facientem, propter quæ ipsæ turbę credebant in eum, atque etiam quia timebant perdere terram, locum, & gentem suam. Propter hæc ipsorum Iudęorum Pontifices & Pharisæi aduersus Christum concilium collegerunt dicentes. Quid facimus, quia hic homo multa Ioan. 11. signa facit? Si dimittimus eum sic omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent locum nostrum, & gentem. Hæ sunt C causæ propter quas superbi, & impij Iudæi, vitæ autorem, & Dominum gloriæ tàm acerbæ morti tradiderunt.

Sed o miseri quàm condigna pęna mulctati sunt: post crucifixum enim Dominum tanto, & tàm magno in illos flagello vindicatum est, vt Ierusalem perderent, & ab illo loco eradicarentur, vbi tàm impia libertate furiosi aduersus Dominũ insanierunt. Dispersi sunt per omnes gentes, & data est illa terra Christianis: Et sic impletum est illud, quod de illis prædixerat dominus ita dicens. Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti Mat. 21. iustitiam.

D O iudæi miseri quid fecistis? Ne perderetis terram, ne amitteretis locum, & gentem, terræ, cœlique Dominum interfecistis: sed eo interfecto omnia simul perdidistis. Accidit vobis id, quod timebatis: qui nè perderetis locum crucifixistis Christum: sed vicerunt vos Romani Imperatores, & Reges gentium, & expulsi fuistis dè illo loco, vbi Christum iàm impie interemistis. Et modò locus ille plenus est laudatoribus christianis, impletus est laudatoribus Christi, & caret inimicis Christi. Nullum enim habet ex

vobis,

Mat. 23. vobis, ſicut vobis ipſe Chriſtus ante prædixerat. Relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Neque ſolus Chriſtus, ſed veſter etiã Dauid propheta propter tantam veſtri ſceleris atrocitatem non ſo- E
Pſal. 68. lum prædicebat, ſed prædicendo etiam imprecabatur. Fiat, inquit, habitatio eorum deſerta, & in tabernaculis eorum non ſit, qui in habitet. Factum eſt totum hoc in veſtra ciuitate Ieruſalẽ, in qua viſi eſtis vobis potentes clamando aduerſus filium Dei, &
Luc. 23. dicentes. Crucifige, crucifige eum. Multum vobis potentes, multum magni ibi viſi eſtis: ſed conſecuta eſt poſtea Domini vindicta, expugnata namque eſt ciuitas, debellati eſtis vos, occiſa ſunt multa hominum millia, & modo nullus illic permittitur accedere ex vobis. Vbi potuiſtis aduerſum Dominum clamare ibi à Domino non permittimini habitare. F

Quid, ſodes, quid vobis ò miſeri Iudæi profuit? Quid vobis
Ioan. 11. profuit dicere: Si dimittimus eum ſic venient Romani, & tollent nobis locum, & gentem? Non eum dimiſiſtis viuum, & tamen ille viuit, & venerunt Romani, & tulerunt vobis locum, & Regnũ, & modo in tabernaculis veſtris non eſt, qui inhabitet ex veſtra gente: nam loca illa omnia, & hominibus plena ſunt, & Iudæis omnino inania ſunt. Non videtis quomodo à Domino mente cordis veſtri diſperſi eſtis? Non videtis quàm bene in vobis impletũ eſt, quod à noſtra Virgine de vobis tam optimo iure dictũ, & prophetatum eſt: Diſperſit ſuperbos mente cordis ſui? Vos enim cum Regnum terrenum timeretis perdere, Regem cœli, & terrę non dubitaſtis occidere: ſed non ſicut exiſtimaſtis ita vobis euenit: ſed multò contra: omnia enim, quę timebatis perdere perdidiſtis, & quod multò maius eſt, qui Deum Dominum, & Regem, & ipſam veram libertatem contempſiſtis, & Chriſto Domino, vt decuit ſeruire noluiſtis, eius dominio minime caruiſtis: illi enim ſeruiunt Reges, quibus vos per vniuerſam terram diſperſi ſeruitis: & ſic facti eſtis mali ſerui bonorum ſeruorum Chriſti, contra quem vos ipſi clamaſtis: Non habemus Regem niſi Cę- G H
Ioan. 19. ſarem. Iſti ſunt qui conterunt contumaciam veſtram, qui diſſipant cõſilia veſtra, denique iſti ſunt, qui retribuunt ſcelera in capita veſtra.

Verum quia cùm Iudęis ante finẽ huius libri cõſultius fortaſſis ſumus acturi, cũ illis hoc loco fuſius agere intermittamus, & eorũ diſperſionem per vniuerſum orbẽ iam ſequenti capite videamus.

CAP.

A

CAP. IX.

Iudæi quare per vniuersum orbem dispersi à Deo sunt, & ab ipso interfecti non sunt: ipsi inuicti testimonium nobis perhibent de Christo, & codices nobis portant, quibus ipse nobis prędictus est.

Dispersit superbos mente cordis sui. Luc. 1.

B DIuus Augustinus libro quarto de ciuitate Dei cap. 34. de Iudæorum dispersione loquens: Et nunc, inquit, ꝙ per omnes fere terras gentesque dispersi sunt vnius illius veri Dei prouidentia est, vt quod deorum falsorum vsquequaque simulachra, aræ, luci, templa euertuntur, & sacrificia prohibentur, de codicibus eorum probetur quemadmodum hoc fuerit tanto ante prophetatum, nè forte cùm legeretur in nostris, à nobis probaretur esse confictum. Hanc eandem huius dispersionis causam adducit idem D. Augustinus lib. 8. de ciuitate Dei cap. 46. sub his verbis: Nobis quidem illa sufficiunt, quæ de C nostrorum inimicorum codicibus proferuntur, quos agnoscimus propter hoc testimonium, quod nobis inuicti perhibent eosdem codices habendo, atque seruando per omnes gentes etiam ipsos esse dispersos quaquauersum Christi Ecclesia dilatatur. Neque dissimilem huius iudaicæ dispersionis rationem adducit Rupertus Abbas lib. 3. commentariorum in tertium caput Naum prophetæ, quo loco Rupertus sic inquit, Vnde notandum, iudæorum dispersionem ideo factam esse, vt nõ tantum in vno loco, sed in omni terra fidem gentium confirmarent, dum eum à parentibus suis crucifixum fuisse assererent, & scripturas, in quibus nobis præ- D dictus est, se habere non denegarent.

D. Augu.

D. Augu.

Ruper.

O miseros, & nimium satis miseros iudęos, non tantùm mente cordis sui dispersi: sed per omnes etiam gentes dispersi, vt eorum quoq; testimonio gentium fides certior haberetur. Qua in re illud est maximopere notandum, quod pijssimus Dominus noluit iudæos omnino occidere, quia occisi nihil valerent ad illud testimonium, quod nobis ab illis necessarium erat. Dispersit ergo illos per vniuersas regiones, vt sic dispersi hoc veritatis testimonium

quamuis

quamuis inuicti, & coacti perhiberent. Qua de re præmissa est E
Psal. 58. aperta prophetia in Psalmis, in quibus sic scriptũ est. Deus ostendit mihi super inimicos meos, nẽ occidas eos, nequãdo obliuiscantur populi mei: disperge illos in virtute tua, & depone eos protector meus domine: quæ prophetiæ verba omnes fere patres de
D. Augu. iudęis intelligunt. Inter quos D. Augustinus hæc eadem verba: Deus ostẽdit mihi super inimicos meos, sic vertit Deus meus demonstrauit mihi de inimicis meis, hebraicã veritatẽ forte secutus, in qua pro eo, quod nos dicimus: Deus ostendit mihi super inimicos meos: sic habetur: Deus videre faciet me in inuidis meis.

Videamus ergo quid hoc sit: videamus quid sibi velit hoc, F quod dicitur: Deus videre faciet me in inuidis meis: sicut est in hebręo. Siue, Deus demonstrauit mihi de inimicis meis: sicut vertit D. Augustinus. Quod sane tale est. In inimicis meis, siue per inimicos meos iudæos mihi demonstrauit, quantam super me, & in me habeat misericordiam. Sed cui hoc Deus demonstrauit? Ecclesiæ suę. Nam ecclesiæ suę Deus demonstrauit in eius inimicis iudęis
Rom. 11. gratiam misericordię suæ Quoniam sicut ad Romanos dicit Apostolus: Illorum delicto salus est gentibus. Et ideo non eos Deus occidit, hoc est, non in eis perdidit quòd sint iudęi, quamquam à Romanis victi, & oppressi fuerint, ne obliti legem Dei ad hoc de G quo agimus testimonium inutiles haberentur. Et ideo prophetę parum fuit dicere: Nè occidas eos, nequando obliuiscantur legem tuam: sed etiam addidit: Disperge illos. Cuius rei ratio est, quia si cùm testimonio scripturarum in sua tantummodo terra, & non vbique essent, profecto ecclesia, quę vbiq; est, eos prophetiarum, quę de Christo pręmissę sunt, in omnibus gentibus testes habere non posset. Hac de causa ergo per omnes gentes superbi à Deo disperguntur, vt libros nostros portent ad confusionem suam & ad gloriam nostram. Quando enim volumus ostendere prophetatum Christum proferimus paganis istas literas, & ne ipsi pa H gani duri ad fidem forte dicant, quia nos illas christiani composuimus, & quod simul cùm euangelio, quod prędicamus prophetas quoque finximus, per quos id prędictum videretur, quod prędicamus, hinc eos conuincimus, quia omnes ipsę literę, quibus Christus prophetatus est apud iudęos sunt: omnes ipsas literas habent iudęi. Et sic proferimus codices ab ipsis inimicis, vt confundamus alios inimicos.

Hoc

A Hoc vero quantum Iudæorum redundet in opprobrium, nemo, ficut credo, eſt, qui non videat, niſi ſolus ille, qui ſicut ipſi Iudæi cæcus, & ſtolidus omnino fuerit. Codicem enim portat Iudæus vnde credat Chriſtianus, & ideo librarij noſtri ſunt, immò baiuli librorum noſtrorum. Quia ſicut ſerui poſt dominos ſuos codices ferunt, quibus ipſi ſerui portando deficiunt, Domini vero legendo proficiunt, ſic Iudæi libros noſtros portant, quibus ipſi onerentur, & nos erudiamur. Ad hoc Iudæos conſeruari Deus voluit, propter hoc voluit, vt ipſi nunquam legem mutarent, ſicut aliæ gentes, quę à Romanis ſubiugatæ ſunt, quæ in ritum ſacrorum Romanorum tranſierunt, eademq́ue cum ipſis Romanis celebranda, atque obſeruanda ſuſceperunt. Gens vero Iudæa, ſiue ſub paganis regibus, ſiue ſub Chriſtianis fuerit, nunquam amiſit ſignum legis ſuæ, quo à cæteris gentibus populiſq́ue diſtinguitur. Nam omnis Imperator, vel Rex, qui Iudæos in Regno ſuo inuenit, cùm ipſo ſigno eos inuenit, nec occidit. Hoc eſt, non efficit, vt non ſint Iudæi certo quodam, & proprio ſuæ obſeruationis ſigno à cæterarum gentium communione diſcreti. Simile.

B (margin letter at "rum Romanorum")

Et ideo dici poteſt, quod videtur Deus poſuiſſe ſignum in Iudæis, eo modo, quo antefecerat in Cain. Quemadmodum enim in illo impijſſimo fratricida, quem Deus propter mortem innocenti fratri Abel illatam vagum, & profugum ſuper terram eſſe decreuit, poſuit Deus ſignum nè occideretur, ipſa hoc diuina ſcriptura atteſtante, ac dicente: Poſuitq́ue Dominus in Cain ſignū, vt non interficeret eum, omnis, qui inueniſſet eum: ita cum Iudęis feciſſe videtur, quos propter mortem veriſſimi, atque innocentiſſimi Abel filij ſui, ſuper terram vagos, profugos, & diſperſos eſſe voluit. Nè enim per vniuerſas mundi partes vagi, profugi, & diſperſi occiderentur, poſuit Deus in eis ſignum, & cùm eo ſemper remanſerunt tenentes legis reliquias: circuncidentes ſe (hoc enim eſt ſignum, quod habent Iudęi) ſabbata obſeruantes, paſcha immolantes, azima comedentes: & cum tali ſigno inuenti non occiduntur: quia propter libros, quos (ſicut diximus) portant, gentibus credentibus neceſſarii ſunt, inter quas ipſi miſeri vagi, profugi, & diſperſi feruntur. Simile. Gen. 4.

C (margin letter at "in illo impijſſimo"); D (margin letter at "(hoc enim")

CAP. X.

Iudæi suis libris alijs prosunt, & sibi non prosunt. Ipsi in sola scripturarum superficie hærentes solum id, quod litera sonat suum reputant, nostrum vero id, quod ipsa designat. Post Christi mortem Iudæorum corporibus tam grauis fætor inhæsit, ut fætentium nomen sint consecuti: Ipsi omnibus nationibus abominabiles sunt.

Dispersit superbos mente cordis sui. Luc. 1. F



ECTAM Mentis aciem si quis in Iudæos conuertat, eos adeo cæcos, & amentes sine dubio esse comperiet, vt libris suis alijs prosint, & sibi ipsis nequaquam prosint. O miseros, ô infęlices: Vtinam saperent, & intelligerent: vtinam sicut suis libris alijs prosunt, prodesse possent & sibi. Vtinam quod alij in ipsis vident, viderent & ipsi: Vtinam denique non cæci attenderent ad speculum, intenderent in speculum suũ, quod cùm ipsi portent, in ipso tamen non videntur, & alii videntur. Sicut enim apparet facies cæci speculum portantis in ipso speculo, ab alijs videtur, ab ipso non videtur: sic Iudæi scripturã tanquam speculum portant: sed in illa veritas ab aliis videtur, & ab ipsis non videtur. Sunt enim omnino cæci, & adeo cęci, vt scripturam portantes, & ipsam legentes extra remaneant, & in sola hæreant superficie ad instar cæcorum forinseca solum palpantes, & interiora, profundaque minime rimantes. G

Simile.

Simile.

Et inde fit, vt Iudæi prętiosissimas veritatis exuuias ex ipsa scriptura tota auiditate diripere, sibique tollere non possint, neq; minus cùm propheta decantare. Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa. Talia cùm propheta spolia Iudæi in scriptura non inueniunt, quia non velatum in ipsa mysteriũ, sed pro velato mysterio, ipsum solum ipsius mysterii velamen volunt tenere: & ad verum spiritum, qui in profundo scripturæ sanctæ gremio inclusus continetur, mentis oculos nolunt, neque aperire, neque mundare. Et ideo impossibile est quantumuis lectionis instantia desudauerint, quod spiritalem ipsius scripturę scientiam, H

Psal. 118.

aut

A aut illius cognitionem, in quo (teste Apostolo) sunt omnes thesauri scientiæ, & sapientiæ absconditi, adipiscantur, quia mentis oculos nolunt mūdare. Sicut enim matutinos solis ortus si quis spectare desiderat, emundat oculos suos, ne quid pulueris, ne quid purgamentorū ipsis oculis insileat, quo intuentis hebetetur obtutus: ita iudęi si verum solem Christum, qui in lectione scripturarū oritur, in ipsis scripturis volunt spectare, debent emundare oculos mentis, animiq; interioris obtutus, ne suorum peccatorum festucæ, & vtinam non trabes, sui cordis, & mentis turbent, & perturbent aspectum. Simile.

B O si ita Iudæi facerent. O si sic mētis suæ oculos emundarent: quàm dulce, quamque salutare epulum spiritus eruerent de sterili, & insipida litera, sicut granum de palea, de testa nucem, & de duro osse medullam. Sed ò miseri, quia nesciunt, quia nihil sibi, & literæ huic, quæ gustata carnem sapit, & glutita mortem affert: nesciunt quòd id, quod in litera tectum est, de spiritusancto est. Et sic miseri, sic infęlices pro velato in ipsa litera mysterio ipsius mysterii solum velamen tenent. Sed quare hoc? Vnde hoc? Ex eo sane, quia adhuc velamen est positum super cor eorum, & tale velamen, vt id solū, quod litera sonat, suū reputent, & nostrū totū, id Simile.

C quod ipsa litera designat. Et ideò est illis ministratio mortis in litera, nobis autē vita in literę spiritu. Nam teste Euangelista spiritus est, qui viuificat, dat quippe intellectū. An nō vita intellectus? Intellectū da mihi, & viuam: dicit propheta Dño. Si ergo teste propheta qui intelligit viuit: bene sequitur quòd Iudęi non intelligentes non viuunt, sed mortui sunt, & adeo mortui, ut illis gentium simulachris meritò cōparentur, de quibus idem dicit ꝓpheta: Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non videbūt: aures habent, & non audient: nares habent, & non odorabunt: Ioan. 6. Psal. 118. Psal. 113.

D manus habent, & non palpabunt: pedes habent, & non ambulabunt, non clamabunt in gutture suo.

Quis ijs gentium simulachris, Iudęos meritò non dixerit cōparari? Ipsi enim ad ueritatē uidendam, ac cognoscendā tàm internos, quam externos sensus, ita sopitos habent, ac si non homines: sed saxea quędam essent simulachra. O dolendam Iudęorum cęcitatem: & non tantum dolendam, sed multum sane admirandā. Iudęis iam olim propter sua peccata, inter alias multas maledictiones, hanc etiam ipse Moyses imprecabatur. Percutiet te Dñs Deut. 28.

amentia,& cęcitate, ac furore mētis, vt palpes in meridie ficut pal E
pare solet cęcus in tenebris, & nō dirigas uias tuas. Patiuntur quidem hęc omnia Iudęi superpi furiosi, cęci, & amentes, & adeò amentes, & sicut dicit nostra Virgo de mente cordis sui dispersi, vt
Simile. malū suum minime agnoscāt. Sicut enim amentes, mente capti, & attoniti cùm ęgrotant, neq; hoc ipsum sentiunt, se esse ęgrotos: ita Iudęi cum omnino amētes sint, morbum suū nequaquā sentiunt.

Hęc Iudęorum amentia tàm insignis in causa est, non solum, vt sine ęstimatione, & reputatione dispersi versentur inter gentes: sed etiam vt omnibus in prouerbium, ac fabulam dati sint, eo mo-
Deut. 28. do, quo illis per Moysem multò ante prędictū fuit. Et eris perditus F
in prouerbium, ac fabulam omnibus populis, ad quos te introduxerit Dominus. Nulla enim terra est, per quam Deus gentem istā
Deut. 28. non dispersrit: iuxta illud eiusdem Deuteronomii: Disperget te Dn̄s in omnes populos à summitate terrę usque ad terminos eius. Et tamen nullibi in pretio sunt: Sed vbiq; terrarum odio sunt omnibus hominibus, & cunctis nationibus abominabiles redditi.

Neque hoc sanè immeritò, cùm eorum corporibus tam grauis, ac intolerabilis fętor inhęserit, vt ex eo fętentium nomen sint con-
Ammian. secuti. Hac de causa Ammianus Marcellinus lib. 2. de Marco Imperatore, sic scribit. Ille enim cum Palęstinam transiret, Ægyptū G
petens fœtentium Iudęorum, & tumultuantium sępę tędio percitus dolenter dicitur exclamasse: O Marcomani, ò Quadi, ò Sarmatę tandem alios vobis deteriores inueni.

Olim Iudęi contra Moysem, et Aaron indignari dicebant:
Exod. 5. Videat Dominus, & iudicet, quoniam fœtere fecistis odorem nostrum. Sed nunc multò maiori iure sibi ipsis irasci, & indignari debent, quia se ipsos suis peccatis abominabiles, fœtidosque effecerunt. Adeo enim Iudęi eorum exigentibus meritis, seu potius demeritis, maximeque post illud impiissimum ob mortem Christi commissum facinus, fœtidi remanserunt, vt ipsis per vias, & H
plateas incedentibus, eorum fœtor clausas domos penetret, ibiq; existentes inuadat, & grauet.

Possunt in huius rei confirmationem, illa iure optimo adduci, quę lib. 2. miraculorum, siue historiarum memorabilium cap. 26. Narrat antiquus ille venerandę pietatis, reconditęq; do-
Cæsari. ctrinę autor, idemque Cistercienfis monachus Cæsarius, qui ante quadringentos ferè annos scripsit: quo loco dicit, quod veniēte

quodam

A quodam Iudæo cum suis amicis, & cognatis ad monasterium, in quo erat eius filia puella, quę illo inuicto facta fuerat Christiana, vt eam inde educeret: Virgo intus constituta cùm de illorum aduentu prorsus nihil sciret, sentire cœpit fœtorem magnum, & sic magnum, & intolerabilem, vt audientibus cunctis in hunc modũ loqueretur. Nescio vnde sit, fœtor iudaicus me grauat. Cumque interim Iudęis pulsantibus, Abbatissa diceret: filia Catherina (ita enim in baptismo vocata fuit) parentes tui cupiunt te videre: cui illa statim respondit: Ecce iste est fœtor, quem sensi: non videbo illos. Et sic non acquieuit neque exire, neque videre illos. Hęc B Cęsarius. Ex quibus quidem optime colligitur, quàm abominabiles, quamque fœtidi Iudęi remanserint propter sua peccata, pro pterque, & pręsertim propter mortem filij Dei omnem bonũ odorem, quem habebant, perdiderunt.

De bono Iudęorum odore, quem ipsi habituri erant prophetãs Oseas. Israel, inquit, germinabit sicut lilium, & erumpet radix eius vt libani, ibunt rami eius, & erit quasi oliua gloria eius. Verum totus hic odor in Iudęis conuersus est in fœtorem, ita vt in illis illud Isaię impleretur: & erit pro suaui odore fœtor. Hunc Iudęorum fœtorem pręuidẽs Oseas: Nunc, inquit, factus est (loqui C tur de Israel) in nationibus quasi vas immundum. Et licet propheta his verbis de preterito loquatur, tamen de futuro intelligendus est. Quia in illis (sicut bene super hunc locum adnotauit Nicolaus de Lyra) loquitur ipse propheta de futuro per modum præteriti, propter certitudinem suæ prophetiæ. Osе. 14. Isa. 3. Ose. 8.

Sed quid sibi vult, quod propheta dicit: factus est in nationibus quasi vas immundum? Hoc planè sibi vult. Vult significare maximam huius miserabilis populi abominationem, quem dicit futurum quasi vas immundum. Sicut enim vas immundum, vas horridum, & obscœnum propter eius pessimum odorem omnes D abominantur: quia oculis tantum conspectum omnibus horrorem affert, & tædium: ita Iudæos tanquam vas immundum, & obscænum totus orbis abominatur. Non solum Christianis, sed hæreticis etiam, Mauris, turcis, & denique omni genti, & omni nationi abominabiles sunt, & ita abominabiles, vt ad mortuos canes multò facilius, & tolerabilius sit accedere, quàm ad illos propter eorum intolerabilem fœtorem. Simile.

Et sicut etiam in vas fœtidum, putridum, atque corruptum, vnguentum Simile.

guentum aliquod nobile, aut mel optimum, aut prætiosi quicquã E
liquoris nemo infundit: facilius enim quamuis odoratissimam mirrham semel imbuta fętoribus testa contaminat, quàm vt aliquid suauitatis, aut gratiæ ipsa concipiat: quia citius munda corrumpuntur, quam corrupta mundentur. Ita infœtidos & obscœnos Iudæos tanquam in immunda, fœtida, & horrida vasa nõ infunditur prætiosissimum illud vnguentum spiritualis intelligentię scripturarum, quia horridissima, & fœtidissima vasa sunt: & facilius veram ipsarum scripturarum intelligentiam corrumpunt, atque contaminant, quàm ab earum eloquijs, quæ dulciora sunt super mel, & fauum, aliquid vtilitatis percipiant. Sed de ipsorum F
Iudæorum abominatione, propter quam perpetuæ infamiæ nota illis inusta est, hæc solum in præsentiarum dixisse sit satis.

CAP. XI.

Iudæi propter quodnam eorum maxime delictum sic à Deo puniti sunt. Ipsi ad Christi fidem inuitantur.

Dispersit superbos mente cordis sui. Luc. I. G



SI Vero à nobis quæratur propter quodnam Iudæorum præcipuè delictum, tantam ipsi vindictam experti sunt, quantam in superioribus recensuimus, illud sanè nullum aliud, hoc loco fuisse respondebimus, nisi illud, quod in vnigenitum Dei filium iniquissimè perpetrarunt. Namque si ex vindictæ pondere immanitatem pensamus delicti, non aliud quidem propterquod, talia passi Iudæi sint, inueniemus, quàm horrendum illud, & omnium maxime execrãdum facinus, H
quod in Christum Dei filium à Patre missum, tot oraculis prophetarum testatum: tot, tantisque miraculis illustratum, ac testimonijs declaratum impijssimè admiserunt. Hoc impijssimum, im manissimumq; Iudæorum facinus in causa fuit, vt apud omnes tàm abominabiles redderentur, & per omnia terræ loca non solũ tàm miserabiliter dispergerentur: sed quod multò grauius est mẽ te cordis sui dispergerentur: quia non solum Dei filium prædicantem, ipsosque ad salutem inuitantem non audierunt: sed iniustissimæ

A simæ etiam eum morti tradiderunt.

Sicut enim gallinarum pulli frequenter à matre vocati, si non obaudierint, neque secuti fuerint matrem, matre ipsa longius aberrante, aut venit accipiter, & dispergit eos, aut longius ab ipsa matre euagantur, vt pereant: Ita Deo frequenter Iudęos ad se vocante, quoniam ipsum Iudæi non audierunt, neque eum sequi voluerunt, deserente eos Domino venit accipiter, venit Rex Romanus, & partem eorum consumpsit gladio, & fame, alij vero per singulas prouincias dispersi sunt, vt perirent sub graui illo, & ferreo iugo, quod Iudæis ab eorum inimicis propter eorum peccata im- Simile.
B positum est: & imponendum esse Moyses tunc prædixit, quando dixit: & ponet iugum ferreum super ceruicem tuam, donec te conterat. Deut. 28.

Sed vsquequo ò miseri: Vsquequo ò superbi ferreum istud iugum vestris sub inimicis patiemini? Vsquequo tam miseræ captiuitatis iugum portabitis? Et quid dico iugum captiuitatis? Vsquequo vestrorum peccatorum, & ignorantiæ iugũ portabitis? Vsquequo mente cordis vestri dispersi in tantis cæcitatis, & ignorantiæ tenebris perdurabitis? Durum, & graue est illud vestræ captiuitatis iugum, sed multò durius, & grauius est, mihi credite,
C istud vestrorum peccatorum iugum. Deponite ergo illud. excutite illud de collis vestris: Excutite cæcitatem de cordibus & oculis vestris, & excutietis iugum de collis, & duris ceruicibus vestris. Facite quæ vobis vester imperat propheta; Excutere, inquit, de puluere, consurge, sede Ierusalem, solue vincula colli tui captiua filia Sion. Non cùm saxis, & muris: non cùm domibus, & ædificijs loquitur ciuitatis: sed vobis cùm loquitur, & loquendo vos admonet, vt vos iam tandem excutiatis de puluere peccati obstinationis, & incredulitatis vestræ, vt declinetis à malo, & faciatis bonum: vt sedeatis mente quieta, atque etiam vt Isa. 61.
D captiui vincula colli vestri soluãtis. Hoc est, vt qui effœminatione quadam animi vsque hodie iugum vestrorum peccatorum portastis, & vestris vitijs constricti fuistis, ab illis tandem iam nunc vos expediatis. Nõ à se locutus est vester propheta, diuini spiritus instinctu Domini sui iussu vos admonet, & vobis prædicat. Prędicat, inquam, non iam debitam tantis vestris sceleribus iustitiã: sed misericordiam, sed indulgentiam. Spiritus Domini, inquit, super me: ad annuntiandum mansuetis misit me, vt mederer con- Isa. 52.

tritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionem. Si mansueti esse vultis: si iã superbi, & obstinati esse non vultis, & humiles spiritu esse vultis, pro vobis mittitur propheta, vobis loquitur, vobis prædicat indulgentiam, & apertionem: Vobis, inquã, captinis sub diabolo, & erroribus vestris, vobis clausis in tanto infidelitatis, & ignorantiæ carcere, in tantis incredulitatis, & obstinationis tenebris. Exite igitur ò miseri, exite de duricie captiuitatis, & ignorantiæ vestræ, exite de baratro infidelitatis, & ignorantiæ vestræ: Et qui vsque nunc dormistis, tandem aliquando iam adijcite vt resurgatis. Qui magis tenebras, quàm lucem vsque modo dilexistis, contemnite tenebras, & lucem diligite. Denique qui vsque adhuc in vitijs iacuistis, tandem surgite, & illuminamini fide, quia iam venit lumen vestrũ, iam Dei filius homo factus est. Surge illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum. Dicit vester propheta. Dicit vobis, quia Dei filius iam homo factus est, qui est verum lumen; lumé ad reuelationem gentium, & gloriam plebis suæ Israel. Accedite ergo ad lumen: accedite, sicut vester etiam Dauid vos inuitat, accedite & illuminamini: Et Isaias etiam: Domus, inquit, venite ambulemus in lumine Dei nostri. Occidistis Christum in parentibus vestris: tandiu non credidistis, & contra dixistis: sed non dùm peristis, quia nondùm de corpore existis: & nunc habetis spatium pœnitentiæ nunc venite. Olim quidem debuistis: sed & nunc venite: non dum enim finiti sunt dies, cui non venit vltima dies.

Isa. 60. Luc. 2. Psal. 33. Isa. 2.

Neque mihi dicatis ò Iudæi, quomodo ad eum accedemus? tantis malis, tantis peccatis onerati sumus: tanta scelera clamant de conscientia nostra. Et quod grauius est, sicut Abel sanguis contra Cain clamabat, ita sanguis ipsius filij Dei, quem tàm iniuste occidimus, clamat contra nos de terra: quomodo ergo accedemus? Quomodo? Si per pœnitentiam humiliemini. Concedo vobis, non nego vobis, quòd sanguis Christi, quem occidistis clamat contra vos de terra: Idque sanguineus ille Christi sudor portendebat, de quo Lucas Euangelista dicebat: Et factus est sudor eius tanquam guttæ sanguinis decurrentis in terram. Hoc enim in tanto illo miraculo significabatur. An non maximum illud miraculum? Non tantum sane fuit miraculum de vulneribus eius sanguinem effluere: quia tunc soluta erat caro, & naturale

Luc. 22.

E F G H

A tale est soluta carne saguinem fluere. Hoc solum insolitum est, supra naturam est, integra carne, sana cute, sanguinem fluere, & pro sudore de toto corpore in terram decnrrere. Quid ergo hoc erat nisi vehemens Iudaicæ vestræ perfidiæ accusatio: nisi terribilis damnatio populi parricidę? Sic enim dicit Apostolus: Accessistis, inquit, ad mediatorem Iesum, & sanguinis aspersionem melius clamantem, quam Abel. Quid fecisti, ait Dominus, ad Cain? Ecce vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra; Quod faciebat sanguis Abel contra Cain, hoc facit sanguis Christi contra vos: clamabat ille, clamat iste: sed multò B melius clamat: multò melius loquitur, sicut dicit Apostolus. Vndę ad Christum accedere minimè timeatis. Nam eius sanguis, non est sicut Abel sanguis: quia Abel sanguis solam vindictam fraterni homicidij, solam vindictam crudelissimi fratricidij nouerat clamare: Sanguis vero Christi, sicut contra impœnitentes nouit clamare vindictam: ita etiam contra pœnitentes non cessat clamare misericordiam. Et ideo non est ò Iudæi cur timeatis ad Christum accedere: non est quod vereanimi ad istud lumen appropinquare. Accedite ergo ad illud: accedite & illuminamini, sicut vester dicit propheta. Qui cùm vobis dicit, vt accedatis: C non loquitur de gressu pedum, non de subuectione vehiculorum, non de celeritate animalium, non de eleuatione pennarum. Nec vult vt naues, aut iumenta præparetis, & ea vestris victimis oneretis, & de tàm longinqua terra pergatis ad locum, vbi Deus sacrificia vestræ deuotionis acceptet: Sed dicit vobis, vt credatis.

Heb. 12.

Gen. 4.

Quò enim eatis, vt ad eum accedatis, cùm ipse sit lapis, de quo Daniel propheta dicit, quòd crescendo tàm magnus mons factus est, vt impleret vniuersam faciem terrę? Fidem ergo D vestram requirit propheta: per fidem vult, vt accedatis, hoc enim modo accedendo non laborabitis, ibi enim acceditis, vbi creditis.

Dan. 2.

CAP.

E

CAP. XII.

Mens Dei, & cor Dei, quid sint Deus propter quid à superbis abscondat intelligentiam diuinæ scripturæ, quæ per eius cor significatur: Maria propter hoc, ipsum. Deum laudans, non propterea superborum malis delectabatur.

Disperſit ſuperbos mente cordis ſui. Luc. 1.

F



Voniam extrema hæc huius verſiculi verba, duplicem ſignificandi modum admittunt, eum videlicet, quo ſuperbi ſignificantur à Deo diſperſi mente cordis ſui, hoc eſt, ipſorum ſuperborum. Et illum etiam, quo ipſi ſuperbi ſignificantur diſperſi mente cordis ipſius Dei: Ideo vbi iã egimus de primo ſignificãdi modo: hoc eſt, de ſuperbis diſperſis mente cordis ſui: reliquum eſt nunc vt agamus dè ſuperbis diſperſis mente cordis ipſius Dei. Hoc vero vt commodius fiat, videndum nobis imprimis eſt, quid ſit mens Dei, & cor Dei: his enim viſis tunc demum intelligemus, quid hoc ſit, quòd Virgo dicit: G Diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.

Simile. Quod igitur imprimis attinet ad mentem Dei: Dicendum eſt, quod ſicut mens in homine, quæ eſt princeps ipſius animæ facultas, & intelligentia vocatur, aliquando accipitur prò intellectu, prò volũtate, pro memoria, & pro ratione: ita etiam in Deo mens (ſemper tamen metaphoricè loquendo) accipitur prò ipſius Dei intellectu, pro voluntate, prò memoria, & prò ratione.

Deinde quod attinet ad Dei cor, quod ei ſecundum metaphoram etiam attribuitur: cor Dei aliquando deſignat eius voluntatem, aliquando eius intellectum, aliquando ſapientiæ eius arcanum, ex quo Verbum, hoc eſt, filium ſuum æternaliter genuit ipſo per prophetam ſic dicente: Eructauit cor meum verbum bonũ. Aliquando denique accipitur pro ſacra ſcriptura in qua Deus cor ſuum, & voluntatem ſuam hominibus reuelat. H

Pſal. 44.

His à nobis ſic breuiter adnotatis aduertendum iam eſt, quòd hæc Mariæ verba: Diſperſit ſuperbos mente cordis ſui: Dupliciter poſſunt intelligi: vno quidẽ modo, ita vt ſit ſenſus, quòd Deus

diſperſit

A disperſit ſuperbos mente cordis ſui, id eſt, intelligentia ſcripturæ: Et hoc modo idem ſunt, ac ſi apertius Virgo diceret: Deus denegauit ſuperbis, abſcondit à ſuperbis, & elatis intelligentiam ſuæ ſcripturæ. Altero modo poſſunt intelligi, ita vt ſit ſenſus Deus diſperſit ſuperbos mente cordis ſui: hoc eſt, diſperſit illos de intellectu ſuo, de voluntate ſua, & de memoria ſua.

Sed age iam, vtrumque videamus, & à primo intelligendi modo prius exordientes, illud imprimis perſpiciamus, quid ſit, quod Deus diuinarum ſcripturarum intelligentiam à ſuperbis abſcondat: & quid etiam ſit, quod Virgo noſtra, propter huiuſmodi occultationem ſuperbis factam, ipſum Deum laudet, & magnificet.
B

Quod ergo attinet ad primum, vna ex præcipuis cauſis, propter quam ſcripturarum intelligentia à ſuperbis abſconditur, hæc eſt. Quia Deus nouit cogitationes ſuperborum quoniam vanæ ſunt, quia nouit ipſos ſuperbos, non eo animo ad ſcripturas intelligendas accedere, vt illarum ſcientiam adipiſcantur propter ſuum, & aliorum cõmodum, hoc eſt, vt ipſi ędificentur, alioſque ædificent. cum enim tali animo, & intentione ad ipſas ſcripturas accedant, indigni facti ſunt, quibus diuinarum ſcripturarum intelligentia manifeſtetur: quę ſolis humilibus reuelatur, quales illi erant, quibus à Christo dicebatur: Vobis datum eſt noſſe myſterium Regni Dei: cęteris autem in parabolis, vt videntes non videant, & intelligentes non intelligant. Quaſi diceret, vobis humilibus, vobis quærentibus, & ea ſolùm de cauſa ad ſcripturas accedentibus, vt diſcatis datum eſt à me, & à Patre meo vt earum intelligentiam clare percipiatis, & myſteria in ipſis recondita intelligatis: ſuperbis vero in parabolis: hoc eſt in obſcuritate, ſicut exponit Haymo. C Luc. 8. Haymo.

Vere ſicut nihil eſt, quod ad ſcripturarum intelligentiam magis conducat, quàm humilitas: Vbi enim humilitas (ſicut eadem dicit ſcriptura) ibi ſapientia: ita etiam nihil eſt, quod ad earum intelligentiam magis obſit, quàm ſuperbia: quia Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Propter hoc ad Corinthios ſcribens conſulebat Apoſtolus: Si quis, inquit, videtur inter vos ſapiens eſſe, ſtultus fiat, vt ſit ſapiens. Taliter tunc Corinthijs conſulebat Apoſtolus: immo iam tùnc per Corinthios, & in Corinthijs etiam nobis, vt ſtulti ſiamus, vt humiliemur, ſi volumus ſapientes eſſe, ſi volumus diuinarum ſcripturarum intelligentiam noſſe, quam ſoli humiles adipiſcuntur, & non ſuperbi, quos, ſicut D Simile. Prou. 11. Iacob. 4. 1. Cor. 3.

dicit

dicit nostra Virgo, propter superbiã Deus dispersit mente cordis E
sui, hoc est intelligentia suę scripturę.

Simile. Dicitur autem quod propter superbiam illis denegatur sanctarum intelligentia scripturarum, quia sicut humilitas in humilibus est causa dispositiua, vt ipsis reuelentur mysteria in ipsa diuina scriptura contenta, ita superbia in superbis est causa demeritoria, vt ipsis talia mysteria non reuelentur. Nam paruulis, & humilibus, qui ex humilitate putant se sapientes non esse, licet sint, suæ scripturæ intelligentiam Deus reuelat: a sapientibus vero, & superbis, qui se putant esse sapientes cùm non sint, eam abscondit: & propter hoc nostra Virgo Deum laudans, & magnificans di- F
cit: Dispersit superbos mente cordis sui.

Sed dices: Beata Virgo Deum laudat, & magnificat, eoquod à superbis diuinarum scripturarum scientiam, & intelligentiam abscondat: Ergo ipsa beata Virgo superborum malo delectabatur: id, quod omnino sanè est contra Mariæ conditionem, quæ pijssima, & misericordiosissima est.

Ad hoc dico, quòd errat quidem, & vehementer errat quisquis est, qui hanc de Maria opinionem animo suo imbibat, vt ipsa superborum; aut aliorum quorumuis peccatorum malo, inquãtum malo delectetur, neque vnquàm fuerit delectata: tùm quia lętari G
de malo alicuius pertinet ad odium, à quo Virgo beatissima libera semper fuit: tùm etiam quia ipsa Dei voluntati summe conformis semper existebat. Et cum Deus hominum malis minimè delectetur, nec Maria etiam in omnibus, & per omnia ipsi Deo summe conformis, superborum malis delectabatur, loquendo de lætitia, & delectatione simpliciter, & absolute sumpta.

Vnde pro faciliori huius rei intelligentia notandum est hoc loco, quòd duobus modis aliquid lætitiæ, gaudij, & delectationis materia esse potest. Vnomodo per se, & absolute, quando scilicet, de aliquo gaudetur inquãtum est huiusmodi, hoc est, inquan- H
tum est tale, quòd de se ad gaudium moueat: Et hoc modo beatissima Virgo nequaquàm superborum malo delectabatur. Alio modo per accidens, hoc est, ratione alicuius adiuncti: & hoc modo dici potest, quod beatissima Virgo gaudebat de malo superborũ, inquantum scilicet, in eo considerabat ordinem diuinæ iustitiæ. Quo modo intelligendum est illud regij prophetæ: Lætabitur iu-
Psal. 57. stus cùm viderit vindictam. Non enim his verbis hoc vult regius

propheta

A propheta significare, quod iustus simpliciter, & absolute loquendo lætetur de vindicta, & pena peccatorum inquantum tali: sed solum per accidens, inquantum scilicet, in tali vindicta diuinę iustitiæ ordo consideratur.

Possunt præterea hæc Mariæ verba aliter explicari, dicendo scilicet, ꝙ in illis nulla Dei magnificatio, aut laudatio cõtinetur propter malũ superborum, sed tantum propter bonum dominicæ incarnationis. Sicut enim illis verbis Christi dñi: Confiteor tibi pater Dñe cœli, & terræ, quia abscondisti hæc à prudentibus, & sapientibus, & reuelasti ea paruulis: nulla ipsius Christi dñi laudatio, aut confessio, aut gratiarum actio continetur propter abscõdita à sapientibus, & prudentib⁹ mysteria: sed solũ propter ea paruulis reuelata. Cum enim de solis beneficijs Deo gratiæ agantur: & hoc, quod est Deũ abscondisse à prudentibus, & sapientibus sua secreta nullum sit beneficium, sed potius supplicium: ideo dè eo Christus Deo patri gratias non agit, quod lachrymis potius, quàm lætitia dignũ erat: sed de hoc solum Deũ patrem laudat, quod sua secreta paruulis reuelauerit: & non quia prudẽtibus, & sapientib⁹ ea occultauerit. Pari etiã modo dicendũ est, ꝙ nostra Virgo in his verbis: Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui: Deum solũ laudat, & magnificat ex eo, quia fecit potentiã in brachio suo: hoc est, ex eo quod in filij sui incarnatione suã potentiam mundo manifestauit: Non aũt ex eo, ꝙ dispersit superbos mente cordis sui. Siue per hęc verba significetur ꝙ Deus occultauit superbis intelligentiã scripturarũ, & mysteriorum, quæ in ipsis continentur, sicut hoc capite iam diximus: siuę ꝙ superbos Deus sua memoria dispersit, qua de re in sequentibus dicemus.

Simile. Mat. 11.

CAP. XIII.

D *Dei recordari, & obliuisci quid sit: Deus superborum memoriam relinquendo, non eorum curam totaliter deserit, quam etiam passerculis impendit. De Antichristo omnium superborum superbissimo Deus etiam curam habebit.*

Dispersit superbos mente cordis sui. Luc. 1.

POstquam hæc Mariæ verba superiori capite in eo sensu iam explicauimus, quo significatur Deũ dispersisse superbos mente cor-

te cordis sui, hoc est, intelligentia scripturæ suæ: Reliquum est E nùnc, vt de illis in eo sensu dicere incipiamus, qui est huius loci magis proprius, quatenus scilicet, his Mariæ verbis significatur, Deum dispersisse superbos mente cordis sui: hoc est, deleuisse eos de memoria sua.

Verum vt hoc facilius intelligatur, aduertendū est, quod Deus nequaquã proprie dicitur recordari, aut obliuisci: qui enim obliuisci non potest, quo pacto recordari potest? Et ideo quando legimus in scriptura, quod Deus alicuius recordatus, aut oblitus fuit

Simile. semper hoc intelligendum est more humano. Sicut enim homines quando amicos in miserijs adiuuant, tùnc eorum recordari F dicuntur: quando vero non adiuuant, tùnc recordari non dicuntur: sic Deus quia aliquando nos videtur deserere, licet non deserat, nostri dicitur obliuisci: quando vero nos adiuuat, tunc nostri

simile. recordari dicitur. Id, quod semper humano more de eo intelligendum est. Quia sicut etiam nos, eos, quorum recordamur, amplectimur: ab illis autem, quorum obliuiscimur, elongamur: sic etiã humano vsu, & recordari Deus dicitur, cùm bona tribuit: & obliuisci, cùm in culpa derelinquit. Aliter enim quomodo aut recordari, aut obliuisci Deus diceretur, qui cuncta pensat, & cuncta sine intermissionis alternatione cõsiderat, & recordatur bonorum, G quorum tamen nunquàm obliuiscitur: Et nullatenus recordatur malorum, quos tamen per iudicium semper intuetur? Hinc enim

2. Para. 46 scriptum est: Oculi domini cõtemplantur bonos, & malos. Hinc

Psal. 33. etiam per Psalmistam dicitur: Vultus autem domini super facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum. Miro igitur modo malorum, & superborum Deus recordatur, vt eos per districtionem sententiæ iudicet, & puniat, & eorum quantum est ad memoriam misericordię obliuiscitur. Et ideo dicit nostra Virgo. Dispersit

Heb. 4. superbos mente cordis sui: Quasi diceret: licet Deus cuius oculis omnia nuda sunt, & aperta, superbos semper intueatur, eos vt iudicet, & puniat: tamen ad hoc, quod est erga illos sua misericordia vti. Dispersit superbos mente cordis sui. H

Est tamen hoc loco magnopere aduertendum, quòd hoc, quod Virgo dicit. Dispersit superbos mente cordis sui: non ita intelligendum est, quasi Deus superborum memoriam relinquendo to-

Sap. 12. taliter eos deserat, & abijciat. Nam de Deo ipso dicitur, & verissime dicitur: Cura est ei de omnibus. Et alibi: tu pater gubernas

omnia

A omnia prouidentia; Id, quod in tantum verum est, vt etiam bruta animantia sub Dei prouidentia cadant. Neque obstat, quod ad Corinthios scribens dicit Apostolus: Nunquid de bobus cura est 1.Cor. 9. Deo? Nam in his verbis Apostoli mens, & intentio non fuit, boues à generali Dei cura, & prouidentia excludere: sed voluit dicere de bobus Deo curam non esse, ita vt de illis legem instituat seu ita vt de illis in lege detur præceptum. Vel dici potest, quòd hæc Apostoli verba ita intelliguntur, vt sit sensus, quod Deo nulla est cura de bobus, quantum ad ea, in quibus est ei cura de hominib9; qui non solum generali modo diuinæ curæ, & prouidentiæ subijciuntur sicut bruta animantia: sed etiam modo speciali, quia Deus B homines ordinauit ad vitam æternam, & confert illis media, quibus ad illam perueniant: de bobus autem talem curam non habet, quia fęlitatis capaces non sunt.

Patet ergo quòd Apostoli dictum, bruta animantia nequaquam excludit à generali Dei cura, & prouidentia, quę vniuersaliter ad omnia quantumcumque minima illa sint, sese extendit. Et ideo Christus Dominus hoc volens ostendere: Duo passeres, inquit, asse veneunt, & vnus ex illis non cadet sine patre Mat. 10. vestro. Id est, non occidetur nisi Deo diffiniente. Cum igitur C Deus de passeribus talem curam, & sollicitudinē habeat: multo magis de hominibus eam habebit. De hominibus, inquam, qui multis passeribus meliores, & pretiosiores sunt, & ideo sunt, quia rationales sunt, & quia ęterni sunt. Et in isto sensu intelligenda sunt verba illa Christi domini, quibus dixit: Multis passeribus pluris estis vos. Quando ergo ex Virgine audimus: Dispersit superbos mente cordis sui: non ita intelligere debemus quasi Deus, Luc. 12. qui etiam passerum recordatur, superborum non recordetur, eorumq; curam, & sollicitudinem totaliter abijciat, quantumcumq; ipsi superbi sint, & elati: nam Deus neque istos totaliter vnquam D abiecit, neque abijcit, neque aliquando abijciet.

Quis enim inter omnes filios superbię maior superbus inuenietur, quàm Antichristus de quo ad Thessalonicenses scribens dicit Apostolus? Quoniam nisi venerit discessio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduersatur, 2. Thes. 2. & extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut colitur, ita vt in templo Dei sedeat? Et tamen huic homini peccati, huic filio perditionis omniū superborū longè superbissimo Deus specialē curā

non

non denegabit. Dabit enim illi particularem Angelum cuius curæ,& sollicitudini non solum Christi ecclesia, & electi committentur, contra quos Antichristiana illa persecutio maximè desæuiet. Sed etiam ipse Antichristus, & hoc tribus potissimè de causis. Primò nè in ipso intermitti, atque interrumpi videatur ordo à Deo institutus, de prouidendo cuilibet homini indigenti Angelo custode, quo etiam ipse Antichristus indigebit, sicut cæteri homines. Secundo vt ipse Antichristus inculpabilis non videatur in malis, quæ egerit, quasi fuerit destitutus auxilio ordinario. Et ex cōsequenti nè ipse pro suis malis videatur iniustè pati, Deus vero indebitè eum punire, & priuare communi auxilio Angeli custodis. Tertio, & præcipuè quia licet Antichristus, nunquam assentiat Angelo custodi, in hoc, quod à malo diuertat, & bonum faciat: tamen Angelus custos Antichristi ipsius Antichristi Satanam impediet, nè ipsum prauas illi cogitationes immittendo ad tanta mala inducat. E F

Et dato quòd Angelus custos interdum permittat, istas malas cogitationes Antichristo immitti, non tamen permittet eas executioni demandari. Quia vnus ex præcipuis actibus Angeli custodis hic est, arcere videlicet, dæmonum insidias circa custoditum. Vnde nequaquam erit sine actu Angelus custos Antichristi: cum ipsius Angeli custodia indirectè saltem proderit Antichristo, nisi enim Angelus custos Satanam impediret, multò plura mala committeret Antichristus. Et ideo quantò pauciora fuerint peccata eius, tāto minus punietur, id, quod non fieret, si sine Angeli custodia Antichristus relinqueretur. Cum enim tunc plura mala committeret, grauius etiam propter illa puniretur. G

Ex dictis vtique habemus, quod Deus etiam Antichristo suam curam non denegabit, & ex consequenti, quòd quando Virgo dicit: Dispersit superbos mente cordis sui: non vult dicere, quod Deus superborum: ita obliuiscitur, vt eorum curam, & sollicitudinem totaliter deserat. Si enim hoc ita esset, & omnino à Deo desererentur: omnino etiam in nihilum redigerentur. Quando ergo dicit nostra Virgo: Dispersit superbos mente cordis sui: vult dicere, quod Deus in eo solùm superborum curam derelinquit, inquantum permittit eos, vel aliquid pati, vel in grauem aliquam culpam incidere, subtrahendo, siue non impendendo illis adiutorium, quod si humiles forent, absque vllo dubio impenderet, vt in H

talia

A talia mala non inciderent. Neque hoc ipsis superbis leue malum est, sed admodum magnum, & graue, sicut sequens caput mox indicabit.

CAP. XIIII.

Superbi Dei auxilio destituti, sunt sicut ciuitas sine muro. Diabolus superbos à Deo derelictos videns, valdè lætatur: quia tunc eos facilius aggreditur. Superbus suum periculum cernens se se coram Deo humiliter accusat petens, vt suum illi contra inimicum diabolum auxilium largiatur.

B

Dispersit superbos mente cordis sui. Luc. 1.



VANTVM tunc malum sit superbis, quando Deus mente cordis sui, ita eos dispergit, vt sine suo auxilio derelinquat, vel ex eo facile coniici potest, quia superbi absque Dei auxilio omnino manent sicut ciuitas sine muro. Sicut enim ciuitas sine muro hostium incursionibus vndequaque exposita est. Ita Dei auxilio superbi destituti, dæmonum insidiis vndiq; obiecti sunt. Tanto nos odio prosequitur antiquus noster inimicus, adeo sæuus est, adeo in nos desæuire desiderat, vt omnes æqualiter inuadat. Inuadit magnos & paruos, inuadit bonos, & malos: inuadit humiles, & elatos, & vtrisq; mortem inferre parat. Sed bonos, & humiles inuadens, eosque Dei auxilio munitos inueniens omnino tristatur, dolet, & fremit, & sic præ dolore tristatus, dolens, ac fremens, circumquaque excurrit, & indefesse custodit, & obseruat, si quomodo tandem ad illos aditum inueniat. Quemadmodum dux, qui vnam ciuitatem longa obsidione premit, & eam capere non valet, tanquàm furiis agitatus currendo & discurrendo muros circunspicit videns, si quomodo tandem locum possit inuenire, per quem in illam ciuitatem irrumpat: Ita diabolus, qui bonos, & humiles obsidere nō desistit, non cessat, non acquiescit, sed in continuo circuitu impius ambulat, & quo magis ambulat, & tanto minus videt, quod non est sibi locus irruptioni aptus, tanto magis dolet, fremit, & furit videns, quod ipsis humilibus Dei adiutorio optime munitis nocere non valet. Hunc in diabolo affectum bene nobis depinxit D. Petrus, 1.Pet.4.

Simile. (margin)

C (margin)

Simile. (margin)

D (margin)

cùm dixit: Quia aduersarius vester diabolus, tanquam leo rugiés E
circuit quærens quem deuoret.

O quomodo rugit, & quomodo fremit diabolus videns, se in humilem non posse irruere, quem videt ex vna parte præ humilitate tanquam altissimis, ac profundissimis aggeribus circumuallatum, ex alia vero ipsius Dei adiutorio tanquam fortissimis muris circumseptum. O quomodo tunc rugit, & quomodo fremit, quando hoc videt, quando videt humilem sic securum, & Dei ad
Psal. 90. iutorio tàm bene munitum, vt meritò de illo dici possit, quòd habitat in adiutorio altissimi, & in protectione Dei cœli commoratur. F

Contra vero quantum diabolus lætatur, quantum præ gaudio exultat, & præ lætitia triumphat, quando videt superbum dispersum mente cordis Dei, & ita dispersum, vt suo iam eum auxilio destituat. O quomodo tunc diabolus lætatur, quomodo exultat. Verè existimo quòd tunc videtur diabolus se ipsum præ lætitia non capere, tunc videtur præ gaudio seipsum nescire. Et sic velut seipsum nesciens cùm gaudio, & iubilo dicit illud prophe-
Ezec. 28. tæ: Ascendam ad terram absque muro. Hoc est, absque Dei adiutorio, sicut exponit glossa interlinearis.

In quibus verbis illud est diligenter adnotandum, quod dicit: G
Ascendam ad terram absque muro. Ascendam, inquit, & bene inquit, ascendam potius, quàm descendam: tùm quia cùm superbus sit, eius superbia nunquam descendit, sed semper ascendit: Su
Psal. 73. perbia eorum, qui te oderunt (inquit propheta) ascendit semper. Tùm etiã quia ad ima conualliũ: hoc est, ad humiles, non tàm facile descendit, quàm ad montes, & colles ascendit, hoc est, ad superbos. Quia sicut diximus humiles sua humilitate simul cum Dei adiutorio tanquam altissimis aggeribus vndique vallati sunt. Superbi vero sunt tanquam terra absque muro, sicut ciuitas absq; propugnaculis: Et ideo de superbis exultans dicit diabolus: Ascẽ- H
dam ad terram absque muro.

O miseros superbos, & quid mali sub tanto inimico, & sub tàm sæuo hoste non patientur? Si ille adeo sæuus est, vt omnes occidere cupiat: neque ideo non occidit, quasi non cupiat, & vehementer cupiat: sed quia non potest, quia non sinitur, quia nõ permittitur: Deus enim ita suos adiuuat, ita tuetur, vt eos ab illo lædi non sinat, quid non faciet de superbis? Quos sæuitiæ, & crudeli-

tatis

A tatis modos in superbos non exercebit ipse tyrannus, cùm eos propter suam superbiam mente cordis Dei dispersos, & eius auxilio destitutos inuenerit.

Quid ergo? Quid faciet miser superbus? Quid faciet, vt à tanto tyranno liberetur, & vt Deus, qui mente cordis sui eum dispersit, eius iterum recordetur? Quid faciet? Coram Deo valde humilietur. Si enim non humilietur, semper in Dei obliuione remanebit. Quoniam sicut dicit propheta: Excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta à longe cognoscit. Psal. 137. Vnde humiliet se superbus: & per veram animi humilitatem ad Deum conuersus, ad ipsum B ex toto corde clamet cum propheta: Vsquequo Domine obliuisceris me in finem? vsquequo exaltabitur inimicus meus super me. Psal. 12. Psal. 24. Respice in me, & miserere mei, quia vnicus, & pauper sum ego. Vnicus sum, qui solus sum: & pauper sum, qui tua gratia, tuoque auxilio destitutus sum. Respice ergo in me vnicum: respice in me pauperem, respice in me tuæ immensę pietatis affectu, & miserere mei in effectu. Si de illo, qui solus est, dicitur, & benedicitur: Væ soli, quia cùm ceciderit, non habet se subleuantem. Eccles. 4. Quomodo Domine non mihi væ, & non semel atque iterum væ, sed infinities væ, qui sine te, sine tua gratia, & sine tuo auxilio sum, & ideo C sum, quia superbus sum. Etiam de solis hominibus loquendo: Melius est duos esse simul, quàm vnum, habent enim emolumentum societatis suæ; si enim vnus ceciderit ab altero fulcietur. Eccles. 4. Si in hominibus, & cum hominibus hoc bonum est, & tantum bonum est, quanto maius bonum erit tecum esse, & te Domine sociū habere, qui solus es verus adiutor in opportunitatibus, in tribulatione? Psal. 9. O quàm securus Domine essem si ego tecum essem: quàm securus quiescerem, si talem adiutorem haberem. O quam fiducialiter tunc dicere possem: Si ambulauero in medio vmbrę mortis non timebo mala, quoniam tu mecum es. Psal. 11. Sed heu me, heu me, D quia in tanto periculo solus sum, & ideo sine te adiutore, & tali adiutore sum, quia infœlix ego mea superbia illi homini omnino similis sum, qui non posuit Deum adiutorem suum, sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum, & præualuit in vanitate sua. Sed tu Domine miserere mei, miserere mei, & nè derelinquas me: Psal. 70. quia qui custodiebant animam meam concilium fecerunt in vnū: Dicentes Deus dereliquit eum persequimini, & comprehendite eum, quia non est, qui eripiat. Ideo Domine miserere mei: mise-

rere mei, quoniam iniquitatem meam ego cognoſco: cognoſco E
Pſal. 50. Domine, quia iniquè egi, quia iniquitatem feci: ſed tu Domine ſe
Pſal. 12. cundum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem
Pſal. 39. meam. Et nè quando dicat inimicus meus præualui aduerſus eũ. complaceat tibi Domine vt eruas me. Domine ad adiuuandũ me reſpice. Confundantur, & reuereantur ſimul qui, quærunt animam meam, vt auferant eam: auertantur retrorſum, & reuereantur, qui volunt mihi mala, ferant confeſtim confuſionem ſuam, qui dicunt mihi Euge, Euge, Ah Domine, Domine: Miſerere mei, miſerere mei, & exaudi me, quia adiutor meus, & protector meus es tu. Ideo Deus meus nè tardaueris. F

O ſi ſuperbus hoc modo ad Deum clamauerit: O ſi ex toto ſui cordis affectu ſic Deum innocauerit. Sane non dubito quod ſi ſuã ſuperbiam omnino deteſtando, ſic clamauerit, ſtatim exaudietur. Nõ dubito quin ſtatim erga ſe Dei adiutorium paratum inueniet. Ipſe enim ſe inuocantibus, & ad ſe ex toto corde clamãtibus adeo præſtò eſt vt meritum exauditionis, in ſolo conſtituat clamore po
Pſal. 90. ſtulationis. Clamauit ad me (inquit ille) & ego exaudiam eum, cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. O Dominum clementiſsimum. Quis ad tantum, tamque miſericordem Dominum non clamet? Clamet ergo ſuperbus, & cum G
fiducia clamet. Et nos etiam omnes, qui iſtius Domini auxilio tãtopere indigemus, ad iſtum Dominum clamemus: Clamemus, vt exaudiamur: clamemus vt in hac vita à malis eripiamur: clamemus denique vt in alia à Chriſto glorificemur, qui cum Patre, & Spirituſancto viuit, & regnat per infinita ſæculorum ſæcula. Amen.

H

FINIS LIBRI SEXTI.



DE VERBIS DOMINAE


AD ELISABETH COGNATAM.

LIBRI SEPTIMI.

CAP. PRIMVM.

Mariæ verba verbis Iob non sunt contraria, quibus dicit, quòd Deus
G *potentes non abijciet. Per potentes de sede depositos, & humiles exaltatos, quinam potentes, & qui humiles intelligantur.*

Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles. Luc. 1.



VM Sacra ſcriptura dicat; Deus potentes non abijciet, cùm & ipſe ſit potens: mirum fortaſſe alicui videbitur hoc, quod noſtra Virgo dicit: Depoſuit potẽtes de ſede, & exaltauit humiles. Videntur enim hæc inter ſe omnino contraria, nempe potentes non abijcere: & eoſdem de ſede deponere. Verum ſi rem bene cõſideremus, nullam in his contrarietatem reperiemus. Cum enim dicitur Deus potentes non abijciet: de talibus potentibus intelligitur, qualis erat D. Paulus, qui dicebat: Omnia poſſum in eo, qui me confortat. Tales enim potentes Deus non ſolum non abijcit: Sed vt in dies potentiores reddantur, ſuum illis adiutorium impendit, iuxta illud pſalmi. Iob. 36. H Phil. 4.

Psal. 88. Posui adiutorium super potente. De hoc potentium genere, Virgo non loquitur: sed de illis potentibus agit, qui supra mensuram suæ conditionis efferuntur, & in sua solum virtute confidentes, sui conditoris adiutorium quærere recusant. Hos ergo potétes Deus de sede deposuit, & in eorum locum, humiles meritò exaltauit: E
Luc. 18. quia omnis, qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.

Si vero interrogetur quinam per istos potentes, siue superbos de sede depositos, intelligendi sint. Responderi potest, circa istos potentes, patres in diuersas sententias abijsse. Nam græcus autor
Euthy. Euthymius indifferenter de quibuscunque superbis hunc locum intelligit, dicens hæc his esse similia, quæ dixit mater Samuelis F
1. Reg. 2. Anna: Dominus pauperem facit, & ditat, humiliat, & subleuat.
D. Euseb. Deinde D. Eusebius Emissenus homilia feriæ sextæ ante natiuita-
Nic. Lyr. tem Domini, & Nicolaus de Lyra super hunc locum, per istos potentes, iudæos intelligunt, qui erant potentes in lege, & prophetis.
Theophy. Præterea Theophylactus, & multi alij patres, inter quos est D. Au-
D. August. gustinus, & Hugo Victorinus, vterque super magnificat, per hos
Hug. Vict. potentes tam dæmones, quàm Iudæos, exponunt. Nam quod ad Iudæos attinet, istos, qui filij regni videbantur Dominus abiecit, & humiles, nempe, homines gentiles exaltauit: quia gentes, quæ abiectæ erant, per humilem confessionem, in consortium regni, filiorumque adoptionem assumpsit. Quod vero attinet ad dæmones, hi contra homines præualuerant, & sedes in humanis pectoribus habebant, in quibus quiescebant: Sed hos Dominus ab humanis pectoribus, cordibusque eiecit. Et humiles ipsos videlicet homines, quos prius propter superbiam abiecerat, humiliatos reparauit. G

D. Cyrill. Denique D. Cyrillus in Aurea Cathena à D. Thoma allegatus, per istos superbos, non tantum dęmones, & iudæos: sed etiã gentiles intelligit. Magna, inquit, superbiebant Dæmones, & diabolus, gentilium sapientes, pharisæi, & scribæ: hos tamen deposuit, erexitque humiliantes se sub potenti manu Dei, dans illis virtutem calcandi serpentes, & scorpiones, omnemque potestatem inimici. De istis potentibus, tales sunt supradictorum patrum sententiæ. H

Reliquum est nunc, vt videamus, quales sint humiles, quos ipsa Virgine teste, Dominus exaltauit. Et sic dicendum est, per

A istos humiles, tam humiles corde; quam humiles, hoc est, viles, & abiectos homines posse intelligi. Vtrumque enim significat græca dictio, sicut etiam hoc loco adnotauit Iansenius. Verùm cùm humiles hoc loco potentibus opponantur, potius videtur, quod per humiles hoc loco, debent intelligi viles, & ignobiles, quàm humiles corde. Iansen.

Sed hæc in re vnusquisque suo sensu abundet. Non enim video, cur per istos humiles, spiritu, & corde humiles rectissimè intelligi non debeant. Et maximè cum non desint patres, inter quos potissimum est Venerabilis Beda homilia feriæ sextę quatuor tem Beda.
B porum ante dominicam natiuitatem, qui per istos humiles, humiles corde intelligant. Quamuis etiam, inquit Beda, ita rectè possit intelligi, quod nonnunquam illi ipsi, qui meritò suæ elationis à Domino fuerant eiecti, denuò miserante illo, ad humilitatis gratiam redeant: sicque meritò deuotæ humilitatis erigantur ad gloriam.

In his Venerabilis Bedæ verbis non fuerit superuacaneum aduertere, quòd hæc nostræ Virginis verba non solum possunt intelligi respectu diuersorum, quales videlicet sunt Iudæi, & gentiles,
C iudæi, quos Dominus deposuit: & gentiles, quos exaltauit: Sed respectu vnius, & eiusdem personæ, ita vt idem sit, qui deponitur, & qui exaltatur. Sicut videre est in D. Paulo, qui propter suam superbiam de sede doctrinæ depositus est: sed mox propter humilitatem ad Euangelizandum Christi fidem eleuatus est. Et in hoc sensu verba hæc etiam intellexit græcus interpres à D. Thoma in D.Thom.
Aurea Cathena allegatus, quo loco sic inquit: Deitatis enim tribunal noster intellectus esse cognoscitur. Sed iniquæ virtutes post transgressionem incubuerunt præcordijs protoplasti, tanquam in proprio solio. Ob id, ergo venit Dominus, & Spiritus iniquos
D eiecit è sedibus voluntatum: & prostratos à Dæmonijs exaltauit, eorum conscientias purgans, & eorum mentem statuens propriam sedem. Ad hæc, quoad huius versiculi intelligentiam, dicta sufficiant.

E

CAP. II.

Lucifer, & Angeli mali quàm superbi, boni vero quàm humiles. Deus malos Angelos de statu gratiæ deturbauit, in qua eos creauit: bonos vero Angelos ab statu ipsius gratiæ ad statum gloriæ exaltauit. Mali Angeli in quem locum ceciderunt.

Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Luc. 1.

F

PRIMVS Potens, qui à Deo de sede depositus fuit, Lucifer cum suis socijs fuit. Is enim ab ipso Deo in tanto honore, dignitate, pulchritudine, & gratia creatus (siue hoc fuerit extra cœlum, sicut vult Tuitiensis Ab-
Ruper. bas Rupertus de Victoria Verbi Dei lib. 1. cap. 25. siue intra cœ-
D. Thom. lum empyreum simul cum ipso cœlo, sicut vult D. Thomas 1. par. q. 61. ar. 4.) totum statim vertit in materiam superbiendi, & qui pro bonis sibi in sua creatione concessis, Deum à quo illa omnia acceperat, recognoscere debuerat, & eum suum fateri creatorem, in se ipsum, tanquam in sui, ac suorum bonorum autorem omnia G
Ezech. 29. retulit, sic dicens. Ego feci me metipsum. Quasi diceret: ego creatura Dei nō sum: ego à nullo factus sum: Sed hoc, quod sum,
Isa. 14. à me ipso sum. Neque hoc ipsi satisfuit: sed dixit in corde suo. In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum: Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis: ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo.

O superbiam execrandam. Non satis illi fuit, quod omnium Angelorū sapientissimus, & eminentissimus fuit, iuxta illud, quod
Ezech. 31. sub nomine Pharaonis regis Ægypti, de ipso sic dicitur. Cedri nō fuerunt altiores illo in paradiso Dei. Abietes non adæquauerunt H summitatem eius, & platani non fuerunt æqui frondibus illius. Omne lignum paradisi Dei, non est assimilatum illi, in pulchritudine eius. Hoc etiam per verba illa bene ostenditur: quæ cùm
Isa. 14. improperio ei in hunc modum dicuntur: Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris? quo loco non alia de causa nomine illius stellæ, quæ plus cæteris emicat in cœlo, in eoque pul-
Simile. chrior apparet, designatur: nisi quia sicut illa stella cæteris omnibus

bus

A bus præstat syderibus: ita etiam Lucifer cæteris omnibus Angelis præstabat. Non hoc, inquam, ei satis fuit, nempe, esse omnium supremum Angelorum: sed in tantam superbiæ prorupit audaciam, vt vellet, quod idē existimaretur, & diceretur de ipso, quod de Deo, quod appellaretur Deus, quod ab Angelis adoraretur, vt Deus, quod prædicaretur etiam ipse increatus: negauit quippe, Deum esse creatorem suum, & dixit se esse Deum.

Hinc enim sub nomine principis Tyri dicit Deus contra eum. Eleuatum est cor tuum, & dixisti Deus ego sum, & in cathedra Dei sedi, & dedisti cor tuum quasi cor Dei. O vecordiam, ò audaciam, ò superbiam minimè tolerandam. Et quod maius vecordię, & insaniæ signum quærimus in Lucifero? Quemadmodū siquis, cum statura vnius solius cubiti sit, instar montium, immo altiorē se putet, atque ideo seipsum erigat quasi montes excessurus, præter hoc, nullum iam eius insaniæ signum quæremus: Ita etiam in Lucifero nullum maius eius insaniæ signū possumus inuenire: quàm quòd per superbiā intantum se extēderet, vt vellet esse sicut Deus, cùm esset ipse creatura determinatam habens suarum perfectionum mensuram. Vnde de ipso per prophetam meritò dicitur. Tu cherub extentus: quasi diceret: tu Lucifer superbus, qui vltra id, quod eras te voluisti extendere. Ezech. 28. B Simile. C

Verè non sic boni Angeli non sic. Non sic fuerunt boni Angeli, non sic fecerunt, non sic se extenderunt: Sed humiliabant se sub potente manu Dei, & ab ipso recognoscebant omne id, quod erāt, & quod habebant. Non efferebantur: non in altum eleuabantur, vt Lucifer: Sed deprimebant se, submittebant se, humiliabant se. Sicut apes cùm ventus plus æquo perflat, suarum alarum remigiū lapillis onerant, ne in ipsorum vi ventorum in altum eleuentur, & per aerem à suis aluearijs longius dispergantur: sic boni Angeli, nè superbiæ vento propter tantas suas perfectiones in altum eueherentur, recordatione veluti quodam pondere se onerabant: recordatione, inquam, qua ante sui intellectus oculos proponebant, se non habere illas perfectiones, illas virtutes, & illam gratiam, in qua creati fuerunt, ex se: sed ex sui liberalitate, ac largitate creatoris. Faciebant boni Angeli, sicut bona illa animalia, de quibus dicitur. Cumq; starent, dimittebantur pennæ eorū: & paucis interiectis: stabant, & submittebant alas suas. Sic boni Angeli faciebant, stabant, quæ Dei sunt contēplantes, & non eleuabant se supra se: Simile. D Simile. Eze. 1.

pra se: sed dimittebantur pennæ eorũ, & submittebant alas suas, E
humiliantes se,& nihil in se,quasi ex se, aut à se esse cognoscētes, omnia creatori referebant,à quo ea se accepisse conspiciebant.

Non fuerunt isti sicut miser, & infœlix Lucifer cùm suis sequacibus,qui omnes euanuerunt in cogitationibus suis. Sed Deus eorum superbiam, & arrogantiam videns statim potentes istos, superbos istos,quos in gratia creauit de illo statu deposuit, de cœlesti sede deturbauit. Et exaltauit humiles, illos videlicet Angelos, qui in sua obedientia permanserunt, & in humilitate perstiterunt de statu gratiæ ad statum gloriæ, & beatitudinis euexit. Humiliantes se boni Angeli de statu gratiæ ad statum gloriæ exaltãtur: F
è contra vero mali Angeli se exaltantes humiliantur, & in terram cadunt. Et ideo dicit nostra Virgo: Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.

Sed in quam terram, inquies, ceciderunt? Non in istam, quã modo videmus,siue vt melius dicam, non in talem,sicut modo est ista,quam videmus. Tunc enim (id,quod etiam aduertit Tuitiensis Abbas Rupertus de Victoria Verbi Dei lib. 1. cap. 25.) terra inanis erat,& vacua,& tenebræ erant super faciem abyssi: & ipsa terra tegebatur aquis,neq; à cęteris distincta erat elementis, chaos erat magnum,quod in scriptura terræ nomine designatur. Id est, G
non tantum vnum elementum,quod prius aridam, & deinde terram Deus appellauit: sed tota quatuor elementorum moles confusa O miseros quanta ex beatitudine inquantam miseriam cecidistis: quantis ex diuitijs inquantam paupertatem incidistis. Nihil hic miseri nisi tenebras inuenerunt,& tenebras super faciē abyssi: Non erant tunc regna mundi,& gloria eorum,quæ postea ipse diabolus ostendens,& Dño offerens. Hæc omnia inquit, tibi dabo,si cadés adoraueris me. Et quid dico regna mundi? Nondũ tunc erant sol,luna,stellæ, & cætera omnia, quæ die secunda, & deinceps facta sunt. Sed tantum,vt iam diximus,chaos erat,& super faciem abyssi caligo tenebrarum. In istud igitur chaos, in istã tenebrarum caliginem de cœlo deturbati sunt potentes isti, superbi isti,qui meritò de cœlo ceciderũt,quia quod sibi datum fuerat cœlum rapinam arbitrati sunt,& per humilitatem non custodierunt. Sic magister mali,minister doli,iniquitatis artifex, cum suis socijs superbiæ suæ pœnas luunt. Sic in altum tendentes, cadunt ab alto. super altitudinem nubium ascendétes,intrant profundũ. H

Ruper.

Mat. 4.

CAP.

A

CAP. III.

Vna pars dæmonum statim post peccatum in infernum cecidit, sicut Lucifer eorum antesignanus, & alij: alia vero in aerem caliginosum deiecta fuit. Christus Dominus dæmones dè humanis corporibus, vbi sedem fixerant, eiecit: & ibi propriam sedem constituit.

Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Luc. 1.

B


Erum quia occasione eorum, quæ à nobis superiori capite dicta sunt, rogabit fortè aliquis hoc modo: Nunquid iam tunc dæmones in infernum ceciderunt? Ideo quid circa hoc tenendum sit, hoc loco aperiemus. Et quantum adhoc attinet imprimis dicimus, quòd hãc quæstionem mouet, & soluit Rupertus Abbas lib. 1. de Victoria Verbi Dei Ruper. cap. 25. Vbi dicit, quod quamuis Angeli mali nõdum in inferiorem infernum missi sunt, tamen iam ipse locus infernus est illis, respectu latitudinis, illius domicilij sui, quod dereliquerunt, respe C ctu principatus sui, quem non seruauerunt. His fere similia sunt ea, quæ habent Glossæ ordinaria, & Lyrensis super secundæ Epistolæ D. Petri caput secundum, in illa verba: Si enim Deus Ange 2.Pet.2. lis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in iudicium reseruari. Nam Glossa ordinaria super hæc verba. Quamuis, inquit, hunc inferiorem aerem, quasi carcerem acceperint, qui quantum ad cęlum infernus dicitur, restat adhuc pęna vltimi iudicij, quia paratus est ignis diabolo, & Angelis eius. Mal.25 Glossa vero Lyrensis: primo enim, inquit, D ceciderunt in hunc aerem caliginosum, vbi sunt ad exercitium bonorum, habentes tamen suam pęnam, & suppliciũ: post iudicium vero detrudentur in inferno, deficiente sanctorum exercitio. Videnturq; hæc omnia cõfirmari ex illis verbis Iudæ Apostoli, qui- Iudæ. bus dicit: Angelos vero, qui non seruauerunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium in iudicium magni Dei vinculis æternis, sub caligine reseruauit idest, sub caligine huius aeris, sicut exponit Glossa interlinearis, iam damnatos reseruat grauioribus pænis.

Verum

Verum his non obstantibus, dicendum esse existimo, partem E quidem Angelorum, in hunc mundum inferiorem fuisse detrusam; partem vero illorum statim in infernum fuisse proiectam. Æquum enim, & rationi consonum erat, quod sicut cum Deo perpetuo sunt aliqui Angeli boni in cœlo: Ita perpetuo essent aliqui dæmones in inferno, cum suo antesignano Lucifero, de quo

Magist. (sicut refert Magister sententiarum lib. 2 dist 6.) quidam opinantur, quod ex quo cecidit, illuc pro sui peccati magnitudine statim fuit demersus. Quamquàm tamen alij putent, quod non est in inferno, nisi solum ab illo tempore, quo Christum in deserto tentauit. Et quod ipse sit in inferno, siue ab hoc siue ab illo tempore, F

Ezech. 31. id videtur colligi ex illis verbis Ezechielis: Ecce deductus es cum lignis voluptatis in terram vltimam. Et multo clarius ex illis ver-

Isa. 14. bis Isaiæ: In infernum detraheris. Quod vero alij etiam sint in in-

2. Pet. 2. ferno, id clarissime videtur colligi ex illo Petri Deus Angelis peccantib⁹ non pepercit, sed rudétibus inferni detractos, in tartarum tradidit cruciandos. id, quod etiam ex alijs scripturæ locis optime poterat ostendi, quę omnia breuitatis causa, hoc loco consulto remittimus.

Ad illud vero Iudæ Apostoli, quod in confermationem sententiæ Ruperti, & vtriusque Glossę, ordinariæ scilicet, & Lyrensis G adducebatur dicédum est. Quod ibi Apostolus non loquitur absolute de omnibus Angelis, sed de illis solum, qui in isto aere derelicti sunt, vsque ad diem iudicij ad exercitium. & impugnationem nostram, vt vel ea ratione eorum vtilitati inseruiant, qui hæreditatem capiunt salutis, quatenus eorum impugnationibus augetur corona iustorum. Nam de ipsis Angelis præter Iudam Apo

Ephe. 6. stolum, loquitur etiam D. Paulus sic dicens: Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem: sed aduersus principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra

1. Pet. 4. spiritualia nequitię in cęlestib⁹. Et D. Petrus: Aduersarius, inquit, H vester diabolus circuit quærens, quem deuoret. Ex his ergo patet, Angelos partim in infernum fuisse detrusos statim post peccatum: partim vero in istum mundum fuisse deiectos, in quo ipsi degentes, qui cęlum sedem amiserunt, hominum pectora, & corda, sedes suas constituerunt.

Verum hoc videns Dei filius contentus non fuit, eos de cœlesti sede deposuisse: sed in hunc mundũ venit, vt de sede humanorum

pectorum,

A pectorum, & cordium, eos etiam deponeret. Sicut enim fortis, & strenuus dux contentus non est, hostem è suo regno eijcere, sed de proprio solo, & regno exit, & ipsius hostis intrat principatum, vt illic bellum illi inferat, & à suo eum principatu deponat. Ita Deus contentus non fuit, diabolum à cęlesti regno deijcere, sed hunc mundum etiam intrauit in quo diabolus regnabat, non quia esset mundi Dominus, sed quia per peccatum malis hominibus dominabatur. Intrat ergo Dei filius in mundum, vt diabolum, qui in humanis corporibus sedem fixerat, inde detraheret. Simile.

Et hinc est, quod diabolo Christus simulatq; in mundum venit, bellum indicit sic dicēs. Nunc iudicium est mundi: nunc princeps huius mundi eijcietur foras. Et vt id, quod voce pronuntiabat, opere, & effectu Christus demonstraret, sua virtute dæmones ab hominum corporibus expellebat, potentesque istos de sede humanorum pectorum, & cordium deponebat. Nō expectabat dux noster, bellator noster Christus, non expectabat, vt diabolus eum quæreret, & inuaderet. Sed ipse inimicum diabolum quærebat, ipse eum fugientem insequebatur, ipse eum inuadebat, non ferēs, non patiens, non sinens, vt diabolus in hominum cordibus sibi sedem figeret. B Ioan. 12.

C Verum hoc quid mirum? Si enim nullus principum terrenorū sustinet, suo subditos imperio à barbaris infestari, quomodo Rex noster sustineret humana corda, quorum ipse dominus est, iuxta illud: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum: à dæmonibus detineri? Propterea Christus non expectat, vt vocetur, ad hoc, vt cum inimico congrediatur: sed ipse non vocatus ad ipsum inimicum accedit, vt eum de suo domicilio, & de sua sede deturbet: sicut videre est in dæmoniaco illo, quem ipse dominus de naui egrediens statim habuit obuium, qui vt eum vidit, totus tremebundus statim procidit ante illum, & exclamans voce magna dixit: Psal. 72.

D Quid mihi, & tibi est Iesu fili Dei altissimi? Obsecro te non me torqueas: præcipiebat enim Christus spiritui immundo, vt exiret ab homine. Et cum deinde dominus diabolū interrogasset: Quod sibi nomen esset: ille, legio, respondit quia intrauerant dæmones multi in hominem illum: qui omnes Iesum rogabant, ne imperaret illis, vt in abyssum irent: sed vt permitteret eis in porcos ingredi. Expulsi ergo, & de corde istius hominis, tanquam de sede depositi, porcos intrarunt; remanēte homine isto omnino libero, & Luc. 1. Mar. 5.

sana

ſana iam mente, ad pedes Ieſu ſedente. E

Ex his conijci clariſſime poteſt, quàm verum totũ hoc ſit, quod noſtra Virgo dicit: Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles. Nam potentes iſtos, dęmones iſtos Chriſtus de ſede cordis iſtius hominis depoſuit, & in porcorum corpora intrare permiſit, ibiq; ſuas ſedes figere: humilem vero hominem exaltauit: & adeo exaltauit, vt qui antea tantis dęmonibus in ſuo corde ſedẽ dabat, poſtea in eo ſoli Ieſu ſedem daret. An non poſtea Ieſus, iam tunc iſtius hominis ſedebat in corde, quando eum rogabat, vt cum eo
Luc.8. eſſet, & ab eo nunquam diſcederet? Et rogabat, (inquit euangeliſta) illum vir à quo dæmonia exierant, vt cum eo eſſet. Sed cum F
hoc à domino obtinere non poſſet, quia aſcendens nauim reuerſus eſt, abijt per vniuerſam ciuitatem prędicans, quanta ſibi feciſſet Ieſus. Diſceſſit Ieſus ab illa regione, verum minime diſceſſit ab iſtius hominis corde. Ibi enim iam manebat, ibi ſedem habebat, & ideo prædicabat, quanta ſibi feciſſet Ieſus.

Patet ergo quomodo Deus non ſolum potentes dæmones, de cœleſti ſede depoſuit, & humiles Angelos, ad ſtatum gloriæ exaltauit: ſed etiam quomodo ipſos dęmones de humanis pectorib⁹, & cordibus, vbi ſedem fixerant eos deturbauit, & ibi propriam ſedem ſibi fixerit: ſicut videre eſt, in dęmoniaco iſto, & in multis G
etiam alijs, quos ipſe dominus à diabolo liberauit.

CAP. IIII.

Iudæi de quanam ſede, à Deo depoſiti ſunt: & eorum loco qui nam humiles fuerint exaltati. Iudæi propter ſuam incredulitatem ſine Deo remanſerunt: Ipſos Deus olim magni faciebat.

Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles. Luc. 1. H

DE alijs potentibus ſuperioribus tantum ſimilibus, quantum ſunt parentibus filij, qui eorum naturam, conditionem, & mores optime imitantur: agendum nobis nunc reſtat: de iudęis, inquam, de quibus propter eam cõformitatẽ, q̃ cũ patre diabolo habebat, dicebat Chriſtus:
Ioan.8. Vos ex patre diabolo eſtis. Iudęi enim, ſicut eorũ pater diabolus
propter

A propter suam superbiam, de sede à Domino depositus est: ita etiã propter suam superbiam, de sua sede misere depositi sunt.

Sed de qua sede inquies? de sede honoris: de sede dignitatis, & potestatis suæ, de sede regali, de sede sacerdotali, de sede iudiciali, de sede propriæ ciuitatis, & loci, de sede denique propriæ domus. de his omnibus sedibus miseros, & infęlices potentes istos, superbos istos Iudæos Dominus dignissimè deposuit, & eorum loco humiles exaltauit. Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.

Verum quos humiles? Humiles tam Iudæos, quam Gentiles

B credentes. Nam quod ad Iudæos quidem attinet plebs illa iudaica, & si magnam paleæ habuit multitudinem: tamen granorum habuit occultam virtutem. Vbi enim fuit, quod incenderetur, ibi etiam fuit, vnde Domini horreum repleretur. Nam vnde apostoli nisi inde? Vnde Petrus? Vnde Apostoli cęteri? Vnde ipse Paulus primo Saulus? hoc est, primo superbus, & postea humilis. Saulus enim idem est, quod minimus. Vnde denique multitudo illa virorum vna die credentium: de quibus dicitur: Et ap- Acto. 2.
positæ sunt, in die illa, animæ circiter tria milia? Omnes isti Iudæi erant: omnes ex illis potentibus, & ex illis superbis originem

C ducebant, quos Dominus deposuit, & eorum loco humiles exaltauit.

Nam Iudęos ingratos, qui Dominum suum recognoscere noluerunt, sed eum persecuti sunt, & tandem morte eum effecerunt: deposuit Christus de sede regali, de sede sacerdotali, & de sede iudiciali, & homines pauperes, & humiles, quales fuerunt ipsi Apostoli exaltauit in sedem sacerdotalem, non secundum ordinẽ Aaron, sed secũdum ordinem Melchisedech, secundum quẽ ipse etiam Christus verus sacerdos erat: de quo dicitur: tu es sacerdos Psal. 109.
in ęternum secundum ordinem Melchisedech.

D De exaltatione vero Gẽtium, quid dicemus? Sane illud, quod dicit propheta: qui Iudęorum depositionem, & gentium exaltationem sub his verbis optimè significat. Posuit flumina in deser- Psal. 106.
tum: & exitus aquarum in sitim, terram fructiferam in salsuginẽ à malitia habitantium in ea. Posuit desertum in stagna aquarum, & terram sine aqua in exitus aquarum. In quibus verbis duo nobis propheta ostendit: ostendit miserorum, & infęlicium Iudæorum depositionem, cum dicit posuit flumina in desertum. Currebant

bant apud Iudęos aquæ, currebant prophetæ, sed iam apud eos E
non sunt prophetæ, & in tantum non sunt prophetæ, quod opti-
Psal. 73. me dicere possunt. Iam non est propheta, & nos non cognoscet
amplius. Sed vnde hoc? Vnde nisi exeo, quia posuit Dominus
flumina in desertum, & exitus aquarum insitim: terram fructife-
ram in salsuginem, à malitia habitantium in ea? Hinc est, & non
aliunde est; quod si quærimus apud potentes istos: apud super-
bos istos fidem Christi, non inuenimus. Hinc est, quod si quęri-
mus prophetas non inuenimus. Hinc est, quòd si quęrimus sacer
dotem non inuenimus. Hinc, quòd si quærimus sacrificium non
inuenimus. Hinc denique est, quod si quærimus templum non F
inuenimus, quia posuit Dominus flumina in desertũ, exitus aqua-
rum insitim, terram fructiferam in salsuginem. Sed vnde? aut
quo meritò? à malitia, inquit, habitantiũ in ea. Quasi diceret pro-
pter eorum malitiam, propter eorum superbiam, Deus hęc omnia
mala in iudęos venire permisit: propter eorum peccata potentes
istos de sede deposuit, & humiles eorum loco exaltauit. Deposuit
potentes de sede, & ealtauit humiles.

Ostendit iam nobis propheta, miseram infęlicium iudęorum
depositionem. Ostendat etiam nunc nobis humilium Gentilium
exaltationem. Posuit, inquit, desertum in stagna aquarum, & ter- G
ram sine aqua in exitus aquarum. Quasi diceret, vbi erant omnia
immunda sacrificia, quando desertum erant, quando squalebant,
quando salinæ erant omnes gentes, ibi nunc fontes, ibi nunc flu-
Iud. 6. mina, ibi nunc aquarum stagna, & exitus aquarum. Propter hoc
sane Iudęi, per vellus illud Gedeonis rectissimè possunt significa-
ri. Petiuit Gedeon à Domino signum: & dixit: Peto Domine,
vt vellus, quod in area pono, compluatur: & area sicca sit. Factũ
est ita, compluitum est vellus, & tota area sicca erat. Item petiuit
alterum signum. Volo, inquit, Domine, vt vellus siccum sit, &
area compluta. Et factum est ita. Quid est hoc vellus? Quid, H
inquam, est hoc vellus ante complutum, & postea siccum? Quid
est nisi miser Iudęorum populus tantis à Deo fauoribus, tantis
honoribus, tantis mirabilibus, & tantis prophetarum oraculis cõ-
pluuis, nunc vero propter suam ingratitudinem omnino siccus?
O Iudęorum ingratitudinem, quomodo fontem diuinorum be-
neficiorum, quæ quotidie in istam gentem diffundebantur, ex-
siccasti.

Prętc-

A Præterea, quid, quæso, est hæc area antea sterilis, & sicca, quando vellus madidum erat, & tunc tota aqua perfusa, quando vellus siccum erat, quid erat inquam, nisi Gentilium populus, quem Deus sua gratia impleuit? gratia, dico, non iam illa, quæ in veteri testō in nube erat occulta, sicut imber in uellere, sed gratia manifesta, qua totus orbis propter Christi confessionem, & fidem plenus est, sicut illa area aqua plena erat. Ecce quomodo remanserunt Iudæi: remanserunt quidem sicut vellus antea complutum, sed postea omnino siccum. Remanserūt omnibus suis bonis priuati. Id, quod antea Oseas propheta præuidens dixit. Quia dies multi se- Ose. 3.
B debunt filij Israel sine Rege, & sine principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine Ephod, & sine Teraphim.

Sed quæro sufficit ne miseris tanta iactura? Non. Sed quod ijs omnibus Iudæorum malis multò peius est, etiam sine Deo Iudæi remanserunt, sicut Alzarias filius Obed facto in se spiritu Dei in hunc modum prædixit: Transibunt autem multi dies in Israel 2. Paral. 15 absque Deo vero, & absq; sacerdote, & absque doctore, quoque, & absque lege. O' miseros, ò infœlices: & ad quemnam maiorem malorum cumulum peruenire potuissent? Propter suam incredulitatem sine Deo remanserunt, qui antea de eorum patribus pro-
C pter eorum fidem: ita gloriabatur, vt interrogatus quod esset sibi nomen alijs relictis responderet: Ego sum Deus Abraham, Deus Exod. 3. Isaac, & Deus Iacob. Et ideo D. Paulus ad Hebræos: Ideo, inquit, non confunditur Deus, vocari Deus eorum. Quasi diceret Heb. 11. propter eorum fidei virtutem adeo eos magnificauit, vt licet sit totius mundi Deus, non erubescat tamen particulariter vocari eorum Deus.

Sed quid de Iudæorum parentibus tantum loquimur? Iudæos ipsos Dei filius tanti fecit, vt ad eos tanquam ad suum particularem, & peculiarem populum veniret. Et ideo Ioannes Euangeli-
D sta: In propria, inquit, venit, & sui eum non receperunt. Et Chri- Ioan. 1. stus ipse: Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel. Ac si diceret: tametsi pro omnium salute à patre in mundum Mat. 14. missus sum, tamen ad gentes nō veni, ad quas discipulos mittam: Sed ad Iudæos, quibus meam natiuitatem, mei corporis præsentiam, meorum miraculorum ostensionem, ac meæ resurrectionis virtutem specialiter ostendere volui.

E

CAP. V.

Iudæi erga Christum quàm ingrati: Ipsi ob suam ingratitudinem humiliati, & Gentiles propter suam gratitudinem exaltati.

Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Luc. 1.



IDIMVS superiori capite, inter enarrãdam superborum Iudæorum depositionem, quãti illos Christus faciebat, quãta amoris signa erga illos specialiter ostendebat. Sed heu quam ingrati erga illum Iudæi extiterunt. Cum enim tantum amatorem recipere, & tam magnum benefactorem recognoscere deberent, instar rabidorum canum se se erga illum gesserunt. Sicut enim canes in rabiem conuersi ipsum Dominum imprimis non agnoscunt: sic Iudæi in insaniam versi Dominum suum non cognouerunt, in hoc ipsis rebus insensibilibus insensibiliores, atque stupidiores effecti. Omnia quippe elementa suum autorem venisse testata sunt. Et vt de illis humano vsu aliquid loquamur, Deum, & Dominum suum cœli cognouerunt, quia protinus stellam miserunt: Mare cognouit, quia sub pedibus, & plantis eius se se calcabile præbuit. Terra cognouit, quia eo moriente contremuit. Petræ, & saxa cognouerunt, quia tempore mortis eius scissa sunt. Sol cognouit, quia tunc lucis suæ radios abscondit. Infernus cognouit, quia quos habebat mortuos, viuos reddidit. Soli verò Iudæi stupidi eum non cognouerunt. Sed instar rabidorum canum qui in Dominum suum exurgunt, quem aliquando honorabant, ipsi cauda blandiẽtes: sic Iudæi, qui Christi aduentum expectabant, qui parati erant suscipere spõsum, qui obedire diuinis sermonibus promiserant, quando viderunt suum Dominum aduenisse, ignorantes formas, & figuras veritatis, quas prophetæ prius quam ipse in carnem veniret, expresserant, delineauerant, annuntiauerant, & significauerant, contra ipsum exurgebant dicentes, nunc ipsum blasphemias loqui, nunc dæmonium habere. Neque his contenti, tanquam rabidissimi canes insurrexerunt in eum, manus iniecerunt in eum, & turpissimæ morti tradiderunt eum. Verum hæc tam immania ipsorum Iudæorum facinora

Simile. Simile. F G H

cinora

A cinora in causa fuerunt, vt ipsi, qui tantis antea à Deo honoribus fuerant exaltati, de omnibus suis honoribus, & dignitatibus deponerentur, ad ipsosque humiles gentiles exaltarentur. Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.

Et quænam est, obsecro, superborum Iudæorum maior depositio? Quænam etiam est, humilium gentilium maior exaltatio: quàm vt illi, qui antea peculiaris Dei populus erãt: fine Deo remanerent: isti vero, qui populus Dei non erant, ipsius Dei populus ita efficerentur, vt dicat illis Deus: Populus meus es tu: & ipsi etiam Deo: Deus meus es tu? Et dicam (inquit Deus ipse de Gen- Ose. 2.
B tilibus loquens) non populo meo, populus meus es tu: & ipse dicet: Deus meus es tu. Et meritò. Gentiles enim licet corporali Domini præsentia non fuerint visitati, tamen ipsi Domino seruierunt, ipsique in auditu auris obedinerunt. Id regio propheta in persona Christi sic attestante, ac dicente. Populus quem non cognoui seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi: hoc est, non videndo, sed audiendo crediderunt. Quibus verbis quanta sit Gentilium laus clarè ostenditur, siquidem solùm audierunt, & audiendo crediderunt: Iudæi vero viderunt, & tamen videndo non crediderunt. Viderunt Dei filium, qui in propria persona eis præ- Psal. 17.
C dicabat, & veritatem dicebat, & tamen non crediderunt: sed tanquàm arenosa terra aridi semper remanserunt. Sicut enim terra arenosa quamuis pluuiam suscipiat, quia nullos in se habet humores continuo aret: sic Iudæi quamuis cœlestis pluuiæ doctrina fuerint compluti, tamen aridi semper remanserunt. Simile.

Hinc D. Paulus Iudæos ipsos, qui sæpe biberunt imbrem cœlestis doctrinæ: sed nunquam germina fidei, bonorumque operum protulerunt, arguens dicebat. Terra enim sæpe super se venientem imbrem, & generans herbam opportunam illis, a quibus colitur, accipit benedictionem à Deo: proferens autem spinas, & Heb. 6.
D tribulos reproba est, & maledictioni proxima, cuius consummatio in combustionem. Quasi diceret, Iudæos ideo non accepturos benedictionem à Deo, tanquam bonam terram, quia licet doctrinæ imbrem, & imbrem doctrinæ filij Dei biberint, semper tamen aridi, & sine humore remanserunt. Vnde Deus iam antea per prophetam Isaiam illis comminabatur dicens. Nubibus mandabo nè pluant super eam imbrem. Nempe super vineam, quæ sicut idem propheta eodem loco testatur: Domus Israel est. Isa. 13.

Vinea autem, inquit, Domini exercituum Domus Israel est. E
Hac etiam de causa D. Paulus Iudæis non solũ Christi, sed suorũ Apostolorum doctrina sæpe complutis, semper tñ siccis, aridis, &
Acto. 13. sine humore remanentibus. Vobis, inquit, oportebat primum loqui verbum Dei, sed quia repellitis illud, & indignos vos iudicastis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes.

Non tales quidem fuerunt Gentiles, si quidem venientem super se apostolicæ doctrinæ imbrem bibentes, germina fidei protulerunt, & ideo tantam à Domino benedictionem acceperunt, ideo à Deo in tantum honorati fuerunt, vt de Iudęis dicat nostra Virgo: Deposuit potentes de sede: de Gentilibus autem, & exaltauit humiles. F

O quàm honorati, & quam exaltati remanserunt Gentiles: è contra vero Iudęi, quàm depositi, & quàm humiliati remanserunt. Iudæi cum naturalis oliuæ rami essent, & ipsius oliuæ pinguedinem perciperent, fracti sunt in sua infidelitate remanendo: illi vero cum oleaster essent inserti sunt in illis. Id est, in locum eorum successerunt, & socij facti sunt radicis & pinguedinis oliuæ. Id est, fidei sanctorum patrum, & gratiæ Spiritus sancti.
Rom. 11. Et ideo D. Paulus ad Romanos cum Gentilibus loquens. Quod si aliqui, inquit, ex ramis fracti sunt: tu autem cum oleaster esses G insertus es in illis, & socius radicis, & pinguedinis oliuæ factus es, noli gloriari aduersus ramos.

Ecce quam humiliati, & quàm exaltati remanserunt Gentiles, & Iudæi. Iudæi, qui proprij rami erant fracti sunt. Et sicut fracti oliuæ rami in terra iacent, & ab omnibus, pedibus conculcantur, ab omnibus diripiuntur, & in ignem mittuntur.
Simile.
Ita Iudæi prostrati sunt, abiecti sunt, & in terra, (sed vtinam non tanquam sues in suę infidelitatis luto) iacentes ab omnibus vilipenduntur, ab omnibus conculcantur. Gentiles vero credentes in tantum à Domino fuerunt exaltati, vt cum oleaster essent, in oliuam tamen inserti, eius radicis, & pinguedinis socij facti sunt. H

CAP.

A

CAP. VI.

Iudæorum depositio, & Gentilium exaltatio per quid significatæ sint. Iudæi in fine mundi ad prędicationem Enoch, & Eliæ conuertentur.

Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Luc. 1.

B  VPERBORVM Iudæorum depositionem, & humilium Gentilium exaltationem, sub ligni nomine, Deus olim per prophetam Ezechielem, sub his verbis sic expressit: Et scient, inquit, omnia ligna regionis, quia ego Eze.17.
Dominus humiliaui lignum sublime, & exaltaui lignum humile, & siccaui lignum viride, & frondere feci lignum aridum: quę Ezechielis prophetæ verba, his clarissimè respondent, quibus nostra Virgo vtrumque significans, clarius dicit: Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.

C Sed Gentilium populo iam relicto, quousque tandem naturales isti rami (de Iudæis loquor) quousque, inquam, fracti, depositi, abiecti, & humiliati iacebunt? Nunquid semper à sua radice, hoc est, à fide Christi, & sanctorum Patriarcharum alieni remanebunt? Absit. Nam in fine sæculi ad prædicationem Enoch, & Elię suæ arbori resolidabuntur. Non enim excisi omnino sunt: sed fracti sunt. Et ideo sicut fractus arboris ramus potest, vt cumque re- Simile.
solidari, non autem ramus excisus. Sic Iudæi cum fracti sint, & nō omnino excisi sint, tunc temporis Christi, & sanctorum Patriarcharum fidei solidabuntur: tunc temporis ad veram Christi fidē
D ad prædicationem istorum duorum sanctorum conuertentur, qui ante secundum Christi aduentum venturi sunt.

Et quod ad Eliam attinet, de hoc nulla dubitatio est. Nam propheta Malachias hac de re sub Dei nomine expresse locutus est. Malac.3.
Ecce ego, inquit, mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis, & conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum. Idque etiam Christus clarissimè testatur apud Matthæum, ibi enim post transfigurationem suam cum discipulis de Elia loquens: Elias quidem, inquit, Mat.17.

venturus est, & restituet omnia; quem Mathæi locum exponens E
D.Chrys. D. Chrisostomus sic dicit. De ipso Elia in propria persona loquitur, qui quidem restaurabit omnia, dum corriget infidelitatem Iudæorum, qui tunc inuenientur, quod est conuertere corda patrum ad filios, idest, Iudæorũ ad Apostolos. D. Chrysostomũ sequitur
Theophy. Theophylactus, qui super eundem Matthæi locum sic dicit. Dicẽdo quod Elias quidem veniet, ostendit quod nondum venit, in secundo autem aduentu veniens restituet ad fidem omnes hebræos, quos persuasibiles inueniet, quasi ad hæreditatem paternam reducens eos, qui exciderant.

Quod vero ad Enoch spectat, de hoc quamquàm non habeamus tàm expressa scripturæ sacræ testimonia: tamẽ nõnulla sunt, F quibus insinuatur illum in fine mundi esse venturum, vt gentibus
Eccl.44. prædicet, & præsertim verba illa Ecclesiastici. Enoch translatus est, vt det gentibus pœnitentiam. In quibus verbis clarissimè videtur agi de prædicatione ipsius Enoch futura in fine mundi.

Apoc.11. Deinde Apocalipsis liber clarè testatur, venturos esse duos diuinos testes saccis amictos, qui prophetabunt tempore Antichristi. Licet vero à D. Ioanne non declaretur apertè, quòd isti duo viri futuri sint Enoch, & Elias, tamen consideratis circunstantijs earum personarum, quas Ioannes ibi describit, & cõsideratis etiã G illis, quæ alijs in locis de Elia, & Enoch scripta sunt communi ferè omnium patrum consensu creditum est, illos duos nõ esse alios præter Enoch, & Eliam: neque in alium finem translatos esse, & in mortali vita conseruari, nisi vt in fine mundi Antichristo resistant: Christoque testimonium perhibeant. Sic docent eodem loco Venerabilis Beda. D. Anselmus, D. Thomas, D. Augustinus, Victorinus martyr, & D. Gregorius homilia 12. in Ezechielem. Habemus ergo quòd Enoch etiam veniet simul cum Elia.

Beda. D.Ansel. D. Thom. D. Augu. D.Victo. D. Greg.

Quod vero ad Eliæ, & Enoch prædicationem conuertendi sint H Iudæi id, affirmant D. Anselmus, & Theodoretus in epistolæ ad Romanos caput vndecimum. D. Hieronymus in illud psalmi: In reliquijs tuis præparabis vultum eorum. Ericus homilia sabbati ante tertiam Dominicam Quadragesimæ. Haymo super epistolæ ad hebræos caput vndecimum. Et multi alij, quos omnes recensere longum esset.

D.Ansel. D. Thom. D.Hieron. Psal.20. Ericus. Haymo.

Per istorum ergo prædicationem conuersi Iudæi Christi fidẽ recipient, eiusq; gloriam non solum voce, sed etiam operibus prędicabunt,

A dicabunt,& illa Apostoli prophetia tunc implebitur,qua dicitur. Quia cum plenitudo gentium intrauerit, tunc omnis Israel saluus erit. Id, quod non intelligitur de vniuersis Iudæis: sed de illis solum qui ad æternam vitam fuerint præordinati. Iuxta illud Danielis prophetæ. In tempore illo saluabitur populus tuus omnis, qui inuentus fuerit scriptus in libro. Rom. 11. Dan. 12.

CAP. VII.

B *Saul,& Nabuchodonosor propter quid, de sede a Deo depositi sunt.*

Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Luc. 1.



VONIAM Sub potentium nomine hoc loco, non solum dæmones, & Iudæi: sed etiam quicunque alij superbi mundi potentes comprehenduntur, rationis ordo postulat,vt de ijs etiam nō nihil dicamus, causamque aperiamus ob quam potētes isti de sede sua etiam olim à DEO C depositi fuerint,& hodie etiam deponantur.

Quod igitur ad huius rei causam attinet,hanc ego quidem nullam aliam esse existimo, nisi quia isti sede à Deo sibi data abutebantur. Cum enim sedes ea sit,in qua ita homines sedent, vt neque stent,neque iaceant: quidam peruersi,& iniqui potentes sede sua,ita abutebantur,vt in ea non sederēt per sapientiam, doctrinā, iustitiam & clementiā: sed vel iacerent, per desidiam, & inertiā, per turpitudinem,& luxuriam: vel starent per superbiam,& arrogantiam,per tyrannidem,& inobedientiam. Id,quod Deus minime ferre volens potētes istos de sede sua deposuit, ad illamq; humiles exaltauit. Deposuit potentes de sede,& exaltauit humiles.

D Vt autem istorum nonnulla exempla afferamus,ex his, quorū multa nobis scriptura sancta suppeditat in memoriam imprimis reuocemus potentem vnum,qui in sede sui regni non sedit, vt debuit,sed per superbiam, & inobedientiam steit, vt non debuit. Hunc vero Saulem fuisse ipsa scriptura nobis aperte demonstrat, sic inquiens: Mortuus est ergo Saul propter iniquitates suas, eo quod præuaricatus sit mandatum Domini, quod præceperat, & 1.Para.10.

non custodierit illud: sed insuper etiam Phytonissam cōsuluerit, E
neque sperauerit in Domino, propter quod & interfecit eum.

Sed sufficit nè Domino tantam de Saule sumpsisse vindictam? Minime quidem: non sufficit ei ipsum Saulem interfecisse, eumque vel hoc modo de sede regni deposuisse, sed eius loco humi-
Psal. 118. lem exaltauit. Sed qualem humilem? Dauidem, qui suam humilitatem Deo videndam proponebat, & proponendo dicebat. Vide humilitatem meam, & eripe me. Et ideo postquam diuina scriptura Dei vindictam in Saulem superioribus verbis patefecit, statim adiecit: & transtulit regnum eius ad Dauid filium Isai, & sic
in vtroque eorum adimpletum fuit, quod dicit nostra Virgo: De- F
posuit potentes de sede, & exaltauit humiles.

Sed videamus adhuc alium potentem: & forsan ipso Saule nō solum potentiorem: sed etiam superbiorem; quem quia in sede sui regni non sedit, sed per superbiam stetit, Dominus de sede misere deposuit: Hic fuit Nabuchodonosor, qui cum propter superbiam in hæc verba prorupisset. Non ne hæc est Babylon ciuitas magna, quam ego ædificaui in domum Regni, in robore fortitudinis meę, & in gloria decoris mei? Cum, inquam, in hæc verba prorupisset, & adhuc sermo esset in ore eius, vocē de cœlo venien-
tem, sibique dicentem audiuit. Tibi dicitur Nabuchodonosor G
Dan. 4. Rex regnum tuum transibit à te, & ab hominibus eijcient te. & cùm bestijs, & feris erit habitatio tua: fœnum quasi bos comedes, & septem tempora mutabuntur super te, donec scias, quod dominetur excelsus in regno hominum, & cuicunque voluerit det illud. Nec mora: sed eadem hora (sicut dicit scriptura) sermo cōpletus est super Nabuchodonosor, & ex hominibus abiectus est, & fœnum, vt bos comedit, & rore cœli corpus eius infectum est, donec capilli eius in similitudinem aquilarum crescerent, & vngues eius quasi auium.

Ecce quàm misere potentem istum Dominus de sede deposuit: H
ecce quomodo superbientem istum abiecit. Veruntamen sibi ipse melius, & multò sane melius consuluit, quàm potens ille Saul, de quo antea diximus. Quia Nabuchodonosor post depositionē
Dan. 4. suam oculos in cœlum leuauit, & reddito sibi sensu suo Altissimo benedixit: & viuentem in sempiternum laudauit, & glorificauit, dicens, quia potestas eius, potestas sempiterna, & regnum eius in generationem, & generationē: & omnes habitatores terræ apud

cum

A eum in nihilum reputati sunt: iuxta voluntatem enim suam facit tàm in virtutibus cœli, quàm in habitatoribus terræ, & non est, qui resistat manui eius: & dicat ei: Quare fecisti?

Et ideo Dominus, qui potentem istum propter suam superbiã tàm misere deposuerat, illum sic humiliatum iterum exaltauit, ipso, immo Spiritu sancto per eum, sic attestante, ac dicente. In ipso tempore sensus meus reuersus est ad me: & ad honoré regni mei decoréq; perueni: & figura mea reuersa est ad me, & optimates mei, & magistratus mei, requisierunt me, & in regno meo restitutus sum, & magnificentia mea amplior addita est mihi. Nunc igi
B tur ego Nabuchodonosor laudo, & magnifico, & glorifico regẽ cœli, quia omnia opera eius vera, & viæ eius iudicia, & gradientes in superbia potest humiliare. Vide quomodo Deus potentem istum deposuit: Vide etiam quomodo illum iam humilem factũ exaltauit: & cognosce quàm meritò de Deo dicat nostra Virgo: Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.

Videtur quidem Deus se egisse cum Nabuchodonosor: sicut pater cùm filio. Sicut enim amantissimus filij pater, ipsum filium Simile.
delinquenté ex propria domo frequenter expellit, & à mensa sub-
C mouet, non ea intentione, vt semper exulet: sed vt hac correctione melior redditus cum debita laude in paternũ redeat contubernium: ita etiam Deus Regẽ Nabuchodonosor ex proprio regno eiecit, eumq; cùm feris habitare fecit, non vt semper illic exularet, sed vt per supplicium illud melior effectus, ad ipsum Deũ debita cùm laude rediret, & per veram humilitatem confugeret.

O immensum pijssimi Domini amorem erga homines. Et quid plus potest facere erga amantissimum filium pater, quam Deus fecit erga potenté istum? erga superbum istum? in quem tam magnum flagellum, ideo venire permisit, vt ad ipsum per veram hu-
D militatem iterum confugeret? Sicut enim amantiores filiorum Simile.
parétes, cum paruulos suos viderint à se quidem sæpe discedere, & æqueuorum suorum lusibus detineri, obijciunt paruulis terribilia, & horribilia multa, vt ipsi metu exagitati ad paternum sinum confugere festinent. Ita Deus Nabuchodonosor à se per superbiam discedere videns, & huius mundi fallacijs, atque delicijs detineri, ipsum tàm horribile supplicium experiri voluit, vt per illud humiliatus cum confessione laudis ad Dominum confugeret. Id, quod ipse reuera fecit, qui huius Domini potentiam

tentiam recognoscens, qui sicut dicit nostra Virgo deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles, dicebat laudo, & magnifico, & glorifico Regem cęli, quia omnia opera eius vera, & viæ eius iudicia, & gradientes in superbia potest humiliare. E

CAP. VIII.

Regem Salomonem de sede Regni Deus ideo deposuit, quia in illa non sedit per obedientiam: sed iacuit per turpitudinem.

F

Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Luc. 1.



Bi egimus superiori capite de depositione potentium, qui in sede regni per superbiam, & in obedientiam steterunt, agendum nobis nunc esset de illis potentibus, qui in sede regni per turpitudinem, & inertiam iacuerunt. Verum ne multi simus ex illis omnibus vnum solum Salomonem referre satis erit, de quo ipsa dicit scriptura quod copulatus erat mulieribus ardentissimo amore. Et quod fuerunt ei vxores quasi reginæ septingentę, & concubinæ trecentę propter quas omnes, cum iam senex esset, cor eius ita depranatum est, vt sequeretur Deos alienos, nec esset cor eius perfectum cum domino Deo suo, sicut cor Dauid patris eius. 3. Reg. 11. G

Ecce quomodo etiam Salomon in sede Regni iacebat: ecce quomodo in ea, vt sic dicam, dormiebat. Id, quod fortasse scriptura ipsa voluit significare, quæ de tempore regni Salomonis agens dixit ipsum regnasse quadraginta annis. Dies autem, inquit, quos regnauit Salomon in Ierusalem super omnem Israel quadraginta anni sunt. Cum enim Rex Salomon (sicut eodem loco adnotauit Nicolaus de Lyra: nec non Iosephus de antiquitate Iudaica lib. 8. cap. 3.) octoginta annis regnauerit, scriptura de solis quadraginta mentionem faciens totidem alios resecat, sicut fecit cum Saule, qui cum multis annis regnasset, tamen scriptura eum solis duobus annis regnasse commemorat super Israel. Propter hoc videlicet, quia iuste, & mansuete, solum duobus annis regnauit. Quia vero postea magis tyrannus fuit, quam Rex, ideo de alijs annis regni eius mentio non fit. Eodem modo quia Salomon quadraginta

3. Reg. 12. H Nic. Lyr. Iosephus.

A draginta solum annis bonus fuit, quia bonus existens sedebat in sede regni sui, ideo scriptura dicit, ipsum regnasse annis quadraginta, præteriens alios quadraginta, quia in istis potius in sede iacuit, potius in ea, dormiuit per luxuriam, & turpitudinem, quàm sedit per iustitiam, & bonitatem, cæterasque animi virtutes, quæ Regem potius decebant.

Sed videamus quid propter hoc fecerit Deus Salomoni: deposuit ne eum de sede Regni sui, & eius loco aliquem humilem exaltauit? Deposuit: non tamen in propria persona, sed in persona filij sui Roboam, cui Dominus vnam tantum tribum præter B suam (sicut ibidem adnotauit Glossa interlinearis) dereliquit, & decem reliquas abstulit, super easque Ieroboam seruum Salomonis Regem cõstituit. Id, quod dominus eidem Salomoni, sic euenturũ esse, sub his verbis ante prædixit Quia habuisti hoc apud te, & non custodisti pactum meum, & præcepta mea, quæ mandaui tibi, disrumpens scindam regnum tuum, & dabo illud seruo tuo. Verumtamen in diebus tuis non faciam, propter Dauid patrem tuum. De manu filij tui scindam illud, nec totum Regnum auferam, sed tribum vnã dabo filio tuo propter Dauid seruum meũ, & Ierusalem, quam elegi. 3.Reg.11.

C In quib⁹ scripturæ verbis duo possumus adnotare: videlicet, ipsius Dei clementiã erga Salomonẽ, & amorem erga patrem eius Dauid. Nam Deus cũ ipsi Salomoni minaretur, dicens: Disrumpens scindam Regnum tuum, & dabo illud seruo tuo; statim cõsolationem addidit dicens: Verumtamen in diebus tuis non faciam. More medicorum, qui cum alte secuerint, & per incissionem fecerint doloris augmentum, solatium statim afferunt, & remedium illi loco, in quo dolor in est. Eodem modo fecit Deus, postquam Salomonem concussit, & eius animum mentione pęnæ compunxit, pænæ inquam, quę pro sua turpitudine, & idolatria D infligenda erat: statim illum consolatus est dicens Verum tamen in diebus tuis non faciam, propter Dauid patrem tuum. Simile. 3.Reg.11.

Quod vero attinet ad ipsius Dei amorem erga Dauid: is in hoc etiam negotio non exiguus quidem fuit. Cum enim Dauid in vita sua Salomonem filium suum Regem constituisset, sicut ex eadem constat scriptura: si tempore Salomonis Regnum scisum fuisset, totum hoc videretur redundare in culpam Dauid, atque etiam in eius opprobrium, quia eius memoria 3.Reg.1.

ria adhuc erat multum recens. Et ideo dominus dixit: Verumtamen in diebus tuis non faciam propter Dauid patrem tuum. E
Quasi diceret propter eum, qui te Regem constituit tibi parco:
Simile. propter eum pœnam tibi debitam in filium tuum transfero. An non hoc erga Dauid fuit maximum diuini amoris indicium? Vere maximum. Sicut enim quādo filius familiaris, alicuius regis, iam mortui aliqua crimina læsę maiestatis contra ipsum Regem committit, si Rex propter patris familiaritatem ea illi condonat, dicimus maximum erga illum familiarem fuisse, & esse talis Regis amorem: Ita etiam quando videmus Salomonem propter suam
Exod. 34. turpitudinem, tantis diuinā maiestatem modis offendisse: Primo F
quia inordinate, & ardenter nimis mulieres adamauit: Secundo quia contra legem Moysi, vxores alienigenas accepit: Tertiò (vt
Deut. 17. multos alios diuinę offensę modos interim prætermittamus) quia vxores sibi vltra modum multiplicauit, contra legem Deuteronomij, qua prohibetur Regi accipere vxores plurimas allicientes animum eius. Quando, inquam, videmus Salomonem ita Deum offendisse: & tamen Deum ipsum, tanta cum illo misericordia vsum fuisse, propter Dauid patrem eius, opus est vt dicamus, maximum erga Dauid fuisse ipsius Dei amorem, si quidē propter illum Salomoni eius filio in vita sua pepercit, & regnum illi non abstulit, sed G
eius filio Roboam, de cuius manu decem tribus abstulit, & dedit
3. Reg. 11. eas seruo patris eius Ieroboam, cui ex parte domini per Ahiam prophetam dictum est. Auferam regnum de manu filij eius, & dabo tibi decem tribus: filio autē eius dabo tribum vnam. Et post pauca te autem assumam, & regnabis super omnia, quæ desiderat anima tua. Erisque Rex super Israel.

Ecce quomodo iacentem, & in sede regni sui Regem Salomonem dormientem, in persona filij sui Dominus de sede deposuit: & ad eam humilem seruum exaltauit, vt illi liberi homines seruirent, iuxta illud: Seruo sensato liberi seruient. H

Ecce etiam quam bene Virgo nostra Dei conditionem nobis depinxit, qui potentes eorum exigentibus meritis, siue potius demeritis, de sede deposuit, & exaltauit humiles.

A

CAP. IX.

Deus quare potentes de sede deponendo, eorum sedes simul non destruit, sicut fecit Christus, qui vendentium in templo cathedras subuertit.

Dispersit superbos mente cordis sui. Luc. 1.

B 

Nterea, quæ super hunc versiculum adhuc dicenda sese offerunt, hoc imprimis inuestigare fuerit valde congruum, nempe qua de causa dominus potentium peccatis offensus, præterquam eos de sede deponat, eorum sedem simul non destruat, Mat 21. sicut Christus dominus legitur fecisse in tẽplo, qui in ipsum templũ intrans, non solum vendentes, emẽtesque omnes de templo eiecit, non patiens eos ibi vendere, aut emere. Sed etiam mensas numulariorum, & cathedras vẽdentium columbas euertit. Non satis fuit Domino vendentes, & ementes in templo, C de templo eijcere. Sed ne deinceps illis relinqueretur occasio talia in templo faciendi, eorum mẽsas, & cathedras euertit. Qua igitur de causa dominus cum potentib⁹ hoc similiter non fecit? Qua de causa eos de sede deponens eorum sedem simul non destruit: vt vel hoc modo tam ipsis, quàm alijs omnis peccandi occasio prorsus præscindatur?

Huius rei (meo quidem iudicio) hæc potissima causa est, quia potentium, & vendentiũ munera sunt omnino diuersa. Nam vendentium in tẽplo munera erant omnino illicita: nõ poterant enim columbas vendere in templo, quod domus domini, & domus ora D tionis erat, sicut Christus dominus illis dicebat. Et ideo quia omnibus cõmuniter illicitum erat, talia in templo exercere, contentus non fuit dominus, si illos solum de templo eiecisset, sed illis, & omnibus alijs tale quid faciendi, occasionẽ omnino amputare volens eorum cathedras euertit.

In potentibus vero ratio est omnino dissimilis. Nam istorũ munera, sicut est regnare, imperare, & huiusmodi alia: tantum abest quod sint illicita, quòd ab ipso Deo approbata, & ordinata sunt,

&in

& in tantum ab ipso approbata, & ordinata sunt, vt ipse dicat: Per E
Prou. 7. me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt: per me principes imperant, & potentes decernunt iustitiam. Et ideo Dominus quando isti suum munus non bene exequuntur, nō eorum sedes propterea destruit: sed eos solum de illis deponit, vt illorum loco alios, qui muneri, & officio suo melius satisfaciant, exaltet talia enim sunt potentium munera, quod si à nonnullis recte non exerceātur, ab alijs tamen bene administrantur, quos dominus ad illa obeunda idoneos esse cognoscens, potentium sedes non destruit: sed potentes ipsos de illis deponit, & illorum loco eos, quos idoneos esse cognoscit, exaltat. Et ideo Virgo nobis demonstrare volens, quod dominus sic facere consueuit, dicit: Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. F

Verum poterit aliquis in hunc modum obijcere: Sicut Christus vendentium cathedras euertit: ita etiam Deus non nullorum sedes destruere consueuit, sicut clarissime patet ex illo Ecclesiastici: sedes ducum superborum destruxit Deus.

mat. 21. Eccle. 10.

Ad istam obiectionem respondendum est: per locum illum Ecclesiasti solum significari animaduersionem, non quidem in sedes, quasi in illas dominus inueheretur ipsas destruendo: sed in duces superbos, quos dominus ipse propter eorum peccata, de sede deposuit. Et quod talis sit illius loci sensus, bene colligitur ex eodem loco, vbi post hæc verba, nempe: sedes ducum superborum destruxit Deus: statim adijcitur: Et sedere fecit mites pro eis. Vbi enim mites sederent, si dominus sedes destrueret? Vult ergo locus ille significare, quòd dominus duces superbos de sede sua deposuit, & sedere fecit mites pro eis. Et ideo Glossa interlinearis eundem ecclesiastici locum, per hæc nostræ Virginis verba declarauit, nempe: Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. G

CAP. X. H

Mundi potentes quam parum possint. Deus propter quid eos de sede deponit, & humiles exaltat.

Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Luc. 1.

IAm tempus est, vt ad vlteriora procedamus, atque vt ex his nostrę Virginis verbis imprimis cognoscamus, quàm parum possint,

A sint, quamque in potentes sint omnes mundi potentes, qui neque sibi placentes exaltare, nec sibi displicentes deponere, & humiliare possunt: quia hoc solū illius est proprium, qui (teste regio propheta) sicut sibi placet: Hunc humiliat, & hunc exaltat: & pro Psal.74. sua voluntate pauperem facit, & ditat, humiliat, & subleuat, su- 1.Reg.2. scitat de puluere egenum, & de stercore, eleuat pauperem, vt sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat. Faciant mundi reges, & principes quantum potuerint, laborent, & sudent quantum voluerint pro deprimendo, & humiliando vno, & subleuando, exaltandoque alio, quia nunquàm poterunt efficere, vt ille, B qui in se magnus, & sublimis est, humilis, & paruus sit: ille vero, qui in se humilis, & vilis est, magnus, & sublimis existat.

Sicut enim si ex vna parte paruam statuam ponamus, ex alia vero ingentis, & proceræ magnitudinis Collossum constituamus, Simile. & paruam illam statuam super montem altissimū: Collossum vero in profundissima valle statuamus: Neque ob id tamen poterimus efficere quin collossus in profundissima valle constitutus magnus: statua vero altissimo in monte posita parua existat: ita etiam Reges, & principes efficere non poterunt (loquendo de vera, & non apparenti magnitudine, aut paruitate) vt illi, qui in se magni C sunt, parui: illi vero, qui parui sunt, sublimes euadant, quia hoc solum illi competit, qui sicut dicit nostra Virgo: Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.

Si vero quæras quænam sit causa ob quam Dominus potentes de sede deponit. Hanc non vnicam tantum, sed multiplicem ex ipsa sacra scriptura poterimus assignare. Et ideo dicimus, quod prima causa est, malignitas ipsorum potentium. Vnde dicitur: Sap.5. malignitas euertet sedes potentium. Secunda superbia: & ideo di- Eccle.10. cit scriptura: sedes ducum superborum destruxit Deus. Tertia in- Isa.32. D sipientia. Et ideo dicitur: Non vocabitur vltra, qui insipiens est Eccle.10. princeps: & illud etiam: Rex insipiens perdit populum suum. 1.Reg.15. Quarta est inobedientia: & ideo Sauli dictum fuit: pro eo quod abiecisti, abiecit te Dominus ne sis Rex. Sunt præterea aliæ multæ causæ, quæ ex ipsa scriptura clarissime apparent, sicut sunt iniuriæ, contumeliæ, & doli: Vnde dicit Ecclesiasticus: Regnum a Eccle.10. gente in gentem transfertur propter iniurias, & contumelias, & vniuersos dolos.

Præter causas prædictas sunt etiam aliæ, quæ & si in ipsa scri-

ptura clarissimè non appareant: tamen ex ipsa apertissimè colliguntur. Et huiusmodi sunt iniustitia, crudelitas, & mendacium. Vult enim Deus, vt Reges, & principes, qui terram iudicant, sint E
Sap. 1. iusti. Et ideo illis dicitur: Diligite iustitiam, qui iudicatis terram.
Prou. 20. Vult etiam vt sint misericordes, & clementes, & veri. Et ideo dicitur. Misericordia, & veritas custodiunt Regem, & roborabitur clementia thronus eius. Propter has ergo causas, & huiusmodi alias Dominus deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.

Quia vero inter has causas à nobis enumeratas, potentium iniustitia, crudelitas, & superbia præcipuum locum obtinent, & ad istas tres causas, omnes aliæ causæ ferè reducuntur, propter quas F potentes ipsi à Domino de sede deponuntur: ideo sequenti capite de solis istis causis per ordinem aliquid dicemus.

CAP. XI.

Multi mundi potentes de sede à Deo deponuntur propter eorum superbiam, crudelitatem, & iniustitiam, quam erga pauperes, & impotentes, maxime suorum pessimorum ministrorum culpa, exercent. G

Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Luc. 1.



DE Tribus illis præcipuis causis, superbia videlicet, crudelitate, & iniustitia, propter quas potentes de sede à Deo deponuntur, acturi, sicut superiori capite promisimus, ab eorum iniustitia libet initium sumere. Hæc vero in nonullis talis est, vt illud sapientiæ apud se prorsus cō- H
Sap. 2. stituisse videantur, quo dicitur: Opprimamus pauperem iustum, & non parcamus viduę, neque veterano, nec reuereamur canos multi temporis: sit autem fortitudo nostra lex iniustitiæ.

4. Reg. 11. Quando pontifex Ioiadas voluit vngere in Regem Ioas filium Regis Ochoziæ, quem Iosaba ipsius Regis Ochozię soror tyrannidi, & neci Athaliæ subtraxerat, videns quod ipsa Athalia regnandi cupida mortuo Ochozzia Rege filio, omne semen regni inter-

A interficiebat: Narrat scriptura quod Ioiadas pontifex posuit super Ioas diadema, quod erat insigne capitis Regum, & testimonium per quod Dei lex intelligitur. Ad significandum quod nouus Rex lege illa, & testimonio doceri debebat, qualiter sibi viuendum, quid sibi agendum, & quanta cùm iustitia regnandum esset. Multo contra fit hodie in mundo. Nam legem Dei, & iustitiæ quæ olim in Regum capite ponebatur hanc hodie ponunt mundi potentes sub pedibus suis, & solam legem iniustitiæ: ita in capite constituunt, vt illi soli studere, & in ea solum meditari videantur.

B An non in sola iniustitiæ lege illi student, quorum oculi, & cor (sicut ad Sellum filium Iosiæ Regem Iudæ dicebat Ieremias) ad auaritiam, & sanguinem innocentem fundendum, & ad calumniam, & ad cursum mali operis? An non in sola iniustitiæ lege meditantur illi, qui (sicut ait Isaias) pupilo non iudicant, & causa viduæ non ingreditur ad eos? An non in sola iniustitiæ lege meditantur, qui solum in illis rebus occupantur, quæ ad suum commodum, & vtilitatem spectant, propter quæ multoties domos suas pauperum rapina implere, eorumque sanguinem bibere nō dubitant? Verè qui talia agunt, in sola iniustitiæ lege meditantur. C Quomodo enim in lege iustitię meditari illi dicentur, qui existimant se ad regnum, & potestatem venisse, vt sibi, & suę vtilitati potius, quàm suorum subditorum inseruiant? Deberent isti quidem oculos suos conijcere in verum totius mundi principem Dei filium, de quo dicitur: Exulta satis filia Sion, iubila filia Ierusalem, ecce Rex tuus veniet tibi: quasi diceretur: Ideo Sion, & Ierusalem filia te ad exultandum, & iubilandum exhortor, quia habebis Regem non tyrannum, & iniustum, qui omnia in suum commodum, & vtilitatem conuertat, sicut faciunt alij mundi Reges, & potentes: sed adeo æquum, & iustum, vt tuæ vtilitati D potius prospiciat, quàm suę: Ecce Rex tuus veniet tibi.

Ierem. 21.

Isa. 1.

Zacha. 9.

Ecce qualis erat totius mundi verus princeps Dei filius: ecce etiam quales omnes mundi potentes esse oportet. Sicut enim medicus languentis vtilitati, & non suæ: & gubernator eorum, quos vehit commodo debet consulere: ita principes ad eorum, quibus imperant vtilitatem debent attendere, & non ad suam, si tanquā veri principes à tyrannis volunt distingui. Nam tyranni à veris regibus in hoc differunt: quod isti omnia ordinant ad vtilitatem,

Simile.

& commodum subditorum: illi vero solum suum commodum E
intendunt. Quia vero tyrannos istos multi mundi potentes suis
iniustitijs imitantur, ideo Dominus eos de sede deponit, & multo
ties de carcere, & cathenis iustos educit, vt illorũ loco eos exaltet.
Nam Dominus in tantum amat iustum, & eius iustitiam, vt de iu-
Sap. 2. sto dicat scriptura. Et in vinculis non dereliquit illum, donec af-
ferret illi sceptrum Regni.

Hæc eorum mala, quia mundi potentes minime cogitant, ne-
que considerant, vt illis admoniti in meliorem frugem se se redu-
Ecclef. 4. cant, ideo dicitur de illis: Melior est puer pauper & sapiens Re-
ge sene, & stulto, qui nescit prævidere in posterum, quod de car- F
cere cathenisque quis egrediatur ad regnum, & alius natus in Re
Psal. 10. gno inopia consumatur. Neque hoc immerito: vult enim Deus,
vt mala, quæ illis propter eorum iniustitias superuentura sunt,
potentes considerent, vult vt sapiant, & intelligant, quod iustus
Dominus, & iustitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius, vt hęc
considerantes suas iniustitias effugiant, si quidem his Dominus
sæpe offensus deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.

Secunda causa depositionis potentium est crudelitas, à qua Do-
minus non solum principes, sed omnes etiam particulares homi-
Mat. 5. nes maximè alienos esse volens dixit: Beati misericordes, quo- G
niam ipsi misericordiam consequentur. Et alio loco se homini-
bus omnibus discendæ misericordiæ magistrum proponens: Di-
Mat. 11. scite, inquit, à me quia mitis sum, & humilis corde. Si ergo ex
Domini voluntate omnes mites, & misericordes esse debent, quã-
Simile. to magis principes, & potentes? Nam sicut Rex apum solus acu-
leum non habet, aut certe eo non vtitur, si habet: sic principes
oportet esse clementissimos, & in suos sicut agnos mansuetissi-
mos.

Hinc propheta Isaias filij Dei aduentum in mundum postu-
Isa. 16. lans, inquit. Emitte agnum Domine dominatorem terræ: agnum H
eum vocat: tum vt ostendat eum mansuetudine verum agnum
esse: tum etiam vt doceat omnes, qui alijs dominantur, mansue-
tudine agnos esse debere: & subditorum delicta potius miseri-
cordia, & clementia, quam crudelitate, & seueritate curare: si-
cut fecit Christus, de quo Ioannes Baptista testatur: Ecce agnus
Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Quasi diceret: non demon-
stro vobis lupum, sed agnum non hominem solum, qui per seue-
ritatem

A ritatem, & crudelitatem mundi peccata auferat: Sed Deum simul, & hominem, qui per clementiam, & misericordiam ea tollat. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. In quibus Ioannis verbis illud etiam adnotare oportet, quod postquã Christum agnum vocauit Ioannes, postea addidit: Ecce qui tollit peccata mundi: quasi ostendere volens eos solum aptos, & idoneos esse ad aliorum peccata corrigenda, qui agni sunt, & non lupi, hoc est, qui non sæuitia, sed mansuetudine præditi sunt.

Verum de hoc ipsi mundi potentes modo nihil curant, sed suam crudelitatem: ita sectantur, ac si eam, & non misericor-
B diam Deus hominibus suaderet. Dicit D. Paulus, quod in nouissimis diebus erunt homines immites, & sine benignitate. His iam hodie sunt similes mundi potentes, & maximè erga homines pauperes, & debiles. 2. Tim. 3. Quia sicut balæna paruos pisces magis insectatur, quàm magnos, alterius parui piscis ad hoc ministerio vtens, Simile. qui per mare discurrens balenæ prædam quærit, & ea inuenta, immani illi belluæ ad prædam postea ducatum præstat: Ita quidam mundi potentes, tanquam immanissimæ belluæ, potius pauperculos, & pusillos homines persequuntur, quàm magnos, suorum pessimorum ministrorum ad hoc adminiculis vten-
C tes, qui pauperes, & sæpe innocentes homines, quos antea potentes ipsi nunquam nec agnouerunt, neque agnoscunt, ipsis potentibus in mentem reuocant, eosque apud ipsos criminantur, neque à criminando desistunt, quin prius ipsorum potentium animos ad persequendos pauperes non solum motos, sed omnino conuersos, & intentos habeant.

O quanto maiori, quantoque potiori iure ipsorum principum animi conuerti deberent, ad puniendos suos istos speculatores, & crudelitatis, iniquitatisque ministros, qui suis persuasionibus, & falsis sæpe criminationibus eos in pauperes immanes, & immi-
D tes efficiunt. Sicut enim grauissimè puniuntur, qui in publicos Simile. fontes venenum inijciunt: ita grauissimè & acerbissimè illi quidem plectendi essent, qui potentium animos, contra pauperculos homines corrumpentes, eos ipsos feris immaniores, ac crudeliores reddunt.

Id, quod ideo dixerim, quia Leo (sicut de eo scriptum reperitur) citius sæuit in virum, quàm in fœminam: pueros non nisi summa fame coactus attingit, supplicibus, & prostratis parcit:

è contra vero mundi potentes magnis ignoscentes, in solos paupe E
res deſæuiunt, non cognoscentes, nec cognoscere volentes, quod
Psal. 139. præter hoc quod faciet Dominus iudicium inopis, & vindictam
pauperum: angusti, & pupilli ſatis animi eſt, in pauperes vires
oſtendere, quas in Christianæ fidei hoſtes pulchrius experirentur. Rex Dauid à Saule etiam in deſerto Engaddi perſecutus, ip-
1. Reg. 24. ſum Saulem alloquens: Quem perſequeris, inquit, Rex Iſrael: quem perſequeris? Canem mortuum perſequeris, & pulicem vnum. Quaſi diceret, vile eſt tibi me ignobilem, & impotentem perſequi, etiã dato quod eſſem nocens, cum reſpectu tui, qui Rex es, nullius momenti ego ſim. Ex hoc Dauidis exemplo bene col- F
ligitur, quàm indecorum, & ignominioſum ſit potentibus in pauperes, & debiles, ſuas vires exercere.

Præter hoc eſt etiam aliud crudelitatis genus, quod potentibus, Regibus, & principibus non minorem ignominiæ notam inurit. Nam à ſubditis ſuis offenſi, eos ſtatim ſummo ſupplicio affici iubent: cùm quidem multò glorioſius ipſis foret, ſi parcerẽt, & per
Simile. miſericordiã delinquentes emendarent. Sicut enim muſicus chordas diſſonantes non ſtatim abijcit, aut incidit, ſed eas ſenſim intendens, & remittens ad concentum adducit: ita potentes, peccantes leniter emendare deberent, & non ſtatim de medio illos tollere: G
illud Dñi dictum ſemper in memoria viuum habentes, quo dicit:
Ezech. 18. Nunquid voluntatis meæ eſt mors impij dicit Dñs Deus: & non
Simile. vt conuertatur à vijs ſuis, & viuat? Sicut medicus illam medicinã magis approbat, quæ vitioſas partes corporis ſanat, quàm illam, quæ exurit: ita Dominus impios magis corrigere, quàm eos è medio tollere vult: vt hoc modo potentibus oſtendat, quomodo ſe ſe agere debeant, erga ſubditos ſuos, in quos, mites, & mãſuetos eos
Iſa. 52. eſſe maxime oportet, exemplo Domini ſui, de quo dicitur. Dicite filiæ Sion, Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus. Tibi dicit, & non ſibi: vt oſtendat potentes erga alios manſuetos, & mites: ſibi vero, & ſuis peccatis ſeueros, & immites eſſe oportere. H

Verum mundi potentes multo aliter faciunt: nam ſibi ſolis mites, & omnibus alijs (& nonnunquam etiam ſuis proprijs propinquis, & etiam filijs) immittes ſunt. Quia ſicut dicit Salo-
Prou. 11. mon: qui crudelis eſt, etiam propinquos abijcit. Hoc autem quã verum ſit in Herode clariſſimè videmus, cuius crudelitas tanta fuiſſe perhibetur, vt nõ tantum in extraneos, ſed in ſuos etiam cru

delis,

A delis, & immanis existeret. Interfecit enim (sicut autor est Philo Iudęus lib. 2. de temporibus) Salomen sororem suam, & virum eius: & prrter hos, proprium filium. Vnde est illud Augusti celeberrimum dictum, qui (sicut autor est Macrobius lib. 2. satur. cap. 4.) cum audisset inter eos, quos in syria Rex Herodes Iudęorum inter bimatum iussit interfici, filium quoque eius occisum fuisse: Melius est, inquit, Herodis porcum esse, quàm filium. Philo. Macrob.

Talis eo tempore fuit impijssimi Herodis immanitas: talis est etiam hodie multorum crudelitas, vt nõ solum in alios, sed in suos etiã in misericordes se se exhibeant. Hoc aũt quãtum Deo displi-
B ceat, ex eo vel maxime constat, quod eos sępe de sede deponens, eorum loco mansuetos cõstituit: iuxta illud, quod dicitur: Sedes ducum superborum destruxit Deus, & sedere fecit mites pro eis. Hoc autem, sicut exponit glossa interlinearis, idem est, cum hoc, quod dicit nostra Virgo: Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Ecci. 10.

Tertia causa depositionis potentium est superbia, ad quam nihil eos magis inducit, quàm potentia sua: sicut videre est in Sennecherib, de quo dicitur: Superbus factus est potẽtia sua. Et quid de solo Sennecherib loquimur? Quid fecit Saulem superbũ nisi Eccl. 48.
C potentia? Antequam enim Rex esset, & cum regnare cœpisset humilis erat, & adeo humilis, vt dicat de illo scriptura: filius vnius anni erat Saul cum regnare cœpisset. Quasi diceret: Erat humilis tanquam paruulus, & lactens: Verumtamen postquam se impotentia constitutum vidit, statim superbiuit. Et sic propter suã su superbiam simul cum alijs peccatis, in eo illud adimpletum est, quod dicit nostra Virgo: Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. 1. Reg. 13.

CAP. XII.

D *Mundi potentes solum in sua potentia, & non in Deo spem collocant. Deus sicut olim propter crudelitatem, superbiam, & iniustitiam potentes de sede deponebat, & humiles exaltabat: ita etiam nunc faciet contra mundi potentes, si ipsi non resipiscant.*

Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Luc. 1.

PRæter illos potentes quos in fine superioris capitis enumerauimus, qui sua potentia superbi effecti sunt, fuerunt etiam

olim multi alij superbi, quos scriptura commemorat: & sunt etiã E
hodie multi alij, qui commemorari etiam possent, qui propter suã
Simile. potentiam superbi effecti sunt. Sicut folles, & vtres vento tument:
sic isti sua potentia inflantur: & ita inflantur, vt in ea sola, & non
Isa. 36. in Deo, omnem suam spem collocare videantur. Narrat scriptura quod postquam Sennecherib Rex Assyriorum cœpit ciuitates munitas Iuda, misit cum magno exercitu Rapsacem de Lachis in Ierusalem ad Regem Ezechiam. Cumque ad eum egrederentur nõnulli de ciuitate, ipse Regis Sennecherib nomine, sic ad eos locutus est. Dicite Regi Ezechiæ. Hæc dicit Rex magnus, Rex Assyriorum, quæ est ista fiducia qua confidis, aut quo consilio, vel F
fortitudine rebellare disponis? Super quem habes fiduciam, quia recessisti à me? Ecce confidis super baculum arundineum confractum istum, super Ægyptum, cui si innixus fuerit homo, intrabit in manum eius, & perforabit eam: sic Pharao Rex Ægypti omnibus, qui confidunt in eo.

O quanto melius hæc omnia, huius temporis potentibus dici poterant: quanto melius vnicuiq; eorum, ipsius Dei nomine hoc dici oportebat, quod nomine vnius tyranni Regi Ezechiæ diceba
tur. Quanto melius, inquam, hoc vnicuique nostrorum potentiũ G
Psal. 94. dici poterat. Hæc dicit Rex Regum, & Dominus dominantium, Rex magnus super omnes Deos: hæc dicit Dominus Deus. Quæ est ista fiducia, qua confidis: aut quo consilio, vel qua fortitudine non in me, sed in sola potentia tua spem habere disponis? Si in me non spem collocas super quem habes fiduciam? Ecce confidis super baculum arundineum confractum istum, super Ægyptum: confidis mundo, confidis tuæ potentię, & tuis diuitijs confidis, quæ omnia nihil aliud sunt, quàm baculus arundineus confractus, & virga arundinea conquassata, cui si innixus fueris intrabit
Simile. in manum tuam, sed te sustinere non poterit quin cadas. Quia si- H
cut baculus arundineus confractus, & omnino conquassatus innitentes sibi non solum non sustinet, sed etiam eorum manus pungit, perforat, & dilacerat: sic Pharao, sic mundus, sic omnis eius potentia, & diuitiæ tibi facient, qui confidis in eis: non solum te pungent, tuum cor perforabunt, & omnino dilacerabunt, sed te etiam sustinere non poterunt, & adeo non poterunt, vt velis, nolis,
Sopho. 1. necessario cadas. Quia disperierunt omnes, qui confisi, aut sufful
Prou. 11. ti sunt argento. Et qui confidit in diuitijs suis hic corruet.

Vnde

A Vnde si non vis disperire, si corruere non vis oportet quod non in potentia tua: sed in solo Domino confidas. Non enim qui confidunt in virtute sua, & in multitudine diuitiarum suarum gloriantur: sed qui confidunt in Domino, ij sunt, sicut mons Syon, immobiles, & stabiles. Psal. 48.

Possent hæc, sicut credo, mundi potentibus optime dici, vt vel sic à sua superbia abstinerent. Possent etiam ipsi ad cor redeuntes intelligere hoc semper esse non solum verum, sed verissimum: nempe, quod superbum sequitur humilitas: & humilem spiritu suscipiet gloria. Et quòd Deus sicut olim propter superbiam, in- Prou. 39.
B credulitatem, & iniustitiam, deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles: ita etiam hodie propter hæc tria eos de sede deponet, & humiles exaltabit. Hæc mundi potentes non semel, aut bis, sed semper considerent, & quoties se in sua sede constitutos viderint, toties in memoriam reuocent illam sedem, multis superbis fuisse suę depositionis causam, humilibus vero suæ exaltationis occasionem extitisse.

Ad huiusmodi vero considerationem habendam inter multa alia, hoc vnum præcipue ipsos mundi potentes commouere debet, præsertim si nolunt, vt illud sibi cùm Deo contingat, quod
C olim Regi Sedeciæ contigit, cui Dominus tria criminum genera obijciens propter illa ipsi coronam detraxit sic dicens. Aufer Cydarim, tolle coronam. Nonne hæc est, quæ humilem subleuauit, & sublimem humiliauit? Iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem ponam eam. Quasi diceret depone, depone istam coronam, quæ te tam parum cautum effecit. Cum enim continuò recordari deberes, istam coronam humilem Dauid subleuasse, & superbum Saulem humiliasse, & hoc modo à mea offensa abstinere, hoc facere minime voluisti, sed me tribus pręcipue peccatis offen- Ezech. 21.
D disti. Iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem, ponam eam. Quia igitur te tam parum consideratum exhibuisti, & ex aliorum malo, tuum quoque proprium malum pręcauere non didicisti, ideo propter hæc tria peccata coronam tibi deponam.

Ne ergo potentibus cùm Deo similiter contingat, propter suã iniustitiam, crudelitatem & superbiam: bonum, & multum bonum esset eis, si recordarentur, multos sede sua fuisse humiliatos, eademq́ue alios pariter exaltatos, vt vel sic cautiores redderentur: Simile.
Sicut enim bonum est nautis, si cognoscant, vbi in mari sunt illi

ſcopuli,in quibus alij naufragium fecerunt, vt per illa loca nauigantes ſcopulos illos effugiant: ſic bonum eſſet potentibus, ſi in ſua ſede ſcientiam haberent,qua illa pericula effugerent, quæ alij in ipſa conſtituti,experti fuerunt. Hinc enim eſt illud,quod ſcriptura ſacra cùm potentibus loquens,illis tantum ſapientiam commẽdat,cùm dicit. Si delectamini ſedibus,& ſceptris,ò Reges populi diligite ſapientiam,vt in perpetuum Regnetis. Sed quam ſapientiam? Illam, de qua alibi dicitur: Vtinam ſaperent, & intelligerent,ac nouiſſima prouiderent. Qui enim hoc modo ſapiẽs fuerit,ac nouiſſima prouiderit, non ſolum in ſua ſede periculum non incurret in hac vita: Sed etiam in alia à Domino ſedem recipiet, & non quamcunque ſedem, ſed gloriæ ſedem ſempiternæ,ad quam ipſe Chriſtus Dominus Dei,& Mariæ filius nos perducat, qui cum patre, & Spiritu ſancto viuit, & regnat Deus per infinita ſæculorum ſæcula. Amen.

Sap. 6.

Pſal. 32.

E F

FINIS LIBRI SEPTIMI.



DE VER-

DE VERBIS DOMINAE


AD ELISABETH COGNATAM.

LIBRI OCTAVI.

CAP. PRIMVM.

Adductis nonnullis esurinetium, diuitumque significationibus, declaratur, in quibusnam earum, intelligantur esurientes à Deo bonis
B *impleti, & diuites inanes dimissi.*

Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Luc. 1.



OST Potentium deiectionẽ, humiliumque exaltationem, de diuitum exinanitione, & pauperum impletione Virgo mentionem faciens, sic inquit: Esurientes impleuit bonis, &
C diuites dimisit inanes. Quæ verba vt rectius intelligantur operæpretium imprimis fuerit explicare, quid hoc loco per esurientes, & quid etiam per diuites intelligendum sit. Cum enim hæc duo in scripturis sanctis varios habeant significatus, videndum est, in quonam eorum, vnumquodque istorum hoc loco à Virgine accipiendum sit.

Quod igitur attinet ad esurientes. Esurientes imprimis, illos significant, qui curiosi sunt, illos nimirum, qui plus volunt sapere,

quam

quam oportet ſapere. De iſtis hoc loco non eſt Mariæ ſermo. E
Nam tales eſurientes Deus non ſolum non implet: ſed etiam eis
Iob. 22. panem detrahit. Et hinc eſt illud, quo dicitur. Eſurienti ſubtraxiſti panem.

Præterea eſurientes, ſignificant principes impios, & tyrannos,
Prou. 28. & ideo de talibus dicitur: Leo rugiens, & vrſus eſuriens princeps
Simile. impius ſuper populum pauperem. Sicut enim Leo rugiens, & Vrſus eſuriens alia minora animalia interficiunt: Sic principes impij, & tyranni, pauperes ſibi reſiſtere non valentes opprimunt.

Tertio eſurientes ſignificant illos, qui humanę ſalutis famem habent: Et ideo dicitur D. Petro, quod eſuriens ſalutem Iudęorũ, F data eſt illi ſalus gentium.

Denique, vt multas alias eſurientium ſignificationes hoc loco prætermittamus, & eas omnes ſub generali vocabulo comprehendamus, eſurientes eos ſignificant, qui bonis tam ſpiritualibus, quàm temporalibus indigent.

Cum ergo eſurientes in tot ſignificationibus accipiantur: ſciendum eſt, hoc loco non agi de eſurientibus in prima, aut ſecunda ſignificatione, ſed in tertia, & quarta acceptis. Sicut enim Deus animarum ſalutem eſurientes bono ſuo deſiderio ſæpe implet: ita etiam eſurientes, hoc eſt, pauperes tam temporaliter, quàm ſpiritualiter, frequentiſſime diuites facit. G

Poſt has eſurientium ſignificationes, ſequitur vt de diuitibus etiam videamus, qui in multiplici quoque ſignificatione in ſcriptura ſacra ſumuntur. Primò enim accipiuntur, pro largis, & liberalibus. Vnde eſt illud eccleſiaſtici: Diuitis autem & pauperis cor bonum, in omni tempore vultus illorum hilaris.
Eccl. 26.

Secundo diuites accipiuntur, pro humilibus, & de talibus diuitibus dicitur in Epiſtola Iacobi: Non ne Deus elegit pauperes in
Iacob. 2. hoc mundo diuites in fide, & hæredes regni? De talibus etiam
Apoc. 2. dicitur: Scio tribulationẽ tuam, & paupertatẽ tuam, ſed diues es. H

Tertio diuites accipiuntur pro potentibus: Et ideo dicitur de
2. Para. 18 Ioſaphat Rege Iuda: fuit ergo Ioſaphat diues.

Quarto accipiuntur pro ſuperbis: & de his intelligitur illud:
Iob. 12. Deridetur iuſti ſimplicitas quaſi lampas contempta apud cogita-
Prou. 28. tiones diuitum, parata ad tempus ſtatutum. Et illud etiam: Melior eſt pauper ambulans in ſimplicitate ſua, quàm diues in prauis itineribus: & multa alia his ſimilia.

Quinto

A Quinto accipiuntur pro auaris,& de talibus proprio suo ore ad discipulos protulit Christus. Amen dico vobis,quia diues difficile intrabit in regnũ cœlorum. Et iterum dico vobis facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum cœlorum.

Sexto accipiuntur pro raptoribus. Et de talibus diuitibus loquitur scriptura cum dicit. Venatio Leonis onager in eremo, sic pascua sunt diuitum pauperes. Eccle.13.

Septimo,& vltimo accipiuntur pro dæmonibus, de quibus illud eiusdem scripturæ sacræ intelligitur: Sedet in insidijs cum diuitibus in occultis. Psal.9.
B

His sic præ notatis aduertendum est,quod hæc nostræ Virginis verba: & diuites dimisit inanes: de his omnib⁹acceptionibus possunt intelligi, præterquã de prima,& secunda. Nam Deus omnes istos diuites quales sunt potentes,superbi, auari, raptores, & dæmones olim sæpe inanes dimisit, & hodie etiam dimittit. Illi vero qui diuites hoc est humiles sunt,& in pauperes liberales, & largi, quales sunt diuites primæ, & secundæ acceptionis, tantum abest quod à Domino inanes dimittantur, quod illos sicut veros esurientes bonis implet. Diuitibus enim, hoc est, de largis,& in pau-
C peres liberalibus in scriptura, sic dicitur: Honora Dominum de tua substantia, & de primitijs frugum tuarum da pauperibus, & implebuntur horrea tua saturitate: Et alibi. Dispersit dedit pauperibus iustitia eius manet in seculum seculi. De diuitibus vero, hoc est, de humilibus etiam dicitur. Humiles spiritu saluabit: atque illud. Humilem spiritu suscipiet gloria. Hæc de esurientium, & diuitum acceptionibus. Nunc cętera persequamur. Prou.3. 2. Cor.9. Psal.33. Prou.29.

CAP. II.

Angeli boni, & mali fuerunt esuriẽtes, qui bonis à Deo impleti sunt,
D *& diuites, qui inanes ab ipso, dimissi sunt.*

Esurientes impleuit bonis,& diuites dimisit inanes. Luc. 1.



Rimi esurientes, qui à Deo bonis impleti sunt, & diuites,qui inanes ab ipso dimissi sunt, boni & mali Angeli fuerunt. Hos enim propter suam superbiam omnib⁹ bonis spoliatos è cœlo dimisit Deus: illos vero propter suam

ſuam humilitatem, bonis omnibus impleuit. Vtrumq; emucleatius videamus: Et ab Angelis eſurientibus imprimis incipiamus, eo ipſo ordine, quem noſtra Virgo ſeruauit, quæ tam de eſurientibus, quàm de diuitibus loquens, ab eſurientibus exorſa eſt dicens. Eſurientes impleuit bonis, & diuites dimiſit inanes. E

Quamquam boni Angeli in ſua ſtatim creatione multis diuitijs abundauerint: Vtpote qui à Deo in gratia creati ſunt, & non ſolum in gratia, & naturali beatitudine, quæ in ea Dei optimi maximi cognitione, & contemplatione conſiſtit, quæ naturaliter haberi poteſt: Sed etiam in beatitudine ſuper naturali, infra beatam (ſicut loquuntur theologi) Non ſolum enim, vbi conditi ſunt, ſeip F
ſos perfecte cognouerunt, & in ſeipſis cauſam primã Deum optimum maximum, à quo conditi ſunt, attributaque omnia, quæ de illo naturaliter cognoſci poſſunt: ſed etiam tunc ſtatim habuerũt habitus ſuper naturales tam fidei, & ſapientię ex parte intellectus: quàm charitatis, & ſpei, ex parte voluntatis: Quamquã inquam, Angeli boni in ſua creatione, his omnibus diuitijs abundarunt: tamen alijs maioribus diuitijs adhuc carentes, qualis erat viſio diuinæ eſſentiæ, eſuriebãt. Fecerat Deus (teſte regio propheta) An-
Pſal. 103. gelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignem vrentem, ſiue flam-
Heb. 1. mam ignis, ſicut de illis dicit Apoſtolus. Et ideo ſicut ignis quãtò G
Simile. magis ligna acceperit, tanto magis accenditur, & inualeſcit: ita Angeli quanto plures à Deo diuitias acceperant, tanto maiores eſuriebant. Fecerat eos Dominus ad ſe, condiderat illos, vt iua viſione fruerentur. Et ideo licet diuites eſſent: tamen eſuriebant donec ad ſuum Dominum peruenirent, donec illius viſionem conſequi mererentur.

Simile. Quemadmodum ille, qui Regno inhiat, licet purpuræ loco, alium quemuis honorem aſſequatur: tamen cõtentus minime eſt donec ad optatum Regni faſtigium perueniat: ita bonis Angelis diuitiæ illæ non ſufficiebant, ſed maiores alias eſuriebant. Et quid H
erit ſi de hac bonorum Angelorum eſurie regius propheta tunc
Pſal. 33. loquebatur, cum dicebat: Diuites eguerunt, & eſurierunt inquirentes autem Dominum, non minuentur omni bono? Quaſi diceret, cum diuites eſſent tamen eguerunt, & eſurierunt: & quia in hac ſua eſurie Dominum inquiſierunt, non diminuti ſunt omni bono. Sed quali, quæſo, omni bono? Sanè illo, de quo Dominus
Exod. 33. ad Moyſem dicebat. Ego oſtendam omne bonum tibi. Hoc eſt,
oſtendam

A ostendam tibi me ipsum, & illam fęlicitatem tibi communicabo, quæ in sola mei visione consistit. Hoc ergo omni bono Angeli esurientes non sunt diminuti, quia cùm in sua esurie dominum, & non seipsos inquisiuerint, sicut fecerunt mali Angeli seipsos, & non dominũ inquirentes, ipse Dñs esuriẽtes illos bonis omnibus impleuit, bonis inquam, gloriæ suę, bonis beatitudinis suæ, bonis visionis suæ. Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes.

Vidimus bonos Angelos esuriẽtes, bonis impletos. Videamus nunc malos Angelos diuites, inanes dimissos. Et sicut de impletione esurientium lętamur Angelorum: ita etiam de diuitum An-
B gelorum exinanitione doleamus. Si enim sola patria, & terrena patria quis expulsus ab hominibus miserabilis iudicatur; & quisquis hæreditatem amiserit videtur omnibus esse dolendus: Angeli, qui cœlo priuati sunt, & propter suam superbiam omnibus illic repositis bonis exinaniti ab ipso Deo dimissi sunt, quantis sunt lachrymis plangendi? immo non plangendi, plangitur enim quisquam (vt D. Chrysostomi verbis vtar homilia 23. in Epistolam ad Hæbreos) cum passus fuerit aliquid, cuius ipse causa non est: cum autem ex propria voluntate mali Angeli semetipsos in tantam miseriam detruserint, non lachrymis, sed lamentationibus, &
C luctu digni sunt.

Simile.

D. Chry.

Fuerunt miseri isti, fuerũt infęlices isti, simul cum bonis Angelis in gratia, & in illa beatitudine, quam diximus creati: habuerũt simul omnes illas perfectiones, & diuitias, quas illi habuerũt, sed quia ipsas solas sine Deo, sibi sufficere posse crediderunt, inanes diuites remanserunt. O quam diuites, & quàm inanes. Diuites superbia, & inanes humilitate: diuites odio, & inanes charitate: diuites peccatis, & inanes virtutibus. An non superbia diues, & humilitate inanis (id quod de alijs similiter intellige) qui dicebat: Deus ego sum? An non odio diues, & charitate inanis, qui so-
D lo Dei odio, ipsum creatorem negans, & se sui ipsius factorem introducens dicebat: Ego feci memetipsum? An non peccatis diues, & virtutibus prorsus inanis, qui totum cœlum sua malitia voluit conturbare? Qui non posuit Deum adiutorem suum, sed sperauit in multitudine diuitiarum suarũ, & præualuit in vanitate sua? Vere diues superbia, diues odio, & diues peccatis: & inanis charitate, inanis humilitate, inanisque virtutibus.

Verumtamen puniuit Deus diuitem istum, inanem istum cum

omnibus

omnibus suis sequacibus. Præterquā quod enim de cœlo ceciderunt ex eo quia in diuitijs suis tantum confidebant, quia sicut de similibus testatur sapiens: Qui confidit in diuitijs suis corruet: suis quoque bonis, & diuitijs sic inanes, & vacui remanserunt, vt merito hoc nostrę Virginis illis cōueniat. Et diuites dimisit inanes. E

CAP. III.

Mali Angeli quibus bonis sint inanes dimissi: Angeli boni suis diuitijs, & bonis non contenti, per humilitatem, ad maiores alias diuitias peruenerunt. F

Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Luc. 1.



Erum quia ex his nostræ Virginis verbis, poterit curiosus quisque sic obijcere: Quomodo de malis Angelis? Hæc Mariæ verba possunt intelligi? Quomodo malos Angelos suis diuitijs inanes Deus dimisit? Non ne remansit in eis integra cognitio naturalis, quam habuerunt ante peccatum? Nonne remansit etiam in eis aliqua cognitio rerum super naturalium, illarum saltem, quæ eis reuelatæ sunt dum adhuc essent in via? Quia, inquam, curiosus quisque sic potest obijcere: G adeo ad hæc respondentes dicimus, simulque libentissime fatemur, quod vtraque hæc cognitio in malis Angelis remansit: hoc enim ita esse constat inter omnes theologos. Verum quod attinet ad cognitionem naturalem: quamquam D. Dionysius de diuinis nominibus cap. 4. & cum communis doctorum sententia teneat, quod intellectus, & voluntas in dæmonibus integra remanserunt: tamen intellectum, & voluntatem in eis integra remansisse, quoad vim naturalē, totum cædit in maiorem miserorum istorum, ac infœlicium cruciatum, & miseriam, quia quo plus penetrant miserum suum statum, & afflictionem, eo plus dolēt, & maiori afficiuntur tristitia voluntatis. H

D. Diony.

Quod vero attinet ad cognitionem rerum super naturalium, dicendum est, quod quamuis in eis remanserit cognitio illarum rerum supernaturalium, quæ antea eis fuerant reuelatę: & quamuis etiam euidentia miraculorum, & rerum, quas experti fuerunt,

&

A & nunc etiam experiuntur, ipsi conuicti fidem adhibeant (non tamen eliciendo actum supernaturalem fidei, à Deo per concursum habitus supernaturalis, aut per auxilium supernaturale, ad esse supernaturale eleuatum) rebus fidei nostræ: tamen nullus habitus supernaturalis in eis remansit, quia vbi primum damnati sunt, & pœna æterna puniri cæperunt, statim omnibus fuerunt spoliati, & tãquã illis prorsus indigni, omnino ab æternę vitæ spe, & ab omni re, quæ ad illam ordinabat prorsus exclusi. Fuerunt item spoliati omni cognitione supernaturali, quę ad ordinem gratię spectat, aut à Deo per auxilium supernaturale sit eleuata.

B O miseri, ò infelices quam diuites eratis, & quàm inanes remansistis. Cum ergo his omnibus diuitijs mali Angeli sic priuati sint: quis nesciat recte de illis hoc posse intelligi, quod nostra Virgo dicit: Et diuites dimisit inanes?

Videtur bonis, & malis Angelis illud euenisse, quod illis solet euenire, qui iter faciunt studio, & cupiditate videndi magnum aliquod spectaculum in aliqua ciuitate. Queadmodum enim quando multi homines alicuius magni spectaculi videndi gratia ad aliquam celeberrimam ciuitatem simul properant: si ex ipsis aliqui ad mœnia ciuitatis peruenientes, reperto ibi diuersorio requiescunt, & modicum illud viæ, quod restat, propter pigritiam, & desidiam perficere detrectant, alij vero paululum illud viæ ob videndi studium, & desiderium perficere nõ recusant: quemadmodum, inquam, quando hoc sic contingit, illi quidẽ qui pigri sunt, tolerati itineris laborẽ inanem reddunt, & pręter hoc delectabili illo spectaculo, quod in vrbe videre poterant, prorsus carẽt: illi vero qui diligentes, & curiosi extiterũt, nequaquã neque itineris laborem, neque delectationem spectaculi amittunt: Ita etiam quando Deus Angelos creauit, omnes quidem ex illo statu gratiæ, & beatitudinis (sumptæ eo modo quo supradiximus) quasi ad videndũ Deum proficiscebantur: sed mali Angeli, quasi ad mœnia peruenietes ciuitatis ibi pedẽ fixerunt: ibi enim suarũ diuitiarũ, & perfectionũ velut diuersoriũ inuenientes in illis acquieuerunt, ipsisq; taliter cor apposuerunt, vt vltra deuidẽdo Deo minime curarẽt: quasi iã diuites essent, & maiores alias diuitias quęrere non indigerent. Nõ sic boni Angeli nõ sic: nõ enim quieuerũt donec totũ suũ iter perfecerunt: hoc est, suis diuitijs cõtenti nõ remãserũt, sed ad maiores alias, qualis erat visio beatifica, toto desiderio

Simile.

C

D

derio aspirarũt, Vnde effectũ est, vt bonis istis Angelis Deus non E
solũ suas diuitias, non imminueret: Sed etiam vt eos multo maioribus bonis impleret. Esurientes impleuit bonis. Bonis gloriæ, & beatitudinis suæ, bonis visionis suæ: Angelos vero malos, & propter superbiam sic diuites, vt de maioribus diuitijs, & de vidẽdo Deo iam amplius non curarent, inanes dimisit: Et diuites dimisit inanes: inanes omnibus bonis, & bonis visionis diuinæ essentiæ, in qua omnium bonorum summa perfectissimè continetur.

CAP. IIII.

F

Bonis & malis Angelis cùm Deo quid contigerit. Diabolus volens in cœlum discordiam immittere, ab eo expulsus fuit, & in quem locum.

Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Luc. 1.

BONIS, & malis Angelis totum id contigisse videtur, quod in illa parabola narratur, quam Christus Dominus proposuit, vt ostenderet, quid in fine sæculi bonis, & malis esset euenturum. Cum enim hoc Christus G
vellet ostendere. Simile est, inquit, Regnum cælorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti, quam cùm impleta esset educentes, & secus litus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt. Totum hoc videtur bonis, & malis Angelis contigisse. Expandit enim Deus quando Angelos creauit sagenam gratiæ suæ, & in ista sua sagena ex omni genere piscium congregauit, qui tàm bonos, quàm malos Angelos in gratia creauit, vtrosque enim in hac sua sagena comprehendit, quia vtrisque suam gratiam communicauit. Et cum hæc sagena sic bonis, & malis Angelis impleta esset, eam Deus veluti H
educens, & in ea bonos malosq; Angelos inueniens, elegit bonos in vasa, quia bonos, humiles, & diuinam visionem esurientes Angelos, in æterna tabernacula elegit, vt illic bonis eos impleret: Esurientes impleuit bonis: malos autem foras misit: quia superbos, & in suis solis diuitijs confidentes Angelos, vacuos, & inanes dimisit: & diuites dimisit inanes.

Sed vnde, aut quo eòs dimisit? E cœlo in terram, non tamen talem

A talem (sicut superius iam diximus) qualem nunc eam videmus. Peccator Lucifer cum suis sequacibus cœlum impyreum sua superbia conturbare, & de medio Angelorum pacem auferre tentauerunt. Et hac de causa sub nominibus hominum, qui terram cõturbauerunt ipse Lucifer arguitur, nempe sub Assur nomine, Pharaonis, Regis Tyri, & Nabuchodonosor Regis Babylonis, cique dicitur: Nunqnid iste est vir, qui conturbauit terram, qui concussit regna, qui posuit orbem desertum, & vrbes eius destruxit? Et Salomon etiam eum sub nomine viri peccatoris comprehendens Vir peccator, inquit, conturbabit amicos, & in medio pacem habentium immittet inimicitias. Quid enim quietius, & quid tranquillius quàm cœlum? Et tamen in cœlum discordiam, contentionem, & bellum diabolus immisit. Quemadmodum in portum tranquillum feroces irruentes venti quo vis illum turbine, ac freto periculosiorem reddunt. Ita diabolica superbia in cœlum ingressa omnia subuertere, & confundere voluit. Isa. 14. B Eccles. 28 Simile.

Hinc est quod factum est prelium magnũ in cœlo, & Michael, & Angeli eius preliabantur cum dracone: & draco pugnabat, & Angeli eius, & non præualuerunt, neque locus inuentus est eorum amplius in cœlo. In isto prelio Michael, & Angeli eius præliabantur cum dracone, non vtiq; armis materialibus, sed armatura Verbi Dei, quod illis rebellibus spiritibus vim suam per Angelos suos intentans, per semetipsum victoriam perfecit. Ignis quippe est Dei Verbum sic intolerabile impijs, ac malignis spiritibus: sicut est infirmis oculis ignis visibilis. Hoc itaque Verbum est, quod (sicut ait patientissimus Iob) fecit concordiam in sublimibus. Hoc Michael contra draconem, & eius Angelos assumẽs, & contra illos hæc solum verba validissime proferens: Quis sicut Deus? impium illum cum suis Angelis statim elisit. Hoc denique superbos illos de cœlo in terram dimisit inanes. Inanes, in terram inanem, & vacuam. Et merito: sic enim decebat fieri, vt in omnibus, & per omnia locus assimilaretur locato. Tũc enim terra erat inanis, & vacua: & tenebræ erant superfaciem abyssi. In istas igitur tenebras, in istã tenebrarũ caliginẽ, in istum aerẽ caliginosum diuites isti tũc dimissi sunt inanes, & in eo iure optimo etiãnũc cõmorantur. Æquũ. n. est, vt ventos possideant, qui tantos superbiæ vẽtos, in cęlestẽ illam domũ immittere tẽtauerunt. Nã iuxta Salomonis sententiam: Qui conturbat domũ suam possidebit ventos. Apoc. 12. C Simile. Iob. 24. D Gen. 1. Prou. 11.

DD CAP.

CAP. V. E

Per esurientes bonis impletos, Gentiles: per diuites vero inanes dimissos, Iudæi significantur. Iudæi sola scripturæ literali intelligentia contenti spiritualem omnino contemnunt.

Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Luc. 1.



Ræsentis loci opportunitas, ad Iudæos nos iterum nũc redire compellit: de quib⁹ necesse est, vt impræsentiarum aliquid adhuc dicamus, quod eos fortassis magis F tanget, quàm ea, quæ duobus præcedentibus libris de illis nos dixisse meminimus. Verumtamen non solum, vt nobis libenter parcant, sed etiam vt libenter id sufferant oportet. Si enim ea quæ à nobis etiam nunc dicentur libenter tulerint ad eorum dicentur alloquium: si vero indignanter tulerint, ad eorum dicentur opprobrium. Dicantur tamen oportet siue volentibus, siue nolẽtibus illis. Nõ enim ego, sed propheta, quem legũt, per quem Deum locutum non possunt negare, quem de autoritate diuinarum scripturarum non possunt auferre, quemadmodum G illi Dominus imperauit, vehementer exclamat, & quasi tuba exaltat vocem suam, eosq́ue increpat dicens. Pro eo quod vocaui, & non respondistis, locutus sum, & non audistis, & faciebatis malum in oculis meis, & quæ nolui elegistis. Propter hoc, hæc dicit Dominus Deus. Ecce serui mei comedent, & vos esurietis: ecce serui mei bibent, & vos sitietis. Quasi diceret: pro eo quod vocaui per prophetas, & non respondistis peccata vestra confitendo, sed magis prophetas ipsos derisistis, & deridendo interfecistis: locutus sum in propria persona humanitate assumpta, & nõ audistis: sed magis doctrinam meam neglexistis, & faciebatis H malum in oculis meis qui omnia video, bona pauperum rapiendo, & vestros fratres odiendo. Propter hoc hæc dicit Dominus: Ecce serui mei Gentiles ad fidem conuersi comedent cibum corporis mei, comedent doctrinam spiritualem, & vos famem patiemini vt canes; Ecce serui mei Gentiles ipsi bibent aquam viuam salientem in vitam æternam, ipsi bibent sanguinem meum, & vos siti aridi remanebitis. O miseros: o infœlices, & quid clarius de

Isa. 65.

misero-

A miserorum, infœliciumque Iudęorum futura fame, & esurie, & de Gentilium saturitate poterat dici? Hanc Iudęorum esuriem, & Gentilium saturitatem tanto ante prænidit propheta, eamque per verba de futuro, futuram esse prædixit: hanc etiam tanto post præuidit nostra Virgo, eamque propter rei certitudinem, per verba de præterito futuram etiam prædixit dicens: Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes.

Ex his ergo tàm prophetæ, quàm Mariæ verbis habemus, quod esurientes bonis impleti, Gentiles: diuites vero inanes dimissi, Iudęi sunt. De vtrisque tam Iudęis, quàm Gentilibus Anna prophetissa sic dicit: Repleti prius pro panibus se locauerunt, & famelici saturati sunt. Quibus Annę verbis aperte satis ostenditur qualiter propter Iudęorum malitiam, eorum bona spiritualia in Gentiles translata sunt. Iudęi enim, qui prius saturati fuerant misterijs eloquiorum, qui prius repleti fuerāt bonis spiritualibus, postea pro panibus se locauerunt, hoc est, pro cibis spiritualibus: continuo enim laborant, & non possunt attingere intelligentiam scripturę, nec alia bona gratię: Vel pro panibus se locauerunt: id est, separauerunt (sicut exponit glossa ordinaria) à Deo, vel à proprijs sedibus euulserunt, ne reciperent Euangelium agens de pane, qui de cœlo descendit. Et famelici saturati sunt: hoc est, Gentiles, qui nunquam habuerunt leges, neque prophetas, Gentiles pane verbi Dei egentes saturati sunt vera diuinarum scripturarū intelligentia. 1. Reg. 2.

Sunt ijs Annę prophetissæ verbis, ea ferę similia, quibus apud patientissimum Iob hęc diuitum Iudęorum esuries: & esurientiū Gentilium saturitas, in hunc modum prędicitur. Ego vidi stultum cuius messem famelicus comedet. Hoc est, vidi stultum populū Iudęorum, cuius messem famelicus Gentiliū populus comedet. An non stultus, & verè stultus populus Iudęorū, qui ipsam in carne pręsentiā ęternę sapiētię spreuit? An nō stultus, & maximè sanè stultus, qui verba quidē legis, verba prophetarum verbotenus habuit, sed per fatuitatis fastidiū ab eius intellectu ieiunauit. Huius ergo stulti messem famelicus comedit, quia nimirū Gentilicus populus verba legis intelligendo ędit, ad quę plebs iudaica sine intellectu laborauit. Sicut ille, qui in superficie aquarū uersatur margaritas nō posidet, sed ille solū qui nouit se mergere, & mergendo eas de profondo maris extrahere: Ita Iudęi in superficie diui- Iob. 5. Simile.

naturum scripturarum tantum versantes, absconditas diuinorũ mysteriorum margaritas tanquam carnales non perceperunt: sed Gétiles, qui in altitudinem, & profunditatem diuinorum sensuũ tanquam spirituales descenderunt. E

Verè sunt in hoc Iudæi brutis animantibus multo peiores: quorum aliqua ex eo quod ruminant, ab ipsis Iudæis munda dicuntur, alia vero propterea ab eis immunda appellantur, & reputantur, quia non ruminant: id quod ipsi quidem Iudæi de se ipsis iure optimo sentire, & melius sentire deberent, cum ipsi omnes ab omnibus ex eo immundi dicendi sint, quia non ruminant, non reuocant, verba scripturæ, quam legunt. Legunt, inquam, sine vtilitate, sine fructu, & sine sapore illo, quem habet. Sicut ille, qui cibum sumit, nisi ipsum optimè masticauerit, & dentibus comminuerit non sentit saporem eius: ita ipsi Iudæi diuinarum scripturarum saporem non sentiunt, quia ipsarum verba non masticant, nec penetrant: sed ea cùm cortice simul degluriunt: & sic cum solo corticis sapore remanent, nihil de interiori curantes, sed solo extrinseco contenti. F

Simile.

In hoc sane Iudæi Patriarchæ Isaac priori natu filio Esau aptissimè assimilantur. Sicut enim Esau prior natu foris venationi deseruiens patris benedictionem amisit: ita Iudæi foris vagantes. Hoc est, foris in litera iustitiam quærentes benedictionem cœlestis hæreditatis amiserunt, quam Iacob posterior natu domi remanens acquisiuit. Hoc est, Gentilis populus soli interiori, & spiritali sensui deseruiens à Deo consecutus est. Tegitur diuinæ scripturæ spiritualis sensus in litera sicut in paleis frumenta, sed Iudæi velut iumenta nulla ratione vtentia, solis paleis vescuntur, solo literali sensu vtuntur: Gentiles vero paleas abijcientes frumenta spiritus ædunt: & illis solis bonis, quæ intus sunt, bonis spiritualibus implentur. Hæc enim sunt bona, quibus nostra Virgo eos repletos, & Iudæos spoliatos videns exclamat. Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. G H

Simile. Gen. 27. Simile.

Narrat Euãgelista Matthęus quòd cùm Christus dominus per sata sabbato transiret, discipuli eius esurientes cœperũt vellere de spicis, & manducare. Sciamus ergo hoc loco: Nũquid Christi discipuli integras spicas manducabant: cum solũ dicat Euãgelista, quod eas vellebãt, & manducabãt? Absit, quia nõ erãt Christi discipuli sicut boues, aut iumenta, quæ integras spicas manducant, sed

Mat. 12.

A sed eos ipsos spicas suis manibus confricabant, & excussa ex ipsis grana ædebant. Et ideo dicit alius Euangelista, quod cùm per Luc.6. transiret per sata vellebant discipuli eius spicas, & manducabant confricantes manibus. Hoc ipsum euenit his esurientibus, de quibus hic nostra Virgo loquitur. Confricauerunt spicas, excussisque ex ipsis spicis, hoc est, ex ipsa sacra scriptura granis repleti fuerunt: Esurientes impleuit bonis. Iudæi vero diuites, qui spicas noluerunt confricare, sed eas sic integras tanquam boues, & iumenta voluerunt deuorare, inanes remanserunt. Et diuites dimisit inanes. O quàm diuites, & quàm inanes: diuites sola litera, & inanes 2.Cor.3.
B animæ vita. Diuites litera, quæ occidit, & inanes spiritu, qui viuificat. Diuites literali intelligentia legis, quæ animam occidit, & inanes spirituali illa intelligentia, quæ vitam æternam præstat.

CAP. VI.

Iudæi diuinarum scripturarum intelligentiam quare non percipiunt. Ipsi de sua legis operibus tantum præsumunt, vt existiment, se per illa esse iustificandos, saluandosque. Eorum, in hoc quanta stultitia.

C

Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Luc. 1.



SPIRITVALEM Scripturæ sacræ intelligentiam miseri Iudæi, ideo non percipiunt, quia eorum sensus infidelitatis perfidia omnino obtusi sunt: & ideo sanè sunt, quia nolunt in Christum credere, & credendo mentis suę oculos emundare. Quemadmodum matutinos solis ortus si Simile. quis spectare desiderat, opus est vt mundet oculos suos nè quid
D pulueris, nè quid purgamentorum oculis eius insiliat, quo ipsi hebetetur obtutus. Ita Iudæi mentis suæ oculos, animique interiores obtutus mundare deberent, si vellent splendorē, & gloriam spiritalis sensus percipere, qui sub litera tanquam sub velamine occultus latet: Sicut Moysi glorificata facies sub velamine latebat. Cū enim faciem Moyses haberet glorificatam, operiebat faciem suā, si quando loquebatur ad filios Israel. Id, quod etiam Apostolus testatur sic dicens: Moyses ponebat velamen super faciem suam, 2.Cor.3. vt non intenderent filij Israel in faciem eius.

Vbi hoc est obiter adnotandum, quod vultus quidem Moysi E
glorificatus refertur, sed tamen velamine contectus: manus autē
eius in sinum missa leprosa facta esse memoratur sicut nix: in quo
sicut videtur, totius legis forma plenissimè designatur. Quia enim
ex operibus legis nullus erat iustificandus: nihil enim ad perfectum adduxit lex, ideo manus Moysi leprosa fit, & in sinu reconditur, tanquam nihil perfecti operis habitura: facies vero eius glorificata est, & velamine tegitur, quia sermo eius habet scientiæ gloriam, sed occultam: occultam, inquam, illis præsertim, de quibus
2.Cor.3. Apostolus loquitur dicens. Vsque ad hodiernum diem cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum. Sed quorū? F
Sanè Iudæorum. De illis enim loquitur Apostolus, & illi sunt increduli, qui vsque in hodiernum diem cum legitur Moyses, hoc est, lex, quæ per Moysem data est, habēt velamen positum super cor suum. Hoc est, ignorantiam, & cæcitatem intelligentiæ, ne valeant penetrare spiritualem intelligentiam legis, quæ obscura, & occulta illis erit, quousque in Christum credant, à quo vera legis intelligentia illis aperiatur. Non enim prius auferetur ab eis hoc velamen, hæc cæcitas, & hæc ignorantia: Sed tunc auferetur
2.Cor. 3. cum conuersi fuerint ad eum: Sic enim de illis dicit Apostolus. G
Cum autem conuersi fuerint ad Deum auferetur velamen.

Sed heu corda dura: heu corda omnino saxea, & in tantum saxea, vt non iam velamen, sed paries, sed murus positus sit super cordibus eorum. Non ne paries: non ne murus positus est super cordibus Iudæorum, qui obturant aures suas ne Christi fidem audiant? Non ne paries, non ne murus illorum cordibus est impositus, qui quando Christianos audiunt Dominum Iesum prædican-
Psal.57. tes, furor est illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter? Sicut enim aspides, H
Simile. ab incantatoribus non capiuntur, quia ponūt vnam aurem in terra, & alteram caudæ suæ acumine obturant, nè audiant vocem incantantis sapienter. Ita Iudæi Christi doctrina minimè capiuntur, quia ipsi sicut aspides surdæ obturant aures suas, & nolunt audire ipsam doctrinam Christi, doctrinam euangelicam, doctrinā veram: sed solam doctrinam legis suæ, doctrinam legis Mosaicæ, cui ipsi Iudæi tantum tribuunt, vt credant, per eam solam, & eius opera se esse iustificandos, & saluandos. Nec est, qui eos ab

hoc

A hoc impio errore possit reuocare: immo contrarium maximum errorem esse existimant.

Hoc autem errore, hac crassissima ignorantia, quid grauius sit plane non video. Nihil enim grauius, nihil intolerabilius, quàm si id, quod ignorat quis, scire se credat, & defendat verum esse id, quod omnino falsum est. Et hoc sanè tale est, quale si quis, cum ebrius ipse sit, sobrium se reputet, & agat cuncta vt ebrius, & tamen sobrium se esse existimet. Ita sunt miseri Iudæi, sunt ebrij, & non vino vitis, sed vitij, quia ignorantes quod verum est, ipsum tamen verum tenere se putant, cum dicunt se per legis opera esse iustificandos, & saluandos. Hoc autem quàm falsum sit sub his verbis aperte docuit D. Paulus, qui in hoc iam suo tempore infidelium Iudæorum os voluit obstruere. Vt autem, inquit, omnes os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo, quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo. Quid clarius poterat dici, contra hanc falsam diuitum, sed inanium Iudæorum opinionem, qui in falsis legis suæ diuitijs tantum confidunt, vt asserant, se per eius sola opera esse iustificandos, & saluandos.

Simile.

B

Rom. 3.

Vide stultorum diuitum vesaniam; vide miserorum & infelicium Iudæorum insaniam: Vide quàm paruis rebus suarum volunt acquirere salutem animarum: Vide quàm vili pretio sibi volunt bona emere cœlestia, qui non nisi magno sua solent vendere temporalia. Verè si nostrarum in eorum esset manu salus animarum, multò carius ipsi eam nobis venderent, quàm sibi volunt emere. Tam stulti enim sunt, vt in solis operibus legis, & legis iã emortuæ, iam eneruatæ, iam in Christo, & per Christum viribus omnibus omnino euacuatæ, suam iustificationem, & suam salutẽ solum constituant. Si quando lex adhuc omnibus suis viribus pollebat, hanc virtutem non habebat: quomodo eam nunc habebit iam prorsus emortua? Opera legis erant circuncisio, sacrificia, & cætera veteris legis sacramenta: & tamen nec circuncisio, nec animalia in lege immolata, nec cætera ipsius legis sacramenta de se, & per se sufficiebant ad iustificandum hominem, ad educendum ipsum de peccato, ad reducendum ipsum in gratiam Dei, & ad faciendum ipsum meritorium, & dignum vita æterna.

C

D

Paulo accuratius hæc videamus. Et imprimis quantum ad circuncisionem attinet, hæc non poterat hominem de se absoluere à peccato originali, & seruitute, & reducere illum in gratiam Dei,

& facere illum dignum vita æterna. Non poterat enim minima, E
& vilior hominis pars esse sufficiens pretium, ad abluendum totum hominem à seruitute, & condemnatione peccati, ad quod totus homo quoad corpus, & quoad animam simul obligabatur. Quomodo enim minima illa pellicula, quæ scindebatur, & modicus ille sanguis, qui in circuncisione effundebatur esset pretium sufficiens pro toto homine, & maximè cum ipse sint partes vilissimæ respectu animæ?

Iã vero de sacrificijs, & alijs veteris legis sacris quid dicemus? Dicemus verum? Quale verum? Hoc verum; quod neque animalia in lege immolata, neque cætera ipsius veteris legis sacramenta poterant pro peccato satisfacere: neque hominem à mortali F
peccato liberare: Non enim in se tantum pretium continebant, vt possent soluere pro peccatore, cum essent animalia bruta, quæ nõ poterant Deum placare, & ipsi Deo peccatorem reconciliare. Nam pretium satisfactiuum, & (vt sic dicam) placatiuum debet esse per se gratum, debet tenere medium inter Deum, & hominẽ peccatorem, & per consequens debet esse melius quocunque homine, & per se tam bonum, & tam purum, vt Deo sit charum, & ita charum atque acceptum, vt eius medio, & intercessione Deus ipse moueatur, ad miseradum, atque ad dimittẽdum peccatori: id, quod non habebant animalia in lege occisa, quæ erant minora, & inferiora hominibus in pretio, & dignitate, & sic nullum conueniens, & sufficiens pretium in se continebant, ad satisfaciendum
Heb. 10. pro peccato, & ad liberandum hominem à peccato mortali. Et propter hoc dicebat Apostolus, impossibile esse sanguine taurorum, aut hircorum auferri peccata. Si ergo quando lex adhuc vigebat eius opera neminem poterant iustificare, quomodo dicunt diuites isti, sed manes, quomodo dicunt Iudæi se esse iustificandos per opera legis suæ iam emortuæ, iam eneruatæ, iam denique omnibus suis viribus omnino euacuatæ?

CAP.

A

CAP. VII.

Iudæi quia virtutem nouæ legis, & passionis Christi nunquàm intelligere voluerunt, ideo sine eius fructu remanserunt. Gentiles suam salutem esurientes, & in passione Christi, & eius mentis confidentes, multis bonis à Deo impleti sunt. Ad talem esuriem Iudæi inuitantur.

B Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Luc. 1.



Erè multũ de operibus legis suę prçsumũt Iudæi: verè magnas diuitias, in ipsius legis sacrificijs, & sacramẽtis sibi ipsis constituunt: Et ideo sanè constituunt, quia nesciunt aliam esse legem, legem non veterem iam emortuam: sed legem nouam, legem euangelicam, cuius vnum solum sacrificium (vt de alijs ipsius sacramentis interim taceamus) habuit sufficiens pretium, ad satisfaciendum pro omni peccato, ad iustificandum omnem hominem, & ad merendam vitam ęter-
C nam. Solum enim illud sacrificium sufficiens erat, ad redimendũ totum genus humanum, quod in se continebat pretium infinitũ, & erat de se liberum, immune, & nulli omnino peccato obnoxiũ, & per se Deo charum, & acceptum tenens medium, & dignitatẽ inter Deum, & hominem. Tale quidem sacrificium constat fuisse illud, in quo verus ille agnus Christ' Iesus Dominus noster immolatus fuit, qui abstulit peccata mũdi. Nam Christus erat Deus Ioan. 11.
& homo: Et ideo licet in quantum Deus esset æterno patri ęqualis: tamen in quantum homo erat minor patre, & melior omni homine in dignitate, & virtute, & sic erat sufficiens mediator',
D & pretium eius erat infinitum in valore ratione diuinitatis: & inquantum homo erat liber ab omni peccato in natura, & persona, & ita erat conueniens oblatio propter puritatem, & innocentiam, & erat Deo charum, & acceptum sacrificium propter immensam charitatem, & obedientiam. Vnde sequitur quòd eius mors, & passio fuit Deo chara, & accepta, & suficiens ad placandam iram Dei, ad satisfaciendum pro peccato, & denique ad iustificandum hominem.

Quam-

Quamquam vero hoc verissimum sit, hanc tamen veritaté Iudęi intelligere minime voluerunt, neque in Christo, & eius passione spem aliquã sibi collocare: sed solum in sua lege, & in eius operibus, & sacrificijs, illis solum se diuites reputantes, propter quod Christus eos dimisit inanes. Sed quibus rebus inanes? Inanes lege, inanes sacrificijs, inanes denique reliquis omnibus, quæ in lege fiebant, quia peracta Christi passione, hęc omnia cessarũt, & simul cum illo mortua fuerunt. In cuius rei testimonium ipse Christus in cruce pendens antequam spiritum emitteret, sic dixit consummatum est. Ad significandum quod omnia cum eo moriebantur. E

Ioan. 19.

F

Itaque his omnibus inanes propter suum peccatum remanserunt Iudęi: & quod peius est remanserunt sine Christo, & sine fructu passionis, & sanguinis Christi, per quem erant iustificandi, & saluandi. Gentiles vero qui in nullis suis, aut suæ legis operibus confidebant, sed solum suam salutem esuriebant confidendo in solo Christo, & in eius passione, impleuit ipse Christus bonis passionis suæ, bonis mortis, & sanguinis sui, bonis sacramentorum legis suæ, legis nouę, legis euangelicæ, quæ bona de se talia sunt, vt possint tollere peccatum, gratiam conferre, & hominem iustificare. Sunt enim instrumenta realiter continentia virtutem, & pretium passionis Christi, instituta ad tollendum peccatum, ad conferendam gratiam, & ad iustificandum hominem, id, quod non habebant sacrificia, & sacramenta veteris legis, quia non continebant realiter Christum, nec pretium passionis eius, quod totum est in sacramentis nouæ legis: quæ aut continent realiter Christum (sicut Eucharistiæ sacramentum) aut continent pretium, & virtutem passionis eius, sicut baptismus, cofirmatio, pœnitentia, & sacramenta reliqua, & ideo illico conferunt gratiam inuisibilem, quam visibiliter significant: illico soluũt pro peccatore, quia Christus operatur per illa, tanquam per manualia instrumenta continentia virtualiter pretium, & thesaurum passionis suę. Id, quod nullo modo est dicendum de sacramentis veteris legis, in quibus non erat Christus realiter, neque eius passio, sed solum tanquam in signo, in quantum illa erant figura Christi in cruce immolãdi. Et ideo neque de pręsenti efficiebant gratiam, quam significabãt, neque soluebant pretiũ redemptionis, quod figurabant, per Christum in cruce esse soluendum. G H

Non

A Non ergo sunt huiusmodi (sicut iam diximus) sacramenta nouæ legis, quæ illico efficiunt id quod significant, eo quod realiter continent pretium passionis Christi. Et Eucharistiæ sacramentũ, in quo Christus realiter continetur, illico per se confert gratiam suscipienti disposito, & non solum ipsum Deo recõciliat, sed omnes alios pro quibus offertur nisi habeant obicem. Et Baptismus illico soluit pretium passionis Christi pro baptizato, & pænitentia pro peccatore pænitente, & sic de alijs. Vnde liquidissime sane cõstat, quod sacramenta ista illico efficiunt hominem dignum vita ęterna, & illum ita iustificant, vt moriens illico ad cœlum euolet virtute ipsius passionis Christi, quam recipit per sacramenta. His omnibus bonis, quibus (sicut vidimus) nouę legis sacramenta sunt referta esuriẽtes gentiles Christus impleuit, & diuites Iudæos priuauit. Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes.

B

Quid ergo modo iam facietis o Iudęi (libet enim nũc vos absentes, tanquã præsentes alloqui) quid facietis tantis bonis inanes, & vacui? Quid facietis vt illis etiã, sicut gentiles, vos impleamini? Vultis vt, quid faciatis, vobis dicã, & vobis consulã? Esurite, sicut illi esurierũt. Esurite Christũ: esurite fidẽ Christi; esurite pretium passionis Christi, propter quod, & per quod solũ iustificãdi, & saluandi estis, & nõ per opera legis vestræ, sicut falso existimatis. Esurite diuitias sacrorum, q̃ ipse instituit, quia eos, qui sic esuriũt Dñs impleuit bonis. Esurientes impleuit bonis, dicit nostra Virgo. Sed quib⁹ bonis, quæ retis vos? Illis, quibus si inanes dimitti nõ vultis, opus est vobis, vt agnoscatis paupertatẽ vestrã. Definite ergo esse tã diuites: & nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes de lege, & prophetis: gloriantes de vestra scripturarum intelligentia, & intelligentia literali. Recedant vetera de ore vestro, vetera ceremonialia, vetera sacrificia, & vetera sacramẽta, quę oĩa iam abierunt: oĩa deniq; vetera de ore vestro recedant: & noua sint omnia, noua lex euangelica, cui nomen date, noua legis nouæ sacramẽta. Recipite doctrinã Christi euangelicã, in qua declarantur sacramenta clausa in litera legis vestræ, quæ omnia ipse Christus aperuit, quia ipse est Deus, & dñs scientiarum omniũ, cum sit sapientia patris per essentiam. Et ipsi prępa rantur cogitationes. hoc est, reuelationes Patriarcharum, & Prophetarum. Cum enim ipse sit finis legis, omnes Patriarchæ, & Prophetæ de ipso locuti sunt, & in ipsum tendunt omnes ipsorum visiones, & Prophetiæ.

C

D

Hunc

Hunc ergo cognoſcite o Iudæi: huius fidem ſuſcipite, per quam E
omnes patres antiqui, veteris teſtamenti, iuſtificati, & ſaluati ſunt. Et ſine qua impoſſibile eſt vos poſſe placere Deo. Hoc Iudęi ſi facitis, & vos, ſicut ſoletis, tam diuites non reputatis, non ſolum inanes non remanebitis, ſed veris Dei bonis impletos vos ſtatim ſentietis.

CAP. VIII.

Mundi bona deſiderata aufugiunt, eadem magno cum labore acquiruntur, & non niſi impletos implent. Dei bona ſolum eſurita accedunt, eadē exiguo labore cōparantur, & non niſi vacuos replēt. F

Eſurientes impleuit bonis, & diuites dimiſit inanes. Luc. 1.



Relictis iam bonis, & malis Angelis: iudæis, & gentilibus, de quibus, præcedentibus capitibus egimus: de alijs eſurientibus, & diuitibus nunc nobis agendum reſtat, vt vel ſic tandem vniuerſam huius verſiculi tractationem abſoluamus: in quo Dei miſericordiam, & liberalitatem ex vna parte: ex alia vero ipſius iuſtitiam, & iudicium: miſericordiam quidem, & liberalitatem erga eſurientes: iuſtitiam vero, & iudicium erga diuites Virgo noſtra cumulate deſcribens inquit: Eſurientes impleuit bonis, & diuites dimiſit inanes. G

Quod igitur attinet ad Dei liberalitatem, quam Virgo his paucis verbis deſcribit, nempe, Eſurientes impleuit bonis: Ea ex illis tanta eſſe cognoſcitur, vt ad vera Dei bona cōſequēda, nihil aliud nobis opus ſit, quā bene eſurire. Nihil aliud Deus à nobis vult, nihil aliud a nobis expectat: ſolum bene eſuriamus, & eius ſtatim bonis replebimur. Eſurientes impleuit bonis. H

Vide Dei miſericordiam, vide liberalitatem, vide, & ex ea conſidera diſcrimen inter Deum, & mundum, agnoſce differentiam inter Dei, bona, & mundi bona. Bona namque mundi, quæ comparatione bonorum Dei, potius mala dici merentur, quam bona, quo magis eſuriuntur eo minus ſatiant, quo magis ea homines deſiderant, eo magis ipſos homines fugiunt, & ſe in ſequentes deſe-
1. Ioan. 2. runt. Mundus tranſit, & concupiſcentia eius, dicebat Apoſtolus,

&

A & Euangelista Ioannes. Cum enim paulo antea dixisset nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt. Statim subiunxit: mundus transit, & concupiscentia eius. Quasi diceret: Ideo nolite diligere mundum, neq; eius bona, quia tam mundus, quàm eius bona transeunt, sunt in continuo cursu, sunt in continua fuga illorum, qui ipsum mundum, & eius bona desiderant. Sicut corporis vmbra in sequentem se fugit, & fugientem insequitur: Ita mundus, & eius bona se desiderantes fugiunt, & fugientes, contemnentesq; se insequuntur. Et hinc veteres, (neq; hoc immerito) mundi gloriam, Crocodilum appellarunt. Sicut enim Crocodilus homi- Simile. Simile.
B nem fugientem persequitur, & insequentem se fugit: ita gloriam mundi appetentes ipsa gloria fugit, eandé vero fugiétes, ipsa pertinaciter insequitur. Non sic Dei bona, non sic. Neminem deserunt, neminem fugiunt. nulli opus est post illa currere, & currendo defatigari, solum sufficit, vt habeantur, ea desiderare, ea esurire, quia solum desiderata, solú esurritã replent. Esurientes impleuit bonis.

Itaq; non sunt Dei bona, sicut bona mundi. Nam ad bona ex mundo, & ab hominibus mundi consequenda, ad consequendos honores, & dignitates, opus est laborare, & non dormire, laborandoq; & non dormiendo multum temporis cõsumere, opus est sta-
C tim primo mane domo exire, opus est multas scalas ascendere, ad ostia pulsare, opus est homines exorare, cum ipsisq; multas expensas facere, opus est deprecando, & multoties clamando sibi caput rumpere, & alijs aures obtundere. Sed in Deo nihil est tale, in eius bonis nihil inuenitur simile: quia Deus sine mediatore exorabilis est, sine pecunia, sine expensis, sine defatigatione bona sua largitur. Non opus est multas scalas ascendere, & ad eius ostium pulsare sicut fit in mundo, vbi multoties pulsantium in facies ostia clauduntur, & per ignominiam impelluntur: quia Dei ostium si velimus, semper nobis est apertum. Ecce dedi (inquit ille) ostium aper- Apoca. 3.
D tum coram te, quod nemo potest claudere. Neq; hoc pijssimo largitori nostro sufficit: non sufficit, inquam, illi semper habere suum ostium nobis apertum. Sed ipse nos quærit, ipse ad nos venit ipse ad nostrum ostium pulsat. Ecce sto, inquit, ad ostium, & pulso. Apoca. 3. Ipsius vocem audire, & illi aperire solum nobis opus est, vt omnia bona sua nobis communicet. Ipse enim dicit. Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi iannam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum. Cum Deo non nobis opus est, clamando

mando nostrum caput rumpere, aut illi aures obtundere: cum illo solum sufficit os aperire, vt nos bonis suis impleat. Dilata os E
Psal. 80. tuum, & implebo illud. Et quid dico os aperire? Cum Deo non opus est oris apertione, sed cordis. Solo enim cordis vero desiderio, sola cordis vera esurie nos bonis suis implet. Esurientes impleuit bonis.

O incredibilem Dei nostri liberalitatem, qui tam paruo, & tam exiguo labore, tam vera, & tam magna bona hominib⁹ communicat, qui in falsis mundi bonis consequendis tantum laboris, tantum curæ, & sollicitudinis impendunt. Verum hoc non sine magna ipsius Dei misericordia fit, qui ideo tantum difficultatis, F
laboris, & amaritudinis in consequendis mundi bonis esse voluit, vt hoïes ipsis contẽptis sola Dei bona, & vera bona consequi stu-
Simile. deant. Sicut enim amantissimus filij pater postquam eum iam videt ad firmioris ætatis mensuram perductum, in qua illi iam mamilla inutilis iudicatur, si conspicit eum nihil de solido cibo, sed de sola nutricis suæ mamilla curare, eam non solum verbis horribilem facit, sed etiam amaris quibusdam herbarum succis eam oblinire curat, vt cum sermone nequiuerit, importuni circa illam pueri desiderium compescere, illis saltem rebus illud extinguat: Sic Deus cum videat homines circa sola mundi bona intentos, & G
de veris illis cœli bonis nihil omnino curantes, in ipsis mundi bonis tantum laboris, & difficultatis apponit, quo hominum erga illa desiderium compescat, & illud circa sua bona solummodo accendat, quæ sola esurita ipsos homines implent, & satiant. Esurientes impleuit bonis.

Hoc autem quod de ipsis Dei bonis dicimus, adeo verissimum
Mat. 5. est, vt Christus ipse exclamet. Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Non dixit: Beati qui iustificantur: sed beati, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam. Quia potest contingere, vt aliquis infidelis esuriens, & sitiens iustitiam cum omni H
conatu, & sollicitudine veniat ad baptismum, qui si in via moritur, ex sola illa esurie, & siti iustitiæ iustificatur, & baptizatur baptismo flaminis. Atque etiam quod magnus aliquis peccator ex toto corde suo ad Deum conuersus ad pœnitentiam, & confessionem velocitet currat, qui si in illo interuallo etiam moritur, ex sola illa esurie, & siti confessionis, & pœnitentiæ iustificatur, & per
D. Aug. consequens in spe (sicut loquitur D. Augustinus libro de pœnitentia)

A tia) beatificatur. Ex solo enim illo sacerdotis desiderio fit dignus venia, & illa sola confessionis esurie omnibus illis bonis à Deo impletur, quæ ipsius confessionis interuentu consequeretur. Nam taliter esurientes solet Dominus bonis suis implere. Esurientes impleuit bonis.

Præter supradictam bonorum Dei, & mundi differentiam, est etiam alia, nempe, quod bona mundi non implent pauperes, & vacuos, sed solos repletos, & diuites: Bona vero Dei non repletos, & diuites, sed solos pauperes, & vacuos. Solos enim honoratos honorant principes mundi, solis diuitibus maiores diuitias confé-
B runt, solis in dignitate cõstitutis alias maiores dignitates elargiuntur: & ideo eorum bona non replent, nisi solum diuites, & repletos. Qua in re ipsi sunt fluminibus per quam similes, quæ aquas suas in mare mittunt, terras vero sitientes minime irrigant. Dei vero bona non sic se habent, quia non replent nisi vacuos. Sicut Eliseus non nisi vacua vasa oleo impleuit: ita Deus non nisi pauperes spiritu, & bonis mundi vacuos, suis bonis implet. Esurientes impleuit bonis. Simile. Simile. 4. Reg. 4.

Verum tamen est quòd Deus nonnunquã esurientes bonis suis implere differt. Sed hoc nulla alia de causa facit nisi vt magis
C esuriant, & esuriendo suorum bonorum capaciores reddantur. Cum enim infinita sint bona, quæ esurientibus Deus largitur, vult ipse, vt esurientes suos sinus bene dilatent, & extendant vt bene dilatati, & extenti tanta Dei bona capere possint. Et hinc est quod ad hanc dilatationem, & extensionem, esurientem animam inuitans dicit. Dilata os tuum, & implebo illud. Sicut enim si velles rebus magni pretij alicui sinum implere, illi diceres, vt sinum bene extenderet, & dilataret, vt sic extensus, & dilatatus illarum rerum capacior redderetur: Ita Deus volens esurientem animam bonis suis im-
D plere, illi imperat, vt extendat sinum suum, vt dilatet desiderium suum. Dilata os tuum. Nam se extendendo, & dilatando illorũ bonorum capacior fit, quibus Deus esurientes impleuit. Psal. 80. Simile.

CAP.

CAP. IX.

Dei iustitia, & iudicium in exinaniendis diuitibus quantum eluceat. Diuites quantum sint inanes.

Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Luc. 1.



Idimus iam quam magna sit Dei misericordia, & liberalitas in implendis esurientibus, suis bonis: Videamus nunc quanta eius sit iustitia, & iudicium in exinaniendis diuitibus. Ea namq; maxima etiam esse apparet ex his paucissimis nostrę Virginis verbis: Et diuites dimisit inanes. Quib' significantur diuites, qui præ temporalium rerum amore, ipsa temporalia bona spiritualibus, & terrena cęlestibus prætulerunt, non solum ipsis temporalibus, & terrenis bonis, sed etiam spiritualibus, & cœlestib' fuisse priuatos. Et vt verũ dicatur, Quid æquius, quid iustius, & maximo Dei iudicio quid dignius, quã vt illi, qui mundi diuitijs, & bonis se ita dedicarunt, vt nihil interim de Deo curent, nullam de bonis cœlestibus sollicitudinem gerant, tam ipsis mundi diuitijs, quàm Deo, & eius gratia, & bonis priuentur: & in tanta miseria à Deo positi relinquantur, quòd possit de illis optimo iure dici; & diuites dimisit inanes? F G

Habemus huius rei de qua agimus appositissimum exemplum in duobus illis diuitibus auaris, qui ex eo quia iuxta dictum prophetæ: Viri diuitiarum fuerunt. Hoc est ex eo quia suarum diuitiarum magis serui, quàm domini extiterunt (hoc est enim esse viros diuitiarum) & tanquam diuitiarum serui nihil de Deo, sed de solis diuitijs, quarum serui erant, curarunt, tam Deo, & eius gloria, quam ipsis diuitijs priuati remanserunt. Istorum vnus quia dicebat. Anima mea habes multa bona posita in annos plurimos requiesce (nulla hic de Deo cura, nulla memoria) comede, bibe, epulare: à Deo audiuit: Stulte hac nocte animam tuam repetunt à te, quæ parasti cuius erunt? Alter vero quia induebatur purpura, & bysso, & epulabatur quotidie splendide nihil de mendico Lazaro curans, qui iacebat ad ianuam eius vlceribus plenus cupiens H

Luc. 12.

Luc. 16.

saturari

A saturari de micis, quæ cadebant de mensa diuitis, quas nemo illi dabat, mortuus sepultus est in inferno. Et sic ambos hos diuites Deus dimisit inanes. Et diuites dimisit inanes. Inanes bonis, quæ habebant, inanes gratia in præsenti, & gloria, ac ipsius gloriæ Domino in futuro. Sunt enim inferno sepulti.

Verè est in omnibus, & per omnia summa Dei iustitia maximè semper laudanda: sed in hoc quòd mortuos diuites inanes dimittit, multo sane magis. Iustissime enim diuites mortui à Deo inanes dimittuntur, qui dum viuunt, licet sint diuites, tamen inanes semper existunt. Sed quãtis modis inanes? Multis sane modis inanes.
B Verũ breuitati cõsulentes solos duos psenti capite enumerabim⁹.

Sunt imprimis diuites inanes, quia etiam si multas habeant diuitias: Nunquam tamen satiantur. Sicut enim infernus quantumcunque mortuos plurimos deuoret, nunquam tamen dicit sufficit: sic diuites licet multa possideant: tamẽ ea nunquàm illis sufficiũt. Et sicut ignis quanto magis ligna accipit, tantò vehementius accẽditur. Sic quanto plura diuites adipiscuntur, tanto vehementior fit eorum cupiditas. Habet mare terminos suos. Nox item leges antiquas non egreditur. Sola diuitum cupiditas nullum terminũ noscit: nulla opum, & diuitiarum successione cedit. Et ideo mi-
C ror, & maxime miror diuitem illum, de quo paulo ante mentionẽ fecimus, tantam sibi in suis diuitijs quietudinem pollicentem. Dicebat enim: Anima mea habes multa bona posita in annos plurimos requiesce, comede, bibe, epulare.

Simile. Simile. Luc. 12.

Verùm cùm video ipsum non loqui de psenti suo statu, sed de illo, quem habiturus erat, postquã haberet omnia sua bona cõgregáta facile adducor, vt credam, ꝙ ipsis bonis cõgregatis, præ cupiditate aliorum minime quiesceret, eo modo, quo sibi promittebat. Antequã enim bona sua cõgregaret, vidẽs vberes fructus sui agri, cogitabat intra se dicens. Non habeo quò congregẽ fructus meos.
D Et dixit: hoc faciã: destruã horrea mea, & maiora faciam, & illic cõgregabo omnia, quæ nata sunt mihi, & bona mea, & dicam animæ meæ: Anima mea habes multa bona posita in annos plurimos quiesce, comede, bibe epulare. Tunc hæc dicebat, antequam bona sua cõgregaret: sed postquã ea cõgregasset, alius forsan appareret. Sicut enim illi, qui sunt cibo saturati putant se longa tolerare posse ieiunia, cùm vero eos cęperit saltẽ leuis esuries alia ipsos desideria subintrant: Et sicut illi, qui sunt ab ebrietate liberi putant se

Luc. 12. Simile. Simile.

posse illam superare passionē, cùm vero fuerint illius morbi capti E
libidine, iam illis primum iudicium nō remanet: sic diues iste antequā horrea destrueret, & maiora faceret, in ipsisq; bona sua cōgregaret, existimabat oībus illis à se peractis se posse cōquiescere, comedere, bibere, & epulari: Sed ipsis cōgregatis nec quiesceret, neque comederet, nec biberet, nec epularetur præ cupiditate aliorum. Est enim ipsa diuitiarum cupiditas velut ingens quædam abyssus, quæ semper inuocat aliam abyssum: sic enim dicit propheta: Abyssus abyssum inuocat. Et ideo non sinit diuites quiescere, sed in cōtinua eos sollicitudine detentos, & occupatos habet, quia quò plura habent eò plura habere student, & ex consequenti semper sunt pauperes, semper vacui, & semper inanes. F

Simile. Psal. 41.

Deinde etiam, sunt diuites inanes, quia eorum diuitiæ neq; amicis, neq; liberis, neq; sibi ipsis deniq; prosunt: eas enim ad hoc tm̄ possident ne possidere alteri liceat, nec sibi. Nō solum enim alios, sed quod magis est, se ipsos etiam præ auaritia, fame enecant. Hoc autē quantū malum sit, hæc Ecclesiastes verba declarāt. Est aliud, inquit, malum, quod vidi sub sole, quod est frequens apud hoīes vir cui dedit Deus diuitias, & honorē, & substantiā, & nihil deest animæ suæ ex oībus, quæ desiderat, nec tribuit ei Deus potestatē, vt comedat ex eo. Hac de causa merito de diuitibus dicere possumus, quod eorū diuitiæ nullo modo eis prosunt, nisi eo solū modo, quo quis compedes habet, quibus compeditus est, & qui potius dominantur ei, quàm seruiant. G

Eccl. 6. Simile.

Quomodo enim nō dominantur pecuniæ diuitibus, quæ ipsos, neq; in se ipsos, neq; in alios (saltē eorum vita durante) bonos esse sinūt? Dico eorū vita durāte, quia solū post mortē alijs boni sunt, qui sibi ipsis in vita nequissimi extiterunt. Sicut vasa terrea, quæ figuli ad elemosinas petendas integra, cū solo tenuissimo foramine conficiunt, pecunias quas in se recipiunt non reddunt, nisi prius rumpantur, plena enim ad terram alliduntur, & allisa reddūt H
pecunias, quas receperunt: sic diuites diuitias, quas cōgregant, nō reddunt, nisi cōfringantur, nisi moriantur. Confringit illos Deus tanquam vasa terrea, tanquam vasa figuli lutea; & tanquā vas figuli cōfringes eos: dicebat propheta. Et tunc quando sunt cōfracti suis diuitijs alijs boni sunt, qui dum integri essent, dū viui essent, non solum alijs, nō solum pauperibus, & egenis, sed sibi ipsis mali, misericordia vacui, & charitate inanes extiterunt.

Simile. Psal. 2.

Itaque

A Itaque diuites, qui viuentes adeo inanes permanserunt, iustissimè morientes à Deo dimittuntur inanes. Inanes, inquam, bonis, & diuitijs, quas habebāt, inanes gratia, inanes gloria, inanes denique bonis omnibus tàm tēporalibus, quàm spiritualibus, tam terrenis, quàm cœlestibus, vt vel sic ex omni parte hoc eis conueniat, quod pijssima Virgo dicit: Et diuites dimisit inanes.

C A P. X.

Dei misericordia, & clementia in priuandis, & exinaniendis diuitibus, diuitijs suis, etiam emicat, & splendet.

B

Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Luc. 1.



Aulo lenius, quàm huc vsque fecimus, verba ista hoc loco à nobis pertractanda sunt: & qui Dei iustitiam, & iudicium in exinaniendis diuitibus in morte, & post mortem etiam, considerauimus: ipsius lenitatē, charitatem, & misericordiam in exinaniendis illis in vita, pariter consideremus. Lenitatis enim, charitatis, & misericordiæ Dei est, cùm multos ipse diuites dimittit inanes. Premuntur namq; sæpe diui-
C tes misera seruitute, & ideo Deus diuitias illis aufert, vt eos à pessima illa liberet seruitute. Quemadmodum pater optimus cùm viderit filium amore meretricis alicuius deperire, si filius admonitiones eius neglexerit, illam meretricē de medio auferens, in exilia longinqua detrudit: ita verus oīum pater, & optimus Dn̄s curam de diuitibus gerens illos admonet, & admonēdo dicit: filij hominum vsquequo graui corde? Vt quid diligitis vanitatē, & quæritis mendaciū? Et item diuitiæ si affluant nolite cor apponere: sed vbi videt has admonitiones nihil diuitibus ꝓficere, tūc eis pecunias, & diuitias aufert, quarū amore mens illorū ita corrūpitur. vt nul-
D lum illis verarū diuitiarū desideriū insit. Sicut paruulus, si quid habeat puerile, idq; rebus necessarijs p̄ferat, pater tūc ipsum puerilibus priuat, vt vel sic inuictum ipsum ad meliora traducat: ita Deus, vt diuitum vota, atque desideria ad cœlestia transferat, eos bonis suis priuat, & diuitijs inanes dimittit: Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes.

Simile. Psal. 4. Psal. 61. Simile.

Facit Deus in hoc cùm diuitibus, sicut ipse in ipso mundi principio fecit cū Adamo, & eius vxore Eua. Hos enim vt vidit nimia Simile.

deliciarum, & diuitiarũ pſperitate in terreſtri paradiſo, in malitię E
pręcipitiũ delapſos eſſe, vſus eſt hoc remedio: nẽpe, diuites dimiſit inanes. Priuauit enim tũc eos oĩb⁹ bonis, q̃ eis dederat, taliterq́;
Gen. 3. priuatos cũ ſola tunica pellicea de paradiſo eiecit. Emiſit eũ De⁹, inquit ſcriptura de Adamo ipſo loquẽs, de paradiſo voluptatis, vt operaretur terrã, de qua aſsũptus eſt. Vt hoc modo illũ, quem nimia pſperitas de paradiſo abduxerat, eũ nimia etiã aduerſitas in illa terra de qua aſsũptus eſt, ad ipſum Deũ reduceret. Simili modo facit Deus cũ diuitib⁹. Videt eos, quos alioquin de ſtercore erexerat, ſicut Adã de terra. Videt, inquã, prę nimia diuitiarũ abundãtia in immane pcipitiũ totos ire, videt de ſolis terrenis, & nõ cœleſtibus eſſe ſollicitos, & ideo oĩbus bonis priuatos, veluti de ſuarum diuitiarum paradiſo emittit, & in illam terram de qua aſſumpti ſunt reſtituit, in illam videlicet paupertatem, in illam miſeriam, vt vel ſic eos, quos diuitiarum nimia abundantia à ſe a vocauerat, paupertas, & indigentia ad ſe reuocet. F

Simile. Boni, & experti medici cũ vident infirmi vitã periclitari in alieno ſolo, vel pꝑter ipſius aeris intẽperiẽ, vel pꝑter cõtrarios cibos, vel pꝑter aliã quãcunq; cauſam infirmi ſanitati aduerſantẽ, ipſum infirmũ oĩbus cibis, qui illi obnoxij erant, vacuũ, ad pꝑpria redire cõpellunt: vt cui alienũ ſolũ, & extraneus cib⁹ infirmitatẽ auxerãt, ipſi ſolũ propriũ, & domeſticus cib⁹ ſanitatẽ reſtituant. Sic ſe habet optimus, & pijſſimus aĩarũ noſtrarũ medicus Deus cũ diuitibus, cũ videt eos in diuitiarũ abundãtia tanq̃ in alieno ſolo periclitari, cũ videt noxios deliciarũ, & diuitiarũ cibos ipſis infirmitatẽ augere, oĩa tunc illis aufert, & auferẽdo ad antiquã, & priſtinã paupertatẽ eos, tanq̃ ad proprium ſolũ inanes dimittit. Et diuites dimiſit inanes. Scit enim eos, qui nimia pſperitate in alieno diuitiarum ſolo infirmabantur, ſola aduerſitate in proprio paupertatis ſolo, poſſe conualeſcere. G

CAP. XI. H

Inter omnes eſurientes, qui hominum ſalutem eſuriebãt, nemo melius, quàm Maria, eam eſuriit. Mariam ſic eſurientem, quantis Deus bonis impleuit.

Eſurientes impleuit bonis, & diuites dimiſit inanes. Luc. 1.

HIs, quæ ſuperiori capite à nobis dicta ſunt, vniuerſam huius verſiculi tractationẽ abſoluere, in animo erat. Verũtamẽ cũ in

A in ipso agatur de esurientibus, à Deo bonis impletis, & inter eos nemo fuerit, qui aut melius esurierit, aut diuinis bonis melius impletus fuerit, quàm nostra Virgo, rationi valde consonum iudicamus, si de eius etiam esurie, & donorum plenitudine, in præsentiarum aliquid dicamus. Luc. 6.

Exordientes ergo ab ipsius Virginis esurie, hæc non alterius cibi fuit, quàm eius, quem ipsius Virginis filius suum esse asserebat, & asserendo dicebat. Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me. Glossa ordinaria super hunc Ioannis locum de Dei voluntate tractans. Voluntas, inquit, patris est, vt credatur in eum. Ioan. 4.
B Id est, in filiū, quem ipse misit, opus patris est nostra Salus. Hunc cibum esuriebat Virgo: Hanc hominum salutem, & fidem adeo desierabat (ita enim referunt multi, & antiquissimi patres) toto eo tempore, quod incarnationi præcessit, vt ardentissimis desiderijs, & frequentissimis orationibus incarnationem filij Dei postularet, tanto maiori desiderio, & amore, meritò, atque efficacia, quā omnes superiores sancti, ac prophetæ, quāto eos maiori perfectione gratiæ, & sanctitatis superabat.

Multum hanc hominum salutem Simeon ille sanctus, & iustus esuriebat. De ipso namque dicitur, quod erat expectans con
C solationem Israel. Hoc est, vehementer desiderans consolationē Israel. Expectare enim in scripturis sanctis, nonuunquam accipitur pro vehementer desiderare. Et in hac significatione accipitur illud Iob. Qui expectant mortem, & non venit. Itaque secundum hunc sensum ardentissimè quidem Simeon desiderabat, vehemētissimè esuriebat consolationem Israel. Et ideo responsum accepit non visurum se mortem nisi prius videret Christum Domini: hoc est, nisi prius hæc eius esuries satiaretur per visionem Saluatoris. Luc. 2. Iob. 3. Luc. 2.

D Sed quanto putas, ardentius, quanto vehementius, non solius Israel, sed totius mundi salutem Virgo nostra desiderabat? Solita erat nostra Virgo à tenera vsque ætate in noctis medio surgere, & in templo procumbens Deū, inter alia, vehemētissimè, & ardētissime exorabat, vt mereretur videre tēpus illud, quo virgo Dei filiū pro redemptione generis humani paritura erat: tum vt posset tali virgini seruire: tum etiam vt in eius gremio, ipsum Dei filium posset adorare. Non sinebat hæc esuries Virginem adhuc teneram somnum capere, non permittebat illi, vt requiesceret.

Sed vide, quæso, vide quantis bonis Virginem esurientem, & E
taliter esurientem Deus impleuit. Ne enim Mariam, quæ propter profundissimam suam humilitatem se dignam non reputabat, vt esset illa Dei genetrix Virgo, sed solũ postulabat, vt mereretur videre tempus virginis illius, quæ Dei genitrix futura erat, vt posset illi seruire, in matrem filij sui elegit. Et hac de causa Gabrielem
Luc. 1. Archangelum ad eam misit: missus est Angelus Gabriel à Deo ad Virginem, inquit Euangelista. Qui ad eam ingressus inter alia di
Luc. 1. xit. Ne timeas Maria inuenisti enim gratiam apud Deum. Quasi diceret: tu Virgo beatissima, quæ redemptionem generis humani tantopere esuriebas, & præ magna tua humilitate illam solum gra F
tiam apud Deum inuenire cupiebas, vt posses videre matrem filij eius; tu, inquam, inuenisti gratiam apud Deum, non vt videas vir
Luc. 1. ginem illam matrem, sed vt sis Virgo illa mater. Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum. Non in alia à te, sed in te ipsa implebitur tua esuries: quia tu ipsa in tuo vtero concipies, tu ipsa paries humani generis redemptorem. Et quẽ in alterius gremio cupiebas adorare, non solum in tuo vtero conceptum, sed iam natum in tuo Virgo gremio, in tuis manibus, & in tuis brachijs adorabis. Quia tu ipsa, & non alia est, cui hoc tan- G
tum bonum promissum est, tu ipsa, & non alia est. Tu sola es promissa illa Virga egressura de radice Iesse, de cuius radice flos miro plenus odore ascensurus est, tu es illa promissa, illa expectata, illa desiderata, ex qua sancti patres tui Abraham, Isaac, & Iacob salutare Dei expectabant. Tu ipsa es, & nõ alia est, in qua, & per quam Deus ipse Rex noster ante sæcula disposuit operari salutem in medio terræ. Non ergo Virgo Domina ab alia expectes id, quod tibi offertur: non per aliam expectes, quod per te mox exhibebitur, dummodo præbeas assensum, respondeas verbũ. Respon H
de igitur verbum, & suscipe Verbum, profer tuum, & concipe diuinũ, emitte transitoriũ, & amplectere sempiternum. Aperi, aperi Virgo beatissima, aperi Virgo fidelissima, aperi cor fidei, labia cõfessioni, viscera creatori, aperi nè tardes, quia ecce desideratus cunctis gentibus foris pulsat ad ostium.

Quid hic Virgo fecit? Quid ad hæc Angeli verba respondit?
Luc. 1. Tota plena humilitate: tota etiam plena esurie. Ecce, inquit, ancilla Dñi. An nõ plena humilitate, quæ cum in matrem ipsius Dei eligitur ancillam se nominat? An nõ etiam plena esurie, quæ iam

in se

A in se experiri desiderans, quod in alia videre esuriebat, protinus addidit: fiat mihi secundum verbum tuum? Per quid melius Virgo posset suam esuriem Deo, aut Angelo significare, quã per hoc verbum, fiat? fiat, inquit mihi secundũ verbum tuum: Quod totũ fuit maximè desiderantis, & vehementissimè esurientis signum.

Nam id, quod Virgo dixit, tale erat, ac si apertius (sicut homil. 4. super missus est mellifluus pater adnotauit D. Bernardus) Virgo diceret. Fiat mihi de Verbo secundũ verbum tuũ. Verbũ, quod erat in principio apud Deum fiat caro de carne mea, secundũ verbum tuum. Fiat, obsecro, verbum non prolatum, quod trãseat: sed B conceptum vt maneat, carne videlicet indutum nõ aere. Fiat mihi nõ tantum audibile auribus, sed etiã visibile oculis, palpabile manibus, gestabile humeris. O quomodo esurit nostra Virgo, quomodo esurit. Sed ò quomodo etiam Deus illam esurientem bonis impleuit, Vbi enim ore suo Virgo protulit: fiat mihi secundũ verbum tuum: statim in suo vtero concepit filium Dei, & suũ, O esuries, o saturitas. Esuries Saluatoris, & saturitas Saluatoris. Esuries Dei, & saturitas Dei, quem Virgo esuriuit, & ab illo saturata est. ab illo bonis impleta est, quia sicut de illo Virgo ipsa testata est, ipse solus est, qui esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. D. Bern.

C O quã impleta remansit hic nostra Virgo: quam impletũ remãsit vas virgineũ? Et quid dico vas? Bene equidẽ dico vas: sed tamẽ nõ qualecunque vas: sed vas admirabile, opus excelsi. Sicut tria sunt, quæ vnum vas admirabile reddunt: Primũ si se ipso maius recipiat. Secundũ si aquam simul, & vinum sine vlla mixtione cõtineat. Tertium si manens clausum omnia in se recipiat, & clausum etiam omnia effundat. Ita etiã hæc tria fuerunt, quæ hoc diuinum vas (Mariam dico) admirabile reddiderunt. Imprimis enim hoc diuinum vas continuit in se maius se, quia quem totus non capit orbis, in eius se clausit viscera factus homo. Deinde vinũ diuinitaD tis, & à quã humanitatis simul cõtinuit, & hoc sine aliqua mixtione, aut confusione naturarum, aut proprietatũ. Non enim cõmixtionẽ passus est, neq; diuisionẽ. Deniq; hoc sanctissimũ vas clausum manens recepit, & quod clausum recepit, clausum etiã effudit. Nam Maria filium Dei virgo concepit, & post partũ virgo inuiolata permansit. Et ideo in huius veritatis signũ, ab sponso per hortum cõclusum, & fontem signatum: A propheta verò per portam clausam rectissime Maria significatur. Ecclesi.43. Simile. Cant.4. Ezec.44.

E

CAP. XII.

Omnis nostra beatitudo à Maria profluxit : ipsa sua plenitudine esurientem mundum saturauit, eumque bonis omnibus impleuit.

Esurientes impleuit bonis,& diuites dimisit inanes. Luc. 1.



Simile. Vuamquam omnis nostra beatitudo à Maria profluxit,ipsa nihilominus semper plena remansit. Est enim F Virgo tanquam fons, qui plenus effluit, & effluens, plenus remanet. Sic est Virgo beatissima, est fons plenus,& effluens,effluens, sed plenus semper remanens. Et ideo melius ipsa ; quàm Hester per illum fontem potest significari, de quo dicitur: Paruus fons,qui creuit in fluuium, & in aquas plurimas redundauit Hester est. Dico melius quàm Hester, quia Maria est fons paruus per humilitatem, qui creuit in fluuium, & in aquas plurimas redundauit: Maria est fons ex cuius plenitudine omnis beatitudo humani generis profluxit ab ipsa namque tanquam ex fonte plenissimo profluxit nobis pretium redemptionis, G aqua ablutionis,& panis refectionis.

Hest. 10.

Vtrumque videamus. Profluxit imprimis nobis à Maria pretiũ redemptionis, quia Maria est fortis illa mulier de qua diciturr. Mulierem fortem quis inueniet? Procul & ab vltimis finibus pretium eins. Dicitur vero hoc pretium, quod à Maria nobis profluxit,procul,& ab vltimis finibus: aut propter extremam ipsius Mariæ humilitatem: aut propter coniunctionem Dei, & hominis,qui sunt duo fines: aut propter cœlum vnde hoc pretiũ egressum est, iuxta illud prophetæ à summo cœlo egresio eius. Hoc nostræ redemptionis pretium in die annũtiationis, in vtero ipsius H Virginis collectũ est:|& in die pasionis pro nobis persolutum. Quod vero attinet ad aquam nostræ ablutionis hanc etiã à Maria effluxisse clarum est. Ipsa enim est fons de quo dicitur. Erit fons patens domui Dauid,& habitantibus Hierusalẽ in ablutionẽ peccatoris. Et huius fontis aqua Christus est, qui dilexit nos,& lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Deniq; à Maria nobis ꝓfluxit panis nostræ refectionis, panis, qui esurientes impleuit bonis.

Prou. 31. Psal. 18. Zach. 13. Apoc. 1.

Sed

A Sed quisnam est hic panis, & vnde delatus? Panis ipse Christus est, quem ipsa Virgo de cœlo nobis asportauit. Ipsa enim est mulier illa, de qua dicitur, quod facta est quasi nauis institoris de Prou. 31. longe portans panem suum. Factas est Maria quasi nauis, & non quæcunque nauis, sed nauis integra, & non rupta, nauis solida, & nō quassata, sicut aliæ naues: hoc est, sicut aliæ mulieres, quæ omnes sicut naues fuerunt ruptæ, & conquassatæ ad scopulum peccati. In omnes alias intraueruut amarissimæ peccati aquæ: sola Maria fuit, quæ super aquas miseriarum huius mundi stetit absq; eo, quod tales aquæ in ipsam intrarent. Aquæ multæ non potue- Cant. 8.
B runt extinguere charitatem, neque flumina obruent illam. Et si- Simile.
cut nauis quanto plus est mercibus onerata, tanto plus aquarum profunda petit: ita Maria quanto fuit gratiæ, & aliarum omnium virtutem diuitijs plenior, tanto plus ad humilitatis abyssum tendens dicebat: Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum Luc. 1. tuum. Fuit ergo quasi nauis Maria: fuit quasi nauis de longe portans panem suum, suum, inquam, particulariter, sed totius mundi vniuersaliter. Hunc suum panem, & nostrum Maria de longe portauit, quia de cœlo descendit. Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi. Hoc pane esurientem mundum Maria sa- Ioan. 6.
C turauit. Cum enim facta est fames in terra, nauis ista tanquam è portu egrediens attigit à fine vsque ad finem fortiter, & disposuit omnia suauiter.

Sed quomodo Maria attigit à fine vsq; ad finem? Attigit à fine humilitatis vsq; ad finē diuinitatis, & disposuit nobis omnia suauiter, quia è cœlo panem nobis portauit, quo esurientes bonis impleuit bonis saturitatis, bonis abundantiæ, & tantæ abundantiæ vt iam non necesse sit fame laborare: vt iam nulla sit ratio conquerendi, ac dicendi. Paruuli petierunt panem, & non erat qui Tren. 4.
D frangeret eis. Ipsa enim Virgo ad hunc panem nos vocat, & sic dicens omnes inuitat. Venite comedite panem meum, & bibite vi- Prou. 9. num, quod miscui vobis. Quibus verbis ad duo Maria omnes inuitat: nempe ad comedendum panem suum, & ad bibendū vinū, quod ipsa miscuit. Licet enim Deus ipse sit, qui aquam humanitatis cum vino diuinitatis miscuit, quando humanam naturam diuinæ vniuit: tamen Virgo beatissima hoc vinum, & hanc aquam tunc etiam miscuit, quando credidit, & consensit. Et non tantum hoc fecit, sed etiam panem ipsa nobis cōfecit. Ipsa enim est mulier

Mat.13. Luc.15. illa Euangelica, quæ fermentum, abscondit in farinæ satis tribus, E
donec fermentatum est totum. Hoc est, quæ fermēto fidei suæ tria sata in vnum collegit. Id est, corpus Christi, & animam, & diuinitatem coniunxit: Et ex istis tribus nobis illum panem, & verum panem confecit, quem Isaias esurienti mundo frangi postulabat
Isa.38. sic dicens. Frange esurienti panem tuum.

Ex supradictis ergo iam cōstat, quod à Maria nobis profluxit, & ipsa nobis concessit pretium nostræ redemptionis, aquam nostræ ablutionis, & panem nostræ refectionis, immo panem nostræ saturationis, nostrę impletionis, & non qualiscunque impletionis, sed impletionis bonorum. Esurientes impleuit bonis. F

O Virginem beatissimam. Et quid maius Virgo pijssima, quid maius Virgo liberalissima esurienti, & iam quasi fame confecto mundo facere potuisses? In quo magis tam liberalitatem erga esurientem mundum ostēdere posses? Tu enim omnium aliorū liberalitatem (tuo solo filio excepto) longissime superasti: siquidem de substantia tui corporis (id, quod nullus alius fecit) partem accepisti, eamq; ad refectionem animarum hominibus dedisti. Tu namq; de purissima carne, & sanguine tuo panem nobis confecisti, panem videlicet viuum, qui de cœlo descendit, qui est vera vita, quemq; qui manducauerit mortem non gustabit in æternum. G
Hunc tu panem mendico mūdo Virgo dedisti: Hoc tu ipsum esurientem, & famelicum saturasti. Vnde de te etiam, sicut de Vnigenito filio tuo dici potest (modo tamen inæquali) quòd tu esurientes bonis implesti. Dico modo inæquali: quia tu de substantia tui corporis vnam partem accepisti, eamque esurienti mundo in refectionem dedisti. Tuus vero filius non tantum partem sui corporis, sed totum, & integrum corpus, & animam, & diuinitatem simul vnitam in hac vita, in cibum animæ hominibus dedit, sub specie tamen aliena. Verum in alia vita totum seipsum, totum corpus videlicet, & animam, & diuinitatem sub specie, propria in cibum H
corporis, & animę simul, & semper in ęterna illa beatitudine ipsis hominibus præstabit. Pro tanta igitur, & tam incredibili liberalitate tam filio tuo vnico Domino nostro, quàm tibi eius matri sanctissimæ, à qua tantum bonum nobis emanauit, sit laus & gloria, Per infinita seculorum secula Amen.

FINIS LIBRI OCTAVI.

DE VER-




DE VERBIS DOMINAE AD ELISABETH COGNATAM.

LIBRI NONI.

CAP. PRIMVM.

De quonam Israel in verbis Virginis sermo sit. Ipsum Israel nomen, in nominatiuo nè, an in accusatiuo sit positum. Per puerum suum, puer Iesus nè, an ipse Israel intelligatur. Et in quanam significatione nomen, puer, accipiatur.

Suscepit Israel puerum suum recordatus misecordiæ suæ. Luc. 1.

A 

Vo beneficiorum genera Maria in præcedentibus recoluit, illa videlicet, quæ sibi à Deo particulariter facta fuerunt, & illa etiam, quæ mundo vniuersaliter concessa extiterunt. Nũc post illorum commemorationem, commendationemq; ad singularem etiam ipsius Dei erga populum Israeliticum liberalitatem descendens: Suscepit, inquit, Israel puerum suum recordatus misericordiæ suæ.

B

Quæ Mariæ verba diuersi diuersimode interpretantur. Quidam

dam enim nomine Israel, vtrumq; populum iudaicum scilicet, & E
Gentilium intelligunt, quidam solum Gentilium, & quidam alij tantum Israeliticum. Inter eos, qui hunc locum explicantes per
Theopy. Israel, vtrumque populum intelligunt, est imprimis Theophylactus in Lucam, quo loco hæc Mariæ verba: suscepit Israel puerum suum, exponens. Vel carnales inquit Israelitas dicit, vel etiam de
Gers. spirituali Israel dicit. Deinde Ioannes Gerson tractatu 10. super Magnificat hanc locum explanans duplicem Israel commemorat, vnum populm Israeliticum, ex quo Christus carnem sumpsit, & alterum populum Gentilicum.

Quod verò attinet ad illos, qui tantum de populo Gẽtilico hoc F
D. Euse. nomen exponunt, inter eos est D. Eusebius Emissenus homilia feriæ sextæ ante 4. dominicam Aduentus. Venerabilis Beda in Aurea
Beda. cathena à D. Thoma allegatus: quorum ille, puerum, inquit, Israel dicit, non autem senem Israel: idest, non veteris, sed noui testamenti sectatores: Iste vero, Israel, inquit, dicit non materialem, quem sola nobilitabat appellatio; sed spiritualem, qui nomen fidei retinebat.

Deinde quod ad illos spectat, qui per Israel solum Iudaicum populum intelligũt. Ex istorum numero est imprimis Euthymius
Euthy. in Lucam, D. Bonauentura etiam in Lucam, Nicolaus de Lyra, G
D. Bona. & multi alij super hunc locum: qui omnes per Israel, populum
Nic. Lyr. Iudaicum aperte intelligunt. Omittimus vero singulorum verba hoc loco referre, tum vt breuitati studeamus: tum etiam vt ad verba vlteriora, videlicet, puerum suum, explicanda gradatim procedamus, in quibus, sicut credimus, multo maior lis est.

Nam sunt aliqui, qui volunt, per puerum suum, puerum Iesum hoc loco significari. Et secundum istos, verbum, suscepit, non est referendum ad Deum, sed ad populum Iudaicum puerum Iesum suscipientem: quasi Maria suum canticum concludens dicere velit. Ideo Magnificat anima mea dñum, Et exultauit spiritus meus H
in Deo salutari meo, quia iam Israel suscepit puerũ suum Iesum: Et iam Deus recordatus est misericordiæ suæ, mittendo filium suum mundi Saluatorem, sicut locutus est quondam ad patres nostros Abraham, & semini eius in secula, idest, successiue per singula secula, & ætates.

Quamquam vero istorum opinio probabilis sit: tamen illorum opinionem ego quidem probabiliorem esse existimo, qui verbũ,

suscepit,

A susceperit,non ad Israel,sed ad ipsum Deum,& verba, puerum suū, non ad Iesum referunt,sed ad ipsum Israel. Et secūdum hoc possunt quidem hæc verba dupliciter explicari. Primo ita vt sit sensus, quod Deus ideo dicitur suscepisse Israel, quia ex Israelitico populo humanam sibi naturam assumpsit. Id,quod valde cōgruit cum eo,quod ad Hebræos scribēs dicit Apostolus. Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. Secundo ita vt sit sensus, quod Deus ideo suscepisse Israel dicitur, quia more auxiliantis, succurrentis, ac manum porrigētis hunc populum ab hostibus saluandum, & ab omni malo liberādum suscepit. Et hic Heb. 2.

B sensus est doctrinæ Venerabilis Bedæ, & Euthymij hunc locum explicantium valde conformis. Ex quibus Euthymij verba hæc sunt. Auxiliatus est Israel puero suo. Beda vero, suscepit, inquit, Israel quasi medicus ægrum, quem curaret. Israelem vero nostra Virgo puerum vocat, secundum vsitatum scripturæ morem, in qua Israel, puer vocatur. Sicut patet ex illo. Quia puer Israel, & dilexi eum: & ex Ægypto vocaui filium meum. Beda. Euthy. Ose. 11.

Sed aduertendum est hoc loco, quòd nomen, puer, multa in scripturis sanctis significat. Præter quàm quod enim significat illum,qui est in tenera ætate,quæ pueritia dicitur,quæ à septimo vsque anno vsq; ad quartum decimum augumentari solet. Quandoq; tamen pręter multa alia, quę hoc loco recensere longum esset significat innocentem,& simplicem sine malitia: Et in hoc sensu intelliguntur verba illa Christi Domini. Sinite pueros venire ad me, & nolite vetare eos. Quandoq; significat ipsos Christi discipulos, sicut videre est apud Ioannem, vbi Christus post resurrectionem suam ad mare Tyberiadis se se suis discipulis manifestans dixit. Pueri nunquid pulmentarium habetis? Denique quandoq; tum filium, tum seruum significat. Quia vero duplex hæc pueri significatio est in scriptura sacra frequentissima, ideo necesse non est, ex ipsa autoritates mutuare, quibus hoc nomen, puer, pro filio,& pro seruo accipitur. C Luc. 18. Ioan. 21. D

Deinde aduertendum est, quod quamuis in tot significationibus,nomen, puer, accipiatur: tamen hoc loco in solis duabus postremis potest assumi. Et sic quando Virgo dicit: Suscepit Israel puerum suum. per puerum vel possumus intelligere filium, quo filij nomine Deus ipsum Israelem nonnunquam nobilitauit. Sicut patet ex illo Oseæ: Quia puer Israel,& dilexi eum, & ex Ægypto

vocaui

vocaui filium meum. Et ex illo etiam exodi vbi Deus Israelem E
filium, & non quomodocunque filium, sed filium primogeni-
Exod.4. tum vocat dicens. Filius meus primogenitus Israel. Vel etiam pos-
sumus intelligere seruum, in quo etiam sensu plerique ex Patrib⁹
hæc Mariæ verba exponunt.

Quod vero attinet ad sequentia huius versiculi verba, nempe memorari misericordiæ suæ, sicut est in Græco contextu, & in codicibus etiam Latinis, qui emendatius, & recentius impressi sunt, quomodo etiam legunt multi ex patribus. Siue recordatus misericordiæ suæ, sicut habent Latini codices antiquiores, & sicut
etiã legunt multi, ex antiquis patribus, & cantatur etiã quotidie in F
Ecclesia. Quod, inquam, attinet ad hæc verba siquis ea, sicut par est, perscrutetur, sanè inueniet, bene à Maria fuisse subiuncta. Quia quod Deus hominem, vt redimeret assumpsit, non humanæ
Beda. meritum conditionis, sed diuinæ donum pietatis extitit. Quid enim (vt Venerabilis Bedæ loco citato verbis vtar) post culpam præuaricationis, nisi iustam conditionis iram meruimus? Vnde restat, vt quotquot ad salutem, vitamque recuperamur æternam,
Abac.3. non hoc nobis, sed eius gratię tribuamus, cui dictum est: In ira misericordię memor eris.

G

C A P. II.

Dei filius non per alium, sed per se ipsum vniuersum Israelem suscepit saluandum.

Suscepit Israel puerum suum recordatus misecordiæ suæ. Luc. 1.



E I, ac Vnigeniti filij eius amorem, erga Israeliticum populum, venustè satis sub his verbis Maria expressit. Suscepit Israel puerum suum. Nihil sanè melius dici, nihil venustius excogitari posset, ad Dei nostri amorem erga istum populum ostendendum, ipsumq; ante omnium oculos clarissime proponendum. Multa Deus olim erga istum populum sui amoris insignia ostẽdit, propter quem Reges multos subuertit, H

A tertit, Pharaonem cum omni exercitu suo percussit, quē de Ægypto eduxit,& per aquam nimiam trāsuexit,cui ducem dedit Moysem, & Aaron sacerdotem, cui lucem per columnam ignis concessit, cui denique infinita alia beneficia pręstitit: Verum omne id longe superat,quod filius Dei,non iam per alios sicut antea faciebat,sed per seipsum suscepit, & in propria persona suscepit Israel puerum suum. Et quod magis est, non qualitercunque Israel suscepit,sed ipsum regendum,adiuuandum, defendendum, curandum,& per proprium sanguinem redimendum suscepit.

Quemadmodum medicos illos magis laudare solemus, non Simile.
B qui nos ægros ministris suis curandos committunt:sed qui palliū deponunt lintheolumq́ue succincti suis ipsis manibus ferrum accipiunt,& si sit opus vlcus incidunt, neque fœtorem vlceris auersantur,sed profluentem ex vlcere saniem excipiunt, atque vnguenta compingunt. Et sicut etiam illos Reges magis admirari,& laudibus exornare solemus, non qui regalibus in thalamis molliter enutriti omni deliciarum genere perfruuntur: sed quibus graue non est,pro subditis hominibus caput periculis obiectare: ita etiā filium Dei magis laudamus, qui per se ipsum, & non per homines,aut Angelos hunc populum quasi medicus ægrum curandū, Simile.
C & sanādum,& tanquam Rex seruum, & subditum defendendū, & liberandum suscepit. Et ideo nostra Virgo volens filij sui amorem erga istum populum ostendere, ipsumq́ue pro tanto amore magnificare,non refert multa alia beneficia præstita populo Israelitico,sed hoc solum, quod omnia alia superat. Suscepit Israel puerum suum.

Est tamen in his Mariæ verbis magnopere adnotandum, quod Virgo non dicit, quod Deus vnum tantum hominem, aut vnam tantum mulierem ex isto populo suscepit saluandos,aut redimendos: sed quod totum, & vniuersum Israel simul suscepit. Suscepit
D Israel puerum suum. Neque mirum. Nam si dies omnibus æqualiter nascitur: & si sol etiam super omnes pari, & æquali luce diffunditur: quanto magis Dei filius Sol, & dies verus hoc faceret? Simile.
Verè sine sexus varietate,sine annorum discrimine,sine acceptione personæ suscepit vniuersum Israel. Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ.

CAP.

E

CAP. III.

Israeliticus populus erga Dei filium, adeo ingratus extitit, vt vnum renueret recipere puerum Iesum, qui vniuersum venerat suscipere Israel puerum suum.

Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ. Luc. 1.

F



Sraeliticæ gentis ingratitudo tanta fuit, vt vnum nolet recipere puerum Iesum, qui totum venerat suscipere Israel puerum suum. O ingratitudo, & tanta ingratitudo, ingratitudo gentis iudaicę, quę vnum renuit suscipere Saluatorem, quem non vnius, sed omnium habuit susceptorem. Suscepit Israel puerum suum.

Verum, ita nè, inquies, fuit Israelitici populi gens ingrata, vt omnes simul reijcerent puerum Iesum, qui totum suscepit Israel puerum suum? Tametsi non omnes simul illum reiecerunt, tamen G paucissimi fuerunt, qui illum susceperunt: ex quibus non nullos hoc loco enumerabimus, inter quos primũ, & præcipuum locum obtinet nostra Virgo, quę tanquam vera Israelitica in qua dolus non erat suscepit puerum Iesum tanquam verum Messiam, redemptorem, & Saluatorem in lege promissum, & non solum suscepit illum mente, sed vtero quãdo dixit: Ecce ancilla Domini fiat mi-
Luc. 1. hi secundum verbum tuum. Tunc enim in eodem instanti opere Spiritus sancti corpus Christi fuit ex purissimis Marię sanguinib⁹ formatum, & perfecte organizatum, & à tota Trinitate anima fuit in illo corpore creata, & in eodem instanti tota illa humanitas fuit H à Verbo personaliter assumpta. Et sic Virgo nostra sanctissima, & purissima, in eodem instanti concepit, & suscepit in vtero suo virginali Iesum, verum, & perfectum Deum, & hominem tanquam mundi redemptorem.

Post Virginem nostram primum locum obtinet Ioseph eius sanctissimus, & Virginalis sponsus, qui ipsum puerum Iesum suscepit. Cum enim Maria inuenta esset, in vtero habens de Spiritu

sancto,

A sancto,& eius sponsus de illa tunc occultè dimittenda cogitaret, tunc Angelus,sicut Matthæus Euangelista refert,apparuit in somnis ipsi Ioseph dicens. Ioseph fili Dauid noli timere accipere Mariam coniugem tuam,quod enim in ea natum est de spiritusancto est. Pariet autem filium,& vocabis nomen eius Iesum, ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Hoc audito illico exurgens à somno Ioseph fecit sicut præcepit ei Angelus,& accepit coniugem suam,& non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum,& vocauit nomen eius Iesum. Ex quibus optime quidem infertur,quod non solum Ioseph accepit Ma- Matth. 1.
B riam tanquam matrem Dei, sed etiam puerum Iesum, tanquam verum Dei filium,& mundi redemptorem.

Post Mariam, & Ioseph eius sanctissimum Sponsum in tertio loco est D. Ioãnes Baptista, qui etiam suscepit puerum Iesum tanquam Dominum, & Saluatorem mundi: Et hoc quando Maria ingressa est domum patris sui Zachariæ, & salutauit matrem eius Elisabeth, quia tunc Ioannes exultauit in gaudio in vtero matris suæ,quæ plena spiritusancto Mariam tanquam matrem Dei recepit,& non solum Mariam, sed etiam puerum Iesum tanquã Dominum & Saluatorem mundi. Et ideo dicebat. Et Vnde hoc mi Luc. 1.
C hi,vt veniat mater Domini mei ad me? Ex quibus apertissime constat quod isti tres, scilicet Ioseph, Ioannes Baptista, & Elisabeth susceperunt Christum in Saluatorem,& Dominũ mundi,& tanquam talem eum recognouerunt adhuc in matris vtero existentẽ.

In quarto loco est etiam Zacharias pater ipsius Ioannes, qui in filij sui natiuitate plenus spiritusancto prophetauit dicens. Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ,quibus verbis, & alijs,quæ in eius cantico subsequuntur,ipse Zacharias annuntiat, & confitetur Saluatorem, & redemptorem mundi venisse,ad faciendam salutem,& redẽptio- Luc. 1.
D nem plebis suæ: confiteturque in Christo esse adimpletas omnes promissiones factas ipsi Abrahæ,& omnibus patriarchis, & prophetis de Messia mundi Saluatore,& redemptore,simulque prædicit filium suum Ioannem Baptistam futurum Christi præcursorem ad præparandas vias eius. Vnde etiam patet quod Zacharias suscepit Christum adhuc in vtero matris existentem,& illum tanquam Saluatorem,& redemptorem,& Regem Israel; & ex cõsequenti tanquam verum Messiam in lege,prophetisq; promissum.

In quinto loco sunt pastores, qui Angeli monitu venerunt, ad suscipiendum, adorandumq; Christum, in Betleem nouiter natū. E

In sexto loco fuerūt Magi, & fuit Simeō ille senex sanctus, & iustus, qui in tēplo puerū Iesum de manibus Virginis sanctissimę p̄sentatum suscepit, & hunc nō tanquā peccatorem, sed tanquā peccatorum omnium Saluatorem, & totius Israel à iugo legis liberatorem. Cumq; ipse Simeon, qui diu cùm maximo desiderio expectauerat redemptionē Israel, & ab spiritu sancto acceperat non visurum se mortē, nisi prius videret Christū Dñi, cognouisset in spiritu illum, qui sibi præsentabatur esse Saluatorē, & redemptorem mundi, statim eum in vlnas suas cùm gaudio, & lachrymis accipiens, Deū benedixit sic dicens. Nunc dimittis seruum tuū Dñe F
Luc. 2. secundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum. Vnde constat sanctissimum Simeonē, puerum Iesum quoque suscepisse tanquam Saluatorem, tanquam Messiam, & tanquam vniuersalem totius mundi redemptorem.

In septimo loco fuerūt Apostoli, & discipuli ipsius Christi, qui trigesimo anno, & tempore ostensionis, & manifestationis suæ ipsum susceperunt, simul cùm mulieribus quę ipsum sunt secutę vsque ad passionem, & sepulturam, & ex inde post missionem spiritus sancti suscepit etiam ipsum magna cōuersorum multitudo ex G ipso populo Israelitico, sicut constat ex ipsorum Apostolorum actis. Omnes isti à nobis sic enumerati, & multi alij, Christum susceperunt.

Sed isti omnes comparati ad reliquam ipsius Israeliticæ gentis multitudinē, quæ ipsum minime suscepit, paucissimi sane fuerūt. reliqui omnes omnino cęci remanserunt. Sed hoc non fuit culpa Saluatoris. De ipso enim dicit nostra Virgo, quod suscepit Israel puerum suum, hoc est, non determinate, neq; particulariter vnū, aut duos, sed absolute, & vniuersaliter omnes. Et ideo quod omnes alij cęci remanserunt, hoc non fuit culpa Saluatoris, sed ipsius H Israel cęci, & obstinati, qui noluit recipere puerum Iesum, verum Messiam, verum redemptorem, & verum Saluatorem suum.

Simile. Sicut cōmunis hic Sol æque quotidie se omnibus præbet, nec magis minusve irradiat vnum, quàm alium, sed in omnes ex ęquo exercet vim suam: attamen si quis acutiori visu polleat, plus eius splendoris recipit: non quod Sol magis in eum agat, quàm in cæteros, sed propter vim oculorum eximiam: si quis vero infirmus

habeat

A habeat oculos, nec contueri quidem tantam lucem poterit, propter eorum hebetudinem: Sic etiam Christus verus totius iustitię Sol, idemq; etiam verus Dei, & Virginis nostrę filius ex ęquo omni populo Israelitico affuit, nec magis, minusve vnum suscepit, quàm alium de quo indeterminatè, & absolutè sic dicitur. Suscepit Israel puerum suum. Quod vero istius veri Solis splendor alios illuminauerit, & alios non illuminauerit, quod Christus alios susceperit, & alios abiecerit, hoc non propter ipsius culpam prouenit, qui ad illuminationem omnibus ortus, omnibus sine inuidia porrexit suos radios, sine discrimine omnes suscepit: Sed illorum, qui oculos suos claudentes, videre huius Solis splendorem noluerunt, & se ipsos suscipientem puerum Iesum suscipere renuerunt.
B

Fuit hæc Israelitici populi ingratitudo tam eximia, & tam eximie singularis, propter quem Dei filius potissimè incarnatus est, & ex quo matrem non solum eligere, sed eius etiam cognatus dici dignatus est, & præter hęc illum docere, apud illum miracula facere, & suam virtutem ostendere: vt ipsemet Dei filius (sicut sequenti capite copiosius forsan à nobis dicetur) qui missus nō erat Mat. 15.
C nisi ad oues, quę perierunt domus Israel, hoc Israelitico populo relicto quęreret alium magis gratum, vt relicto Israel carnali susciperet spiritualem, Denique vt relicto veteri Israel susciperet nouum, & quod magis est, vt relicto suo susciperet alienum, postquā vidit, quòd in propria venit, & sui eum non receperunt. Ioan. 1.

CAP. IIII.

Deus propter ingentem veteris, & carnalis Israelis ingratitudinem, nouum, & spiritualem Israelem suscepit, ipsumque nouum Israelem, quem antea hebebat ad sinistram, ad dexteram suam collocauit: & veterem Israelem ad sinistram suam posuit, quem antea habebat ad dexteram.
D

Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordię suæ. Luc. 1.

DE magno illo, & sancto Patriarcha Ioseph ipsa diuina scriptura narrāte didicimus, quod vbi illi nunciatū est, qd senex

 Iacob

Iacob pater eius ægrotaret, statim ad illũ, duobus secũ assumptis E
filijs Ephraim, & Manasse ire festinauit, qui ante patrem senem ęgrotum, & qui præ nimia senectute iam caligantibus oculis clare videre non poterat, constitutus (omissis alijs, quæ ibi interuenerunt) de patris gremio filios tulit, quorum Ephraim minorem natu, pro suscipienda benedictione ad sinistram, maiorem vero natu Manassem ad dexteram patris collocauit. Verum senex, qui plus mentis oculis, quã corporis videbat, ipsos benedicere volens manus suas commutauit, & dexteram posuit super caput Ephraim minoris fratris, sinistram autem super caput Manassem, qui maior natu erat. F

Hęc omnia pręsenti loco ideo adducimus, vt ostendamus taliter quidem euenisse duobus istis populis Israelitico, & Gentilico cùm Deo, qualiter euenit duobus illis fratribus Ephraim, & Manasse, cum sui patris Ioseph patre, & patre sene Iacob. Sicut duo filij Isaac, nempe Iacob, & Esau figuram gesserunt istorum duorum populorum, Iudaici scilicet, & Gentilici, quamuis quantum ad carnis propagationem pertinet (sicut lib. 3 in Genesim cap. 36. etiam adnotauit D. Eucherius) nec Iudæi venerunt de semine Esau, sed Idumęi: neque Christianæ gentes de Iacob, sed potius Iudęi: ita etiam isti duo filii Ioseph figuram gesserunt istorum populorum, quorũ maior gessit typum Iudæorũ: minor vero Christianorũ. Et sicut etiam Ioseph duos filios habuit Ephraim, & Manassem, quorum minorem natu Ephraim, qui erat ad sinistrã, Iacob prætulit maiori natu Manasse, quem habebat ad dexterã, manum dexteram ponens super minorem, quem habebat ad sinistrã, sinistrãm vero super maiorẽ, quem hebebat ad dexterã. Ita etiam Deus duos istos populos habuit, tanquã duos filios. Illorũ maior natu erat populus Israel, iuxta illud: filius meus primogenitus Israel. Minor natu erat populus Gentilis. Verum Deus super duos istos populos manus cõmutauit, & super maiorẽ natum, quẽ antea habebat ad dexteram, posuit sinistram, super minorem vero, quem habebat ad sinistram, posuit dexteram.

Simile. D. Euche. G H Exod. 4.

Nec hoc mirum cuiquam esse videatur. Nam si Iãcob nimia iam senectute oppressus, & adeo oppressus, vt præ ipsa senectute iam caligarent oculi eius, mentis oculis, & non corporis futura præuidens, talem fecit manuum commutationem, vt dexterã quidem poneret super minorem natu Ephraim, qui frugifer, siue

fructifi-

A fructificatio interpretatur: sinistram vero super maiorẽ natu Manassem, per quẽ oblitus, siue obliuio significatur: quomodo Deus, qui ipsi Iacob dedit in spiritu futura prę videre, & cuius oculis iuxta dictum Apostoli, omnia nuda sunt, & aperta, Israelitici populi in Manasse figurati ingratitudinẽ, & tantorum beneficiorum obliuionem, non dicam, antea præuidens, sed postea in filij sui incarnatione re ipsa experiens, illi Gentilicum populum, per Ephraim significatum non præferret? Quomodo istius populi augmentũ, & fructificationem, & illius sterilitatẽ præuidens, super istum dexteram manum, hoc est, suam electionem, suam misericordiam, suã B gratiam, & suum auxilium: super illum vero sinistram, hoc est, reprobationem, & reiectionem nõ collocaret? Verè præuidit Deus hæc omnia, præuidit etiam nostra Virgo: præuidit vnius populi ingratitudinem, & alterius gratitudinem erga susceptorem suum, erga Saluatorem suum. Et ideo dixit. Suscepit Israel puerũ suum. Ac si apertius diceret: Suscepit Deus Israel nõ ingratum, sed gratum: nõ carnalem, sed spiritualem; nõ veterem, sed nouum: nõ sterilẽ, & infrugiferũ, sed feracem, & frugiferũ: Deniq; nõ senẽ, sed puerũ: Suscepit Israel puerum suũ, recordatus misericordię suæ. Matth. 4.

Verè si ad ea, quę retroactis temporibus, populo isti Israelitico C à Deo facta sunt, mentis aciem conuertere voluerimus, proculdubio inueniemus, maximis semper hunc populũ fuisse ab ipso Deo beneficijs affectum: sed ipsum nihilominus semper Deo extitisse ingratum, semper omnium eius beneficiorum summè immemorem. De Ægypto eductus, & in desertum adductus populus iste, cum ibi esuriret, & ad Dominũ clamaret, doluit Dominus gemitus eius, & dedit illi manna in escam, panem angelorum manducauit. Cum sitisset, petram percussit, & fluxerunt aquæ in saturitate. Propter æstum folijs arborum eum contexit: diuisit illi D terras pingues. Quid plura? in deserto cum esset, in flumine amorrẹo sitiens, & blasphemans nomen Domini, nõ ignem ei pro blasphemijs misit: sed mittens lignum in aquam, dulce fecit flumen, vt biberent. Denique semper istum populũ Deus, vt filium habuit, amauit, & rogauit, & tamẽ semper in sua obstinatione permansit, & Domini vocem nunquam audire voluit. Hinc vox illa Domini cõquerentis, ac dicentis. Nonne ego vos rogaui, vt pater filios, & vt nutrix paruulos suos, vt essetis mihi in populũ, & ego vobis in Deum, & vos mihi in filios, & ego vobis in patrem? 4. Esd. 1.

Ita vos collegi, vt gallina pullos suos sub alas suas. Modo autem E
quid faciam vobis? Proijciam vos à facie mea. Hoc est, à facie cognitionis meæ, siue à cognitione mea, nõ vos vlterius cognoscam, vestri non recordabor, sed vestri obliuiscar, vos derelinquam, qui me dereliquistis. Transferam me ad alias gentes, & dabo eis nomen meum, vt custodiant legitima mea. Cõmmabo manus meas, & vos, qui vsque nunc fuistis ad dexteram meam, remanebitis ad sinistram meam, propter vestram ingratitudinem, propter vestrã sterilitatem, & super populum, qui vsque adhuc fuit ad sinistram meam, propter eius gratitudinem, & fructificationem ponam dexteram meam. F

CAP. V.

Iudæi in morte Christi suæ ingratitudinis mensuram impleuerunt. Deus propter hanc ingratitudinem, eos dereliquit, licet non ex toto.

Suscepit Israel puerum suum recordatus misericordiæ suæ. Luc. 1. G



VEre erga vtrumque populum Israeliticum, & Gentilicum, magna Dei nostri dignatio, & indignatio fuit. Dignatio, inquam, erga puerum Israel, quem suscepit, & indignatio erga Senem Israel, quem reiecit, & propterea reiecit, quia licet semper per omnia retro acta sæcula fuerit Deo ingratus, & eius beneficiorum oblitus: tamen tunc totius suæ ingratitudinis mensuram impleuit, quando Deus misit filium suum in mundum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant redimeret: redimeret, inquam, non corruptibilibus auro, & argento, sed pretioso sangnine filij sui. Tunc enim Iudæi non modo Dei filium non receperunt, neque eum tãquam verum Messiam, & verum redemptorem cognouerunt: sed etiam ipsum interfecerũt, & sic sine eius passionis fructu sine suo Messia, & sine suo saluatore omnino remanserunt: & quod magis est, illum, quẽ tunc non cognoscere, nec recipere voluerunt, & propterea sine illo remanserunt, nunc adhuc expectant, quia tunc nec ad eius cognitionem, neque ad virtutem passionis eius peruenire potuerunt. H

Galat. 4.
1. Pet. 1.

Sicut

A Sicut dico illi pueri Abrahæ non peruenerunt ad locum sacrificij, sed cum asino expectarunt, donec ab ipso sacrificio Abraham reuerteretur: Ita Iudæi, qui per istos duos pueros optimè significantur, cùm carnaliter viuerent, & carnaliter saperent, non intellexerũt humilitatem Christi, nec virtutem passionis Christi: sed expectant nunc cùm asino, hoc est, cum sua stupiditate, & stultitia adhuc Messiam expectant, qui iam venit, & iam puerum Israel suscepit. Suscepit Israel puerum suum. Simile. Genes. 22.

Sed Iudæi hoc intelligere nolentes meruerunt, vt ipsis relictis propter quos Christus præcipue veniebat, susciperet Israel puerũ B suum. Hoc est nouum papulum Gentilem, qui Deum videret, qui Christum pro nobis mortuum verum mundi Saluatorem, & redemptorem per fidem agnosceret, & in eius fide fructificaret, id, quod ipsi Iudæi minime facere voluerunt, qui tantis Christi miraculis, tantis prædicationibus, tanto denique & tam pretioso sanguine pro ipsis in sua passione, & morte effuso nihil penitus profecerunt, sed semper infructuosi, & in frugiferi remanserunt. Et hinc effectum fuit, quod ipsis relictis Deus suscepit Israel puerum suum.

Vtrumque in mysteriosa illa Petri, & aliorum Christi discipu- Ioan. 21.
C lorum piscatione videamus. Narrat Euangelista Ioannes, quòd cum Petrus, & alij discipuli post Christi resurrectionem tota nocte piscantes nihil caperent, quod apparuit illis Iesus eos sic interrogans. Pueri nunquid pulmentarium habetis? Et ipsis respondentibus, non: Dixit. Mittite ad dexteram nauigijs rete, & inuenietis. Quid melius per istam discipulorum Christi piscationẽ, quàm ipsorum ad Iudæos prædicatio significatur? Piscabantur discipuli, & tota nocte laborantes nihil capiebant, quia obstinati Iudæi ex eorum prædicatione nihil proficiebant. Tunc mane facto; hoc est, transacta passionis, & mortis nocte, & facto iam D resurrectionis mane, apparuit illis Iesus dicens: Mittite ad dexteram nauigij rete. Ac si diceret. Video ò discipuli, video quod vsque modo ad sinistram nauigij laborastis, video quod vsq; modo huic populo Israelitico prædicastis: video etiam quod ex vestra prædicatione populus iste ingratus nihil proficere vult, sicut nec ex mea etiam proficere voluit. Propter hoc ego cõmuto manus meis: Et sicut eorum pater Iacob super Manassem oblitum Simile. posuit sinistram suam: ita ego super populum istum ingratum, & Gen. 48.

meorum beneficiorum omnino oblitum ponam nunc finistram E
meam. Et ideo in huius rei signum vobis dico, quod non iam ad finistram nauigij laboretis: sed mittite ad dexteram nauigij rete. Vestræ doctrinæ, vestræ prædicationis rete super Gentilicum populum expandite super quem ego posui dexteram meam, sicut Iacob super Ephraim posuit dexteram suam. Hic enim est verus Ephraim, hic est populus frugifer, quem elegi, hic puer meus Israel, quem suscepi, ideo veterem Israel relinquentes, ite & prædicate
Matth. 16. huic nouo Israel. Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ.

Simile. Sicut agricola cum post multos labores, & ærumnas sterilem F
videt agrum, neque digna laboribus mercede respondentem, non pari alacritate, & studio illum seminat, & colit, sed in alio fertiliori
Simile. culturam exercet. Et sicut medicus videns infirmum suis præceptis non obtemperare, sed quotidie illis vacare, quæ morbum incrudescere faciunt, sæpenumero in sua illum ægretudine derelinquit, & in alio obedientiori infirmo suæ artis peritiam demonstrat. Ita Christus populũ Israeliticum sterilem, & inobedientem dereliquit, & obedientem, & frugiferum Israel suscepit: Suscepit Israel puerum suum. Et in isto puero Israel excollendo suæ doctrinæ, & suæ prædicationis virtutem ostendit. G

Sed nunquid, inquies, ex toto repulit, & dereliquit Deus populum Israeliticum? Absit. Non ex toto repulit Deus populum istũ.
Rom. 11. quia iuxta dictum Apostoli: Non repulit Deus plebem suam, quam præsciuit, nec sua doctrina illum destituit. Sed propter maiorem istius populi ingratam multitudinem ad gentes se transtu-
Heb. 1. lit, & propter eos, qui ex isto populo hæreditatem caperent salutis, illis reliquit Iacobum Alphęi fratrem Domini, eundemq́; iustum nominatum, qui propterea non legitur in externas profectus esse prouincias, sed qui Hierosolymorum creatus erat episcopus in eodem loco remansit, nec sicut cęteri ad gentes in diuersas orbis H
partes abire permissus est, ne Iudæi, quorum causa munus illud susceperat omnino derelicti, & Christiana doctrina destituti ha-
Simile. berentur. Quemadmodum aquarum venæ etiam si omnes nõ veniant aquatum, tamen manant: & fontes licet vniuersi ex ipsis non exhauriant, tamen scatebras emittunt: & amnes tametsi cuncti non bibant, nihilominus fluunt: Sic Christus verus Dei filius licet omnes Iudęi suam, & suorum discipulorum doctrinam non

perci-

A perciperent, tamen propter illos paucos, qui illam capiebant, illis reliquit Apostolos, qui prædicarunt.

CAP. VI.

Mundo pro Dei filio suspiranti, & propter eius moram quasi diffidenti, Christi in carne præsentiam Virgo annuntiat. Christus hominem, quem diabolus in horto terrestris paradisi deiecit, in horto vteri virginalis erexit.

B

Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ. Luc. 1.

FILII Dei in carne præsentia adeo erat olim in mundo desiderata, vt longus huius desiderij ardor, sanctos illos veteris testamenti patres, non solum conficere, sed etiam, vt aliquibus lõga expectatione defatigata fides, omnino iam deficere videretur. An non desiderij ardor eos penè
C conficiebat, qui dicebant: Veni Domine, & noli tardare, mitte quem missurus es: & alia huiusmodi? An non in illis fides quasi deficiebat, qui tam longæ expectationis tędio moti aduersus Dei promissa murmurabant, & murmurantes dicebant; Manda remanda, expecta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi: Nutantem istorum fidem videntes multi ex sanctis, diuini honoris zelo accensi, alij anxias, & plenas pietate preces effundebant dicentes: Suscita precationes quas locuti sunt in nomine tuo prophetæ priores, da mercedem Domine sustinentibus te, vt prophetę tui fideles inueniantur. Alij vt nutantem infidelis populi fidem solidarent, blandas, & omni consolatione plenas promissiones illi faciebant dicentes. Ecce apparebit Dominus, & non mentietur si moram fecerit expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit. Et item Prope est, vt veniat tempus eius, dies eius non elongabuntur.

Isa. 28.
Eccles. 36.
D
Abac. 2.
Isa. 14.

Itaque ne moram faciente Dei filio alii desiderio, alii vero desperatione perirent, tales sancti consolationes afferebant: sed neque sic ad plenum sufficiebant, aut suspirantium desiderium miti-

mitigare, aut infirmantium fidem solidare. Sola Virgo ad hoc E
expectabatur, sola eius suauissima vox requirebatur, quæ ad plenum, & perfectorum desiderio satisfaceret, & imperfectis etiam fidem faceret, iam in terras aduenisse Dei filium, iam esse incarnatum. Et ideo vbi eum Virgo in suo purissimo vtero concepit, statim exclamare cœpit: Suscepit Israel puerum suum. Ac si diceret: Cesset iam, cesset infidelis populi vetus querela, cessent querulæ illæ, & plenæ murmure voces, cessent etiam suspirantium ardentia desideria, & desiderātium longa suspiria, quia qui promittebatur ecce iam præsens est, & qui loquebatur ecce iam adest, iam enim in meo vtero homo factus est. Suscepit Israel puerum suum, F
recordatus misericordiæ suæ.

O Virginem sanctissimam, Virginem purissimam? Et quis melius Virgo beatissima, quis melius Virgo purissima, quis melius hoc nuntium, nuntium lætissimum, & omni consolatione plenissimum mundo dare poterat quàm tu? Quàm tu, inquam, quæ es hortus ille conclusus, in quo Deus iacentem hominem erexit, quē diabolus in horto terrestris paradisi deiecit.

Tres sunt horti in quos Dei filius intrauit, vt hominem, quem in horto perdiderat, in horto etiam recuperaret. Primus hortus fuit huius integerrimæ Virginis sanctissimus vterus, in quo ipse G
Dei filius hominem prius cœpit recreare, quàm mundo se in carne manifestare.

Secundus hortus fuit ille, in quem Dei filius mundo per tot annos iam manifestatus ante passionem, cum suis discipulis intrauit. vt hominis redemptionem ibi inciperet, quam moriendo, in cruce perficeret. De isto horto agit Euangelista Ioannes cùm di-
Ioan. 19. cit. Egressus est cum discipulis suis transtorrentem Cedron, vbi erat hortus in quem introiuit ipse, & discipuli eius.

Tertius hortus fuit ille, in quo erat nouum illud monumentum. in quo ipse Dei filius post passionem, & mortem suam. sepultus H
Ioan. 18. est. & de hoc dicitur. Erat autem in loco vbi crucifixus est, hortus, & in horto monumentum nouum, in quo nondum quisquam positus fuerat: ibi ergo propter parasceuen Iudæorum, quia iuxta erat monumentum, posuerunt Iesum. In hoc horto post resurrectionem suam, Mariæ Magdalenæ existimanti quòd hortolanus esset Christus apparuit, vt in horto ostenderet, se, hominem, quem in horto perdiderat, in horto iam recuperasse.

Itaque

A Itaque in omnes istos tres hortos Christus intrauit, in quorum duobus vltimis operatus est nostram reparationem, & in primo nostram incepit recreationem: Vt inde inciperet nostra reparatio, vnde inceperat nostra perditio: & vt sicut in horto terrestris paradisi fuit nostra deiectio, ita in horto vteri virginei fieret nostra susceptio, quam tota exultabunda mundo Virgo annuntiat, & annuntiando exclamat: Suscepit Israel puerum suum recordatus misericordiæ suæ.

In quibus Mariæ verbis hoc etiam adnotare, nos decet, quod suscepit Virgo dixit: hoc est, sursum accepit: siue in suum accepit.
B Duo enim hæc significat verbum, suscepit: & duo etiã hæc operatus est Dei filius incarnando, & hominem sursum accepit, hoc est, per peccatum deiectum erexit: & ipsum hominem in suũ accepit, humanam carnem in suam carnem assumendo, & suam postea vocando cum dixit: Caro mea vere est cibus. Hæc duo Ioan. 6. significat igitur nostra Virgo cùm dicit: Suscepit Israel puerum suum.

CAP. VII.

C *Deus totam humanam naturam saluandam suscepit: ipse qua de causa, naturam potius humanam, quàm Angelicam, redimendam susceperit.*

Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ. Luc. 1.

QVamquam nomine Israelis tria in scriptura sacra significentur, videlicet, Israelis particularis persona, de qua dicitur. Non vocaberis vltra Iacob, sed Israel appella Genes. 32.
D bitur nomen tuum: Particularis populus de quo dicitur: Vniuersus Israel secutus est Absolon. Et particulare regnum de quo etiam dicitur. In Iacob in habita, & in Israel hæreditare: 2. Reg. 15.
tamen hoc loco nomine Israelis, tota natura humana significatur, Eccles. 24.
Et ideo hoc quod Virgo dicit: Suscepit Israel puerum suum, tantum valet, ac si diceret: Suscepit non hominem, aut personam particularem: non Israel populum peculiarem: non regnum Israelis singulare: sed vniuersam naturam humanam assumpsit: vt ei suam

ei suam naturam communicaret, vt suam gratiam ei tribueret, & E
vt denique eam ab inimicis, & peccato liberaret, & in cœlo glorificaret. Suscepit Israel puerum suum.

O gratiam super omnem gratiam. O donum super omne donum.
Heb. 2 Donum, quod considerans D. Paulus quasi totus stupore plenus dixit. Nusquam enim Angelos apprehēdit: sed semen Abrahæ apprehendit. Neque immerito tantam Dei erga genus humanum benignitatem, tantam charitatem, tantum studium, tantam curam, & tantam etiam ipsius generis humani dignitatem consi-
D. Chrys. derans D. Paulus quasi stupet. Quia (sicut homilia in Epistolam ad Hebręos inquit D. Chrysostomus hunc D. Pauli locum explanans) est reuera magnum, est admirabile, est stupore plenum carnem nostram sursum sedere, & adorari ab Angelis, & Archangelis, & Cherubin, & Seraphin. Acceperunt Angeli in sua creatione multo plus quàm homo non nego. Sed homini, qui minus Angelis acceperat in sua creatione, plus collatum est in sua glorificatione per gratiam. Non enim natura humana adorat supra se naturam Angelicam: sed natura Angelica adorat humanam, quam Dei filius ad hanc dignitatem tunc euexit, quando in sanctissimo matris vtero: Suscepit Israel puerum suum. F

Verum his omissis, quæret à nobis aliquis hoc modo: Quare G
Deus potius suscepit naturam humanam, quàm angelicā? Quare etiam potius illam, quam istam, suscepit redimendam? Ad istorū primum respondemus. Quia homo redimendus erat morte filij Dei, & non Angelus, ideo non angelicam naturam assumpsit, quę mortem non potest pati, sed humanam in qua mori potuisset.

Quod vero attinet ad secundum, nempe, quare Deus potius humanam, quam angelicam naturam suscepit redimendam: dicimus quòd huius rei multæ possunt rationes assignari, inter quas prima sit: Quod ideo Deus potius suscepit humanam, quàm angelicam naturam redimendam, quia angelica natura non tota perierat, sed ex parte perstiterat: humana vero tota perierat, & ideo nè tota perderetur, redempta est, vt inde ruina suppleretur angelica. H

Secunda ratio est, quia Angelus sine occasione, sine tentatione extrinseca, sed ex mera, & propria malitia, ex propria sponte peccauit: homo verò à muliere inductus, quæ prius à serpente dece-
1. Cor. 11. pta est. Sic enim de illa testatur Paulus sic dicens: Serpens sedu-

xit

A xit Euam astutia sua. Et ipsa etiam Eua à Deo reprehensa respondit: Serpens decepit me. 1. Cor. 11. Gen. 3.

Tertia huic annexa ratio est, quia singuli Angeli propria voluntate peccarunt: homines vero vnius tantum Adami volũtate prolapsi sunt. Et ideo decuit, vt illi, qui vnius voluntate corruerant, vnius etiam Christi beneficio redimerentur. Teste enim Apostolo: Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. 1. Cor. 15

Quarta ratio est, quia peccatum hominis originale, non fuit actuale, nisi in solo Adamo: peccatum vero Angeli fuit actuale
B non solum in Lucifero, sed etiam in omnibus Angelis, qui peccauerunt. Et quia etiam homo de suo peccato à Deo reprehensus peccatum cognouit, & de illo pœnitẽtiam egit. Angelus vero post peccatum ita obstinatus, & induratus remansit, vt de suo peccatõ neque pœniteret, neque pœnitere vnquam potuerit.

Quinta ratio est, quia Deus creauit has duas naturas Angelicã, & humanam, cum hoc ordine, & cùm hac conditione, quòd natura angelica peccando non posset amplius surgere: natura vero humana hoc posset per diuinam gratiam.

Sexta ratio est, quia humana natura imbecillior est, quàm an-
C gelica. Nam illa tegmen carnis habuit: hęc vero nihil infirmum de carne gestauit: Quia Angelus est solum spiritus: homo vero est spiritus & caro. Et ideo misertus creator, vt redimeret, illam naturam ad se debuit reducere, quam in perpetratione culpę, & infirmitate aliquid constat habuisse Hinc bene psalmista cum misertum creatorem hominibus diceret, hanc quoque misericordiæ causam expressit sic dicens. Recordatus est, quia caro sunt. Ac si diceret. Quo eorum infirma vidit, eò districtè culpas punire noluit. Psal. 77.

Septima, & vltima ratio est, quia omnia creata sunt, non pro-
D pter Angelum, sed propter hominem, & ipse propter Deum, qui non putauit cõtemnendum eum, cuius gratia cuncta creauerat. Et ideo hominem potius suscepit redimendum, quàm Angelum.

Ex his omnibus optime liquet quare & Deus hominem potius redemerit, quàm Angelum, & nostra Virgo potius dixerit: Suscepit Israel puerum suum, quàm suscepit Angelum primogenitum suum. Nam Angelus pręter quàm quod erat naturę excellentioris, & firmioris, nullum post peccatum habuit neque pudorem,

neque

neque Dei timorem. Homo vero præterquam quod erat naturę E
deiectioris, & infirmioris postquam peccauit, & Dei timorē habuit,& pudorem. Vocem tuam Domine audiui,inquit,ille, in pa
Gen. 3. radiso,& timui eo quod nudus essem, & abscondi me. Misertus est ergo Deus hominis timentis se, & se prę naturę suę infirmitate offendentis. Misertus est timentis, quia quemadmodum miseretur pater filiorum,ita misertus est Dominus timentibus se. Misertus est etiam prę naturę infirmitate, & imbecillitate peccantis, &
Psal. 102. offendentis: Quoniam ipse cognouit figmentum nostrum, recordatus est quoniam puluis sumus,homo sicut fœnum.

F

CAP. VIII.

Diuinæ incarnationis beneficium, non humanis meritis, sed filij Dei misericordiæ esse tribuendum, Maria docuit. Deus cùm hominem se fecit, cuius misericordiæ fuit recordatus.

Suscepit Israel puerum suum recordatus misecordiæ suæ. Luc. 1.

G



IVINI Verbi in carne pręsentiam postquam Virgo mnndo manifestanit,per verba ista: Suscepit Israel puerum suum: pergit deinde ad eruendam ab hominum pectoribus omnē extollentiam. Ne enim homines elati,& vana aliqua præsumptione inflati,tantum, tamque singulare beneficium humanis potius meritis,quā diuinę gratię,& misericordiæ,cui illud tribuendum est, assignarent,ostendit Virgo Deum suæ misericordiæ recordatum, suscepisse Israel puerum suum. Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ. Quasi apertius Virgo diceret. Nemo me H
audiens fallatur, nemo decipiatur, nemo in fraudem inducatur existimans,quod si Deus puerum suum Israel suscepit,propter ipsius merita suscepit: ad hoc enim quòd Deus Israel suscepit, & hominem se fecit, nec hominum merita concurrerunt, nec opera. Non Abrahæ fides, non Moysis mansuetudo, non patientia Iob,non Ieremię planctus,non virtutes patriarcharum,neque orationes

A tiones prophetarum: sed solius suæ misericordiæ recordatus hoc fecit. Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suę.

Euangelista Matthæus totam Christi genealogiam secundum carnem statim in principio sui Euangelij contexens, ideo diuino spiritu afflatus inter alios, multos, eosque nequissimos homines enumerat, ex quorum semine illi profluxerunt, qui Christi patres secundum carnem extiterunt, quia si Christus ex solis sanctis, & iustis nasceretur, & de istis solis in sua genealogia mentio fieret, facile quisquam posset existimare, Deum propter bona eorum opera & sanctitatis merita ex eorum stirpe humanam carnem accepisse. Vt ergo Euangelista ostenderet, non aliqua humana merita, sed solam misericordiam diuinam, tanti boni causam extitisse, ideo multos nequissimos homines in Christi generatione adduxit, vt exinde cognosceretur, Deum cùm hominem se fecit, non ad istorum merita, sed ad solam suam misericordiam attendisse. Eodem modo fecit nostra Virgo: nè enim crederetur, quod Deus ad humana merita, & non ad suam misericordiam respiciẽs hominem se fecit: postquam præmisit suscepit Israel puerum suũ: Solerter adiecit, atque ait: recordatus misericordiæ suæ. Simile. Mat. 1.

B

Sed cuius nam misericordiæ recordatus est Dominus, cùm hominem se fecit? Eius quam Dauid sanctus postulabat, & sub his verbis ipsum Deum ad sui miserendum inuitabat. Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. An non putas, quod opus erat, vt magnæ suæ misericordiæ Deus tunc recordaretur, quando mundus in magna erat miseria? Cum enim obiectum diuinæ misericordiæ humana miseria sit, vbi maior erat miseria, ibi quoque maior fuit à Deo impensa misericordia. Vbi abundauit delictum superabundauit & gratia, dicit Apostolus. Nunquam mundus in maiori miseria fuit constitutus, quàm quando Dei filius humanam carnem assumpsit: tunc enim ad totius miseriæ cumulum peruenit, Deo sic permittente, vt cùm præ miseriæ magnitudine mundus esset iam quasi desperatus, tunc magnæ suæ misericordiæ ipse recordaretur, vt mundum liberaret. Sicut excellentissimus medicus infirmos ab alijs desperatos libenter curat, vt artis suæ vim in illis medendis ostendat: Ita Deus vt suam misericordiam hominibus manifestaret, cùm ipsi essent iam quasi desperati præ peccatorum ægretudine, & magnitudine, tunc suæ misericordiæ recordatus eos sanandos, & redimendos Psal. 50. Rom. 5. Simile.

C D

dos

dos suscepit. Suscepit Israel puerum suum, recordatus miseri- E
cordiæ suæ

Omnibus retro actis temporibus Deus expectauit, vt vniuersum malum, vniuersa peccatorũ infirmitas panderetur, vt quando totus morbus esset manifestus, tunc ipse suæ misericordiæ medicinam adhiberet. Sicut medici cum febris adhuc intus corpus succendit nullum adhibent remedium, neque aliquod ægroto ex cibis conferunt auxilium, sed expectant donec malum ad summum increscat, vt tunc remedia apponant. Ita Dei filius expectauit, vt vniuersa peccati malitia, & ægretitudo manifestaretur, & cum manifestata fuit, tunc pharmaca adhibuit, tunc suæ misericordiæ F recordatus, & hominem se fecit, & Israelem suscepit. Suscepit Israel puerum suum recordatus misericordiæ suæ.

Simile.

CAP. IX.

Deus adeo est miserendi cupidus, vt modis multis vteretur, sua vt nunquam misericordiæ obliuisceretur.

Suscepit Israel puerum suum, recordatus miseri- G
cordiæ suæ. Luc. 1.

MINIME hoc loco prætermittendũ putamus hoc, quod Virgo dicit, nempe recordatus misericordiæ suæ. Cum ergo à Virgine audimus Deum recordatum misericordiæ suæ, non hoc quomodocumque intelligamus, sed sicut dignum est de Deo intelligere, ita intelligamus, & crassa hęc verba, solùm nostræ naturę infirmitati ascribamus. Nam quantũ ad ineffabilem ipsius Dei naturam attinet, indignum sane fuisset hoc verbum: quantum vero ad nostram infirmitatem, imbecilli- H tatemque spectat, appositissimè est à nostra Virgine prolatum. Cum ergo Virgo dicit: recordatus misericordiæ suæ. Non intelligamus, in Deo nunc esse obliuionem, & postea recordationem, sicut in nobis ipsis contingit: sed intelligamus Virginem ipsam de Deo metaphoricè loqui. Sicut enim ille, qui aliquid se nobis daturum promisit, quandiu promissum non implet, rei promissæ quasi oblitus dicitur. Ita Deus, qui filium suum totius mundi redemptio-

Simile.

A demptorem promiserat, quandiu ipsum filium non dabat, & in mundum non mittebat, videbatur quasi oblitus tanti promissi. Verum postquam illum misit, tunc Deus, qui antea videbatur oblitus dicitur suæ misericordiæ recordatus. Et ideo per metaphorā de Deo dicit nostra Virgo. Suscepit Israel puerum suum recordatus misericordiæ suæ.

Sed quomodo Dominus suæ misericordię non recordaretur, qui tantis semper modis vsus est, vt eius nunquam obliuisceretur? Nam sicut nos tribus remedijs vti solemus, vt ea, quæ volumus Simile. memoria retineamus: aut enim in sudariolo nodum damus: aut B indigito aliquid ligamus: aut in libro scriptitamus: ita omnibus istis tribus remedijs Deus vsus esse videtur (metaphoricè tamen de eo semper loquendo) vt nunquam suę erga nos promissionis obliuisceretur. Imprimis enim indissolubilem nodum dedit, & tunc dedit quando filium promittēdo se specialiter Abrahæ obligauit, cui primo facta est à Deo de Christo repromissio. Benedicam, inquit illi Deus, benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi, atque in te benedicentur vniuersæ cognationes terræ. Et iterum. Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, sicut stellas cęli, & velut arenam, quæ est in littore maris, possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, & benedicentur in semine tuo omnes gētes terræ. Hinc etiam de Abraham dicit Apostolus. Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius. Gen. 12. Gen. 22. C Galat. 3.

Deinde fecit Deus signum in digito suo. Et quid dico signum? immo multa signa in digito suo, hoc est, in Spiritusancto, operatus est, propter quæ omnino stupefacti malefici Pharaonis dicebant: digitus Dei est hic. De hoc etiam Dei digito locutus est Christus Exod. 8. cùm dixit. Porro si in digito Dei eijcio demonia profectò peruenit in vos regnum Dei. Hoc suo digito significauit Deus, & in cordibus, & linguis prophetarum scripsit quæcūque ipsi de filio suo Luc. 11. D prophetarunt. Et ideo D. Petrus. Hoc primum intelligentes, inquit, quod omnis prophetia propria interpretatione non fit, non enim voluntate humana illata est aliquando prophetia, sed Spiritusancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines. 2. Pet. 1.

Denique vt Deus semper recordaretur promissionis suæ factæ de mundi redemptore vsus est etiam tertio remedio, scripsit in libro. Et ideo in persona Christi dicit propheta. In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam Deus meus volui. Psal. 39.

Idque est valde conforme, cum illo quod in propria persona ipse E
Ioan. 6. dicit Christus: Descendi de cœlo non vt faciam voluntatem meã, sed voluntatem eius, qui misit me. Itaque omnibus istis tribus remedijs vsus est Deus, vt recordaretur ad implere quod tanto ante promisit. Vnde merito dicit nostra Virgo: Suscepit Israel puerũ suum recordatus misericordiæ suę.

CAP. X.

Maria fuit nubes, in qua Deus posuit arcum suum, vt erga mundum sua misericordiæ recordaretur. Duo beneficia, quæ ex nube nobis conferuntur, videlicet, à Solis calore defensio, & aquæ irrovatio, Maria multò excellentius nobis præstitit. F

Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordię suæ. Luc. 1.



VAMQVAM Deus nunquam suæ misericordię erga mundum oblitus fuit: tamen postquam ipse hominem se fecit, tunc præcipue suę misericordiæ obliuisci non potuit. Quomodo enim possibile esset, vt suę misericordiæ Deus non recordaretur, postquam eius filius in vtero virgineo humanam carnem assumpsit? Sufficiebat olim Deo postquam aquis diluuij vniuersam carnem deleuerat: sufficiebat, inquam, tunc illi, quod poneret arcum suum in nubibus, vt non perderet vltra aquis diluuij omnem carnem. Arcum meum, inquit, ponam in nubibus cœli, & erit signum fœderis inter me, & inter terram. Cumque obduxero nubibus cœlum apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei, quod pepigi vobiscum, & cum omni anima viuente, quæ carnem vegetat, & non erunt vltra aquę diluuij ad delendam vniuersam carnem. Sufficiebat, inquam, tunc temporis hoc Deo, & non sufficeret illi, vt suę misericordię recordaretur, quod poneret diuinum illum arcum, qui est Verbum suum in nube, hoc est, in Virgine? O arcũ? O nubem? Arcum fortissimum, & nubem fœcundissimam: Arcum vnde excussę sunt sagittę potentis acutę, quæ inferni claustra pene-

(margin: Gen. 9. — H — Psal. 119.)

A penetrarunt: Nubem ex qua egressę sunt prę dulces aquę gratię quæ vniuersum mundum inebriarunt. Hunc arcum postquam in nube, hoc est, in Virgine positum Deus vidit, statim recordatus misericordiæ suæ suscepit Israel puerum suum. Suscepit Israel puerum suum: hic est arcus in nube positus: recordatus misericordiæ suæ. Ecce diuinæ misericordiæ recordatio.

Si Salomon solius Iridis, quæ est arcus ille cœlestis, qui quotidie nobis in cœlo apparet: Si inquam, Salomon solius Iridis pulchritudinem contemplans, homines ad eius considerationem, & contemplationem non solum vocabat: Sed etiam ad Deum, qui B illum arcum fecit laudandum, sic dicens inuitabat. Vide arcum, & benedic eum, qui fecit illum, valde speciosus est in splendore suo. Quid faceret ipse: immo quid non faceret: aut quid non diceret, si huius diuini arcus in tali nube positi speciositatem contemplans, nos ad eius considerationem inuitaret? Est enim arcus iste in infinitū pulchrior Iride: est in infinitum mirabilior arcu cœlesti. Et si etiam ipse Salomon Simonem Oniæ filium magnum sacerdotem commendans, inter alias eius laudes hanc vnam annectit, dicens quod erat quasi arcus refulgens inter nebulas gloriæ: quid ipse non diceret, aut quas laudes non C adduceret: si, non dicam Simonem Oniæ filium sacerdotem: Sed ęterni patris filium verum, & ęternum sacerdotem secundum ordinem Melchisedech laudare vellet? Verè ampliores de illo laudes adduceret. Et si de Dei filio in Virgine posito, in Maria humanato hanc vnam laudem afferret, altius sane de ipso esset intelligenda. Nam ipse in Virgine positus licet sit, quasi arcus refulgens (vt Salomonis verbis vtamur) inter nebulas gloriæ: tamen eius refulgentia multum distat à refulgentia arcus. Nam arcus cœlestis propter solares radios cauæ nubi immissos solum refulget: Sed iste diuinus arcus non propter solares radios nubi D immissos, sed propter diuinitatem in Virginem ingressam splendet. Nubes in cœlo Solis radijs solùm penetrata mirabilem illam arcus varietatem, & pulchritudinem exprimit: Maria tota ab Spiritu sancto superuenta, & altissimi virtute obumbrata tantos, tamque mirabiles speciositatis, & pulchritudinis radios emittebat, eo præsertim tempore, quo ipsa vnigenitum Dei filium in suo sanctissimo vtero gestabat, vt ipse etiam Ioseph

Eccl. 43.

Ecclesi. 50.

eius sponsus sanctissimus, & purissimus eam tunc non agnosce- E
Mat. 1. ret sensibiliter. Et in hoc sensu nonnulli exponunt verba illa: Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum.

Simile. Exod. 34. Sicut Moysis cum Deo loquentis, ita glorificata est facies, vt non possent intendere in eum filij Israel: sic Maria claritate, & virtute altissimi obumbrata cognosci non poterat à Ioseph donec pareret. O Virginem speciosissimam? O nubem fœcundissimam. Duo nobis beneficia ex nube conferuntur. Solis obtectus vnum, & alterum pluuia. Nam interiecta inter nos & ipsum Solem nubes ipsius Solis vigorem, & rigorem mitigat, nosque ab eius calore defendit. Deinde ipsa nubes terram Solis calore perustam, & arefactam madeficit. & irrorat. F

O Virginem beatissimam? Virginem fœcundissimam? Quis melius hæc duo beneficia nobis confert quam tu? Tu enim es nubes illa, & vera nubes, nubes qua Dominus Solem se obtecturum Ezech. 32. promisit, cum dixit: Solem nube tegam: quamque alius prophe-
Isa. 19. ta in Spiritu etiam præuidens: Ecce, inquit, Dominus ascendet super nubem leuem. Quibus verbis de nulla alia nube, quàm de te loquitur, quæ es nubes leuis sine peccato, & sine pondere peccati: Super te nubem, & veram nubem Dominus: tunc ascendit, quando in tuo sanctissimo vtero incarnatus est. Tu Virgo es nubes, quæ diuinæ iustitiæ Solem non solum obtegis, mundumque G
Simile. ab eius rigore defendis: sed etiam pluuia gratiæ irroras. Sicut enim summus omnium moderator, ad ipsius Solis temperamentum nubes inter nos, & ipsum Solem quandoque interijci iubet, quæ & Solis ardorem comprimant, & eius calore arefacta irrorent: ita etiam te, inter nos, & ipsum esse voluit, vt diuinam nobis comprimas iram, & nos gratiæ tuæ rore perfundas. H

Effunde ergo in nos Virgo beatissima, effunde gratia plenissima, effunde in nos de abundanti, & super abundanti gratia tua, vt ipsa perfusi vnusquisque nostrum Israel puer, & talis puer efficiatur, quem suscipiat Vnigenitus filius tuus recordatus misericordiæ suæ. Scimus Virgo beatissima, & ipso filio tuo per scripturas docente, optime scimus, quod est puer, & puer: puer
Isa. 5. sensibus, & non malitia, & moribus, qualis est puer centum annorum maledictus: tales pueri nos inueniri nolumus: sed pueri in quibus sit innocentia, in quibus sit humilitas, & in quibus sit obe-

A obedientia. Vt tales igitur nos pueri ſimus, tu Virgo pijſſima ab vnigenito filio tuo nobis impetra.

Sed tu etiam o bone Ieſu, recordare illius vocis manſuetudinis tuę, qua dixiſti. Eum, qui venit ad me non eiiciam foras. Et tu, qui olim ferebas indigne ſi quis prohiberet paruulos ad te venire: Suſcipe nos venientes ad te, & nos in tua gratia conſerua, vt ipſa mediante, omnes, qui à te in hac vita ſuſcepti ſumus ad gratiam, in alia etiam vita ſuſcipiamur ad gloriam, in qua te ſimul cum patre, & Spiritu ſancto omnes laudemus per infinita ſęculorum ſęcula. Amen. Ioan. 6. Mat. 19.

B

FINIS LIBRI NONI.





DE VERBIS DOMINAE


AD ELISABETH COGNATAM.

LIBRI DECIMI.

CAP. PRIMVM.

Abraham, & reliqui eius seminis patres non fuerunt primi, quibus Deus de incarnatione filij sui locutus est: ante illos alij fuerunt in prima, & secunda mundi ętate, quibus Deus de hoc locutus fuit. G

Sicut locutus est ad patres nostros Abraham, & semini eius in sæcula. Luc. 1.



OST Tàm longam huius diuinissimi cantici tractationẽ, ad eius vltimum versiculum deuenientes, eiusque expositionem aggredientes illud imprimis adnotare nos decet, H nempe, verba ista non ita esse intelligenda, quasi Abrahæ, & semini eius prius quàm alijs locutus fuerit Deus Christum promittendo. Nam multo ante, & in prima illa statim mundi ætate de hoc locutus est Dominus ad nostrum primũ parentem Adam post eius lapsum. Et per tunicas illas pelliceas, quas ipsi, & Euę eius vxori fecit, & quibus eos induit, ipsi Adamo tanquam in clarissima, ac manifestissima figura significauit, quod

sicut

A sicut ipse propter peccatum pellibus induebatur mortuorum animalium. Ita secundus Adamus sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus induendus erat propter primi Adæ peccatum pellibus mortuorum animalium: hoc est, vestiri debebat nostra mortalitate, vt habitu inuentus, vt homo, & in similitudinem carnis peccati factus, hominem saluaret. Heb. 7.

Ex his itaque patet quomodo statim post peccatum promisit Deus Adamo filium suum. Et ideo in libro cur Deus homo dicit D. Augustinus, quod licet Deus in puniendo Adamo propter B eius inobedientiam iustitia vsus fuerit: tamen recordatus suæ misericordiæ promisit illi mittere filium suum in carnem, qui eum cùm tota sua posteritate per carnem suam redimeret: vt hoc modo si de instanti sua miseriâ Adam ipse doleret, de suo, suæque posteritatis remedio iam de tàm longinquo etiam gauderet. D.Aug.

Post primum parentem nostrum Adamum de Christo in mundum venturo locutus est Dominus ad Abel filium eius. Ipsi Abel per mortem illam à proprio fratre Cain in agro sibi illatam, illatam, inquam, ligno, siue per lignum, vt quidam existimant, indicans venturum Messiam à fratre suo Cain, hoc est, à populo Iudaico C per Cain significato, ligno, siue per lignum, crucis videlicet, esse interficiendum.

Sed vndenam scis, inquies, mortem Abel fuisse ligno, siue per lignum illi illatam? Cum scriptura tale non dicat, qua ratione ductus audes hoc asseuerare? Ea, qua ipse, & eius mors fuit figura Christi, & mortis Christi. Atque etiam ea, qua constat ipsius Abel necem fuisse cum sanguinis effusione coniunctam, sicut aperte Dominus his verbis indicauit. Ecce vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra. Et apud Euangelistam Matthæum etiam dicitur. A sanguine Abel iusti vsque ad sanguinem Zacha- D riæ filij Barachiæ, quem occidistis inter templum, & altare. Vnde manifeste satis colligitur ipsius Abel mortem fuisse mortem sanguinis. Gen. 4. Mat. 23.

Sed vt hoc melius intelligatur est hoc loco magnopere aduertendum nonnullos hebreorum fuisse, qui asseuerarunt iustũ Abel à fratre Cain morsibus fuisse dilaceratum, asserebant isti hoc non quia verum sit, sed vt vel sic vehementius odium, & rabiem Cain aduersus fratrem eius Abel exaggerarent. Quamquam autem ta-

lis sit quorundam Hebræorum conficta opinio, tamen alij existi- E
mant iustum Abel non morsibus, neque strangulatione, neque de mersione in aquam, sed ferro potius, aut lapidibus, aut fustibus à fratre Cain fuisse peremptum. Cuius quidem opinionis illam partem ego magis probauerim, quę dicit Abel fustibus, & ligno fuisse peremptum. Cum enim (sicut iam diximus) iustus Abel Christi, & eius mortis figura fuerit, vt figura melius responderet figurato, potius dixerim ipsum magis ligno fuisse interfectum, quam quauis re alia, quia in hoc etiam Christus interficiendus erat. Sed ad institutum reuertamur.

In secunda mundi ætate de filio suo locutus est Dominus ad F
Noe cum quo post diluuium pepigit fœdus, & pactū fidei iniuit, & hoc promittendo ipsi Christum Saluatorem mundi per figuram, & mysterium arcus cœlestis, per quod mysterium præuidit ipse Noe (sicut multi dicunt) totum mysterium incarnationis, & nostræ redemptionis. Et ideo iuxta istorum opinionem bene potest dici, quod iam tunc ipse Noe præuidit, quod sicut in illo arcu cœlesti, qui est velut imago ipsius Solis ex penetratione radiorum, qui in nubem immittuntur præter alios colores apparent tres illi principales, qui sunt rubeus, viridis, & cæruleus: ita
etiam in filio Dei, qui est vera imago patris quando debebat de G
cœlo descendere, & poni, latere, & abscondi in nube humanitatis, Verbum, caro, & anima tanquàm tres colores esse debebant.

Simile.

Simile. Præuidit etiam tunc Noe, quod sicut quando apparebat ille arcus fœderis Domini in aere, siue in nube, iam tunc tempestas, aut diluuium timendum non erat: Ita etiam quando Dei filius in nube nostræ humanitatis in mundo erat appariturus iam amplius damnationis diluuium timeri non debebat. Et quod sicut Deus respiciens ad illum arcum, iuxta suam promissionem recordari debebat fœderis, & pacti nè amplius diluuium super terram in- H
duceret; ita etiam Deus ipse Christum incarnatum, & in cruce suspensum, & pro nobis mortuum respiciens, recordari debebat misericordiæ suæ.

Simile.

Ex his itaque patet, neque Abraham, neque alios eius seminis patres primos fuisse, quibus Dominus filium suum promisit. Et ideo quando Virgo dicit: Sicut locutus est ad patres nostros Abraham, & semini eius in sæcula: Non intelligit per patres

à se

A à se nominatos ipsum Abraham, & eius semen, sicut Isaac, Iacob, & reliquos, Sed patres primæ, & secundæ mundi ætatis, qui ipsum Abraham antecesserunt, cui de filio suo in tertia mundi ætate Deus locutus est, sicut sequenti capite mox dicemus.

Et quod hic locus hoc modo intelligi debeat, clare ipse Euangelista subindicat in mutatione constructionis, ponens ipsum Abraham in datiuo casu, quod ipse non faceret, si per patres à Virgine nominatos intelligi deberent ipse Abraham, & eius semen. Sed diceret: sicut locutus est patribus nostris Abraham, B & semini eius.

Ex locutionis igitur variatione clare sub infertur diuersos fuisse patres in principio huius versiculi à nostra Virgine in accusatiuo nominatos: diuersos, inquam, fuisse ab Abraham, quem (sicut diximus) in datiuo indeclinabiliter posuit, secundum vsitatum ipsius scripturæ modum, in qua hoc nomen, Abraham, frequentissime indeclinabiliter ponitur. Et ideo nomina ista, videlicet Abraham, & semini eius, reguntur ab illo verbo locutus est iterum repetito, & ad diuersa relato: ita vt sit sensus: sicut Deus locutus est ad patres nostros primæ, & secundæ ætatis: & C sicut locutus est Abraham, & semini eius. Neque mirandum sane est Euangelistam talem variationem, ac casuum mutationem attulisse, cum talis constructionis mutatio nonnunquam in ipsa scriptura reperiatur frequentissima, sicut videre est, ex illo psalmi. Et iustitia illius in filios filiorum, his, qui seruant testamentum eius: estque huius constructionis mutatio hebraicæ linguæ per quam familiaris. Psal. 102.

Præterea aduertendum est hoc loco, quòd illud: in sæcula: D siue in sæculum, sicut græcus habet contextus, dupliciter potest ordinari. Primo cùm vltimis verbis superioris versiculi, nempe, recordatus misericordiæ suę: ita vt hunc sensum efficiant. Deus recordatus misericordię suę in sęcula, idest, in ęternum, quia in ęternum misericordia eius. Secundo potest ordinari cùm verbis huius vltimi versiculi, nempe sicut locutus est, & tunc idem est, quod per sęcula: hoc est, per singula sęcula, & ętates successiue.

Neque est hoc loco prętereundum quàm apte nostra Virgo, quę canticum suum incœperat à magnitudine summi principij, ipsum

A est dicens. Suspice cœlum, & numera stellas si potes, sic erit semẽ Gen. 15.
tuum: quo audito credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad Rom. 4.
iustitiam.

Sed quid credidit Abraham? aut quomodo credidit? credidit illud, quod omnino est supra naturam: credidit illud, quod apud homines omnino est impossibile: credidit illud ad quod humana potentia nequaquàm attingit: credidit denique quòd ex semine suo nasciturus erat verus Messias, verus mundi Redemptor, & quia hoc modo credidit, ideo in virtute tantæ fidei iustificatus est: id, quod non fieret si per promissionem illis verbis à Deo sibi fa-
B ctam, solum intelligeret vnam generationem carnalem ex ipsius semine futuram, & non Dei filium debere incarnari.

Propter fidem ergo quam habuit de semine suo è cœlo venturo, in cuius rei signum cœlum suspicere, & non terram respicere iubetur, hoc est, de Dei filio è cœlo descensuro, vt humanam carnem de suo semine, hoc est, de Virgine assumeret, iustificatus est. Et sic patet quomodo ad Abraham de filio suo Deus locutus est.

Verùm quia non tantùm Abraham, sed eius etiam semini, iuxta nostræ Virginis testimonium de filio suo Deus locutus est restat nunc videndum cui nam post Abraham de eodem filio suo
C Deus locutus fuerit. Et sic dicimus quod post Abraham eius filio Isaac de hac ipsa re Dominus tunc locutus fuit, quando ipse morti proximus adducto ante se benedicendo à se filio, ipsum mortui animalis pelle coopertum tangendo. Ecce, inquit, odor filij mei, Gen. 27.
sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Tunc enim in Spiritu præuidit, quod Dei filius homo fieri, & ex Iacob semine carnem assumere debebat: tunc præsentit odorem humanitatis Verbo vnitæ, qui odor est infinitum meritum passionis Christi, quo vniuersum genus humanum erat redimendum.

Postquam hoc modo locutus est Deus ad Abraham, & Isaac,
D in eadem tertia ætate locutus est etiam ipsius Isaac filio Iacob scalam videnti super terram stantem, cuius summitas cœlum tangebat, & Angelos ascendentes, & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ, ac dicenti: Ego sum Dominus Deus Abra- Gen. 28.
ham Patris tui, & Deus Isaac: tunc enim facta est illi repromissio de Christo futuro: tunc in illa scala præuidit Christum, qui est via (sicut exponit glossa interlinearis super hunc locum:) tunc denique in illa scala cœlum tangente præuidit Christum sursum

esse

esse in capite suo, qui futurus erat deorsum in corpore suo. Prætere- E
Gen. 23. rea ipsi Iacob multo clarius locutus est Dominus de filio suo, quãdo ipse Iacob locutus est cùm Angelo in forma viri. In illa enim lucta principaliter Dominici sacramenti imago figurata est: in illa ostensum est virum illum, cui volenti ipse Iacob præualuit, vt mysterium Dominicæ passionis significaret, significare Christum futurum, cui volenti Iudæi in sua passione præualuerunt, ipsum interficiendo. Denique multo etiam clarius præuidit ipse Iacob mysterium incarnationis, & passionis Christi, & conuersionem
Gen. 49. gentium quando dixit. Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de fœmore eius, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expe- F
ctatio gentium: quibus verbis aperte significauit Iudæorum regnum, & ducem de eorum generatione non esse auferendum, donec Christus patre mittendus veniret, Christus, inquã, salus gentium expectata, quas ipse suo sanguine erat redempturus. Non enim ad Iudæos tantum saluandos, sed ad gentes etiam suo sanguine redimendas venturus erat.

In quarta mundi ætate locutus est etiã Deus de filio suo, seruo
Exod. 33. suo Moysi dicens illi. Ego ostendã omne bonũ tibi, & vocabor in nomine Domini coram te. Quasi diceret: Ego ostendam tibi requiem, & gloriã æternam, in qua est omne bonum in visione Dei, G
& per prædicatores, & Apostolos meos inuocabor in nomine filij mei, cuius incarnationem prædicabunt. Et Paulopost: Videbis, inquit, posteriora mea: hoc est, (sicut lib. 3. moralium cap. 7.
D. Greg. exponit D. Gregorius) eius, quæ post modum futura est, mysteria incarnationis intelliges.

Pręterea eidem Moysi de filio suo multo clarius tunc Deus locutus est, quando illi promisit, ipsum filium suum in carne ventu-
Deut. 18. rum sub his verbis. Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui: quod singulatiter de Christo, & non de aliquo alio prophetarum veteris testamenti intelligendum est. Cum H
nullus eorum fuerit suscitatus ad dandam legem: vnde oportet vt verba ista intelligantur de Christo, quem ipsi Moysi similem hoc est verum hominem suscitauit Dominus de medio fratrum suorũ, hoc est, de semine Dauid, sicut exponit glossa interlinearis. Quia vero Dominus ipsi Moysi de filio suo tàm clarè locutus fuit. Ideo Moyses ipse de Christo clarissime, & manifestissime ad populum
Deut. 18. loquens: Prophetam, inquit, de gente tua, & de fratribus tuis, si-

cut

A cut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies. Quæ verba quamquam historialiter de illis prophetis accipi possint, qui post Moysem in populo Israel repleti sunt spiritu Dei. tamen multo melius de Domino prophetarum accipiuntur, de quo turbæ, ab ipso saturatæ dixerunt. Hic est vere propheta, qui venturus est in mundum. Et alibi etiam: Propheta magnus surrexit in nobis. Ioan. 6. Luc. 7.

Habemus ergo quemadmodũ Moysi de filio suo Deus locutus fuerit: Habemus etiam qualiter ipse Moyses de Christo ad populum iam tunc loqueretur præcipiendo illi, vt ipsum audiret cre-
B dendo illi, id, quod ipsi Iudæi tanto ante ab ipso Moyse admoniti Christi tempore facere noluerunt: propter quod Christus ipsos redarguendo. Si crederetis, inquit, Moysi, crederetis forsitan & mihi, de me enim ille scripsit, scilicet, vt mihi crederetis. Ioan. 5.

In quinta mũdi ætate locutus est etiã Dominus ad Dauid promittendo ipsi Christum incarnandũ, idque quãdo ipsi Dauid dixit: Cum dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de vtero, & firmabo regnum, ipse ædificabit domum nomini meo, & stabiliam thronum eius vsque in sempiternum. Et ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium. Et alibi 2. Reg. 2. Psal. 131.
C de fructu, inquit, ventris tui ponam super sedem tuam.

Hac etiam de re in eadem ætate locutus est etiam Dominus ad Isaiam, & Ieremiam, & Ezechielem. Ad Isaiam quidem promittendo illi Christum sic dicens: Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel; Et alibi de Christo etiam loquens ipse propheta sic dicit. Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius, & vocabitur nomen eius admirabilis Deus fortis, princeps pacis, pater futuri sæculi. Ad Ieremiam etiam locutus est Dominus de filio suo, vnde etiam dixit. Nouum creauit Dominus Isa. 7. Isa. 9. Ezech. 36. Ierem. 31.
D super terram, mulier circundabit virum. Et alibi: Germinare faciam Dauid germen iustum, & faciet iudicium, & iustitiam in terra? & saluabitur Iuda, & Ierusalem, & hoc est nomen, quod vocabunt eum Dominus iustus noster. Item ad Ezechielem in eadẽ ætate locutus est Dominus: Cum sanctificatus, inquit, fuero in vobis, effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab vniuersis idolis vestris mundabo vos: & dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in Ierem. 33.

medio

medio vestri: Ac si apertius Dominus diceret. Cum sanctificatus fuero in vobis effundam super vos credentes aquam doctrinæ sermonis mei, aquam baptismi salutaris, euius virtute abluemini ab omnibus peccatis vestris, & ab vniuersis idolis, quæ in corde vestro simulastis. Et post effusionem istius aquæ baptismi salutaris dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum, dabo vobis cor, quod per peccatum perdidistis, & spiritum nouum credendi in filium meum dabo vobis: & tale cor, & talem spiritum dabo vobis, qualem Dauid postulabat, cum dicebat: Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum in noua in visceribus meis. E

Psal. 50. Simile.

In sexta denique mundi ætate de filio suo locutus est Deus per Angelum Gabrielem prophetę Danieli dicens: Septuaginta hebdomadæ abbreuiatæ sunt super populum tuum, & super Vrbem sanctam tuam: vt consumatur præuaricatio, & finē accipiat peccatū, & deleatur iniquitas, & inducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio, & prophetia, & vngatur sanctus sanctorū. Quæ Danielis verba aperte quidem intelliguntur de tēpore gratiæ futuro, tempore Christi, quo tempore per ipsius Christi passionem delendum erat peccatum, & adducenda, introducendaq; iustitia Euangelij, quæ legis iustitiam vinceret: quo tempore implendæ erant visio, & prophetia de Christo prædictæ, ipse enim est sanctus sanctorū, qui in humanitate vnctus est oleo gratiæ præ cōsortib⁹ suis. F G

Dan. 9.

Item in eadem sexta ætate locutus est Dominus Aggęo prophetæ promittendo illi filium suum dicens. Adhuc vnum modicum est, & ego commouebo cœlum, & terram, & mare, & aridam, & mouebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloria: quæ verba similiter de Christo intelliguntur, in cuius natiuitate, & passione commotum est cœlū: in natiuitate quando stella noua apparuit: in passione vero quando Sol obscuratus est. Quando enim Christus venit non solum cœlum, sicut diximus, commotum est, terra mare, & arida: sed etiam omnes gentes commotæ sunt, sicut patet ex illa vniuersali descriptione facta iussu Cæsaris Augusti. Denique quando Christus venit cunctis gētibus desideratus, & pro illarum salute à Deo patre missus, tunc domus Domini gloria impleta fuit, quia tunc fuit Christus in templo à matre oblatus, tunc in tēplo pluries prædicauit, tunc in templo plurima miracula fecit, quibus domus Domini gloria impleta est. H

Aggæ. 2.

Mat. 2.

Simi-

A Similiter in eadem sexta ætate locutus est Dominus ad Zachariam dicens: Lauda & lętare filia Sion, quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui. E alibi: Exulta, inquit, satis filia Sion, iubila filia Ierusalem: Ecce Rex tuus venit tibi iustus, & Saluator, ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ. In eadem ætate locutus est etiam Dominus ad prophetā Malachiam dicens. Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciē meam, & statim veniet ad tēplum sanctum suum Dominator, quē nos quęritis, & Angelus testamēti, quē vos vultis. Zacha. 2. Zacha. 9. Malac. 3.

Ex his omnibus, & ex multis alijs, quæ in huius rei confirma-B tionem possent adduci liquidissime constat quomodo, quādo, & quibus patribus locutus fuerit Dominus in veteri testamento de filio suo in mundum venturo, & quomodo etiam hoc ipsum Dominus ipse promiserit Abraham, & semini eius in sęcula.

CAP. III.

Verum Abrahæ semen non Iudæi, sed Christiani sunt, qui ab Abraham originem ducunt secundum spiritum, & non secundum carnem, sicut Iudæi.

C

Sicut locutus est ad patres nostros Abraham, & semini eius in sæcula. Luc. 1.

VT præcedentium capitum tractationi præcedētis quoque capitis tractatio cohæreat, vbi egimus de locutione Dei Abrahę facta, & reliquis patribus veteris testamenti, de ipsius Abrahæ semine nobis nunc agendum erit. Huic enim Deum etiā de filio suo locutū fuisse nostra Virgo testata est. Videndum igitur nobis est quodnam sit semen Abra-D hæ: & vtrum solis Iudæis, an nobis etiam simul cum ipsis, de Abrahæ semine liceat gloriari.

Hoc vero vt dilucidius pateat aduertendum nobis est, duplex fuisse Abrahæ semen, vnum carnale, & alterum spirituale. Et vtrumque in illis verbis significatur, quibus Abrahæ Dominus dixit: Multiplicabo semen tuum sicut stellas cęli, & sicut arenā quę est in littore maris. Per semē enim sicut stellas cęli multiplicandū, semē Abrahę spirituale intelligitur: Per semē vero multiplicandū Gen. 22.

sicut

ſicut arenam, quæ eſt in littore maris, intelligitur ſemen ipſius Abrahæ carnale. E

His ita animaduerſis dicendum eſt, quod de ſemine Abrahæ ſpirituali, ſimul & carnali, poſſunt gloriari illi, qui Abrahę carnẽ non ſolum gerunt, ſed eius etiam fidem tenent. De ſemine Abrahæ ſpirituali, & non carnali poſſumus gloriari nos, qui Chriſtiani ſumus. Abrahę namque ſemen non illi tantum dicuntur electi, qui ex Abrahæ progenie ſunt corporaliter ęditi: ſed illi etiam, qui de gentibus ad Chriſtum congregati, illis fidei ſocietate patribus copulamur, à quibus proſapię carnalis origine longè ſegregamur. Et nos enim ſemen, ac filij ſumus Abrahę, cùm ſacramentis F noſtri redemptoris, qui de ſemine Abrahę carnem aſſumpſit, renaſcimur. Nos ſumus filij Abrahæ cum illum videre ſolerti intentione quęrimus cuius diem ipſe Abraham exultauit, vt videret, & vidit, & gauiſus eſt. Vnde & Apoſtolus ait: Si autẽ, & vos Chriſti, ergo ſemen Abrahę eſtis ſecundum promiſsionem hęredes.

Ioan. 8.

Galat. 3.

Denique de Abrahę ſemine, ſemine, inquam, carnali, & nõ ſpirituali gloriari poſſunt ſolum perfidi Iudęi, ipſi Abrahę ſanguine quidem adhęrentes, ſed moribus, ac vita ab eo degenerantes, & in hoc ſenſu intelligẽdus eſt Chriſtus, qui cùm Iudęi ſe ſe iactantes, & de Abrahę ſemine gloriantes dicerent: Semen Abrahę ſumus. G Scio, inquit, quia ſemen Abrahę eſtis, ſed quęritis me interficere. Quaſi diceret. Vobis non nego, immo vobis concedo, vobis aſſentior quòd carnalem cognationem, quę eſt ex illo ſancto ſeruetis: Verumtamen ſpiritualis cognatio à vobis abeſt. Ille ſiquidem iuſtus, miſericors, & hoſpitalis fuit: Vos autem homicidę eſtis, & immiſericordes: quęritis enim me occidere. Quomodo igitur illius ſemen, & filij verè eſtis, qui paternus characteres ita dereliquiſtis?

Ioan. 8.

Et deinde cùm Iudęi adhuc ſuperbientes, & de Abrahę ſemine nimium gloriantes adderent. Pater noſter Abraham eſt. Chriſtus nimiam eorum iactantiam tollere, eiſque perſuadere volens, nè in hac tàm vana carnalis nobilitatis ſpuma ſpem haberent, ſed in ſola voluntatis, ac bonitatis ſimilitudine. Si filij, inquit, Abrahę eſtis, opera Abrahę facite. H

Ioan. 8.

Ioan 8.

Sed ò verè perfidi, & cęci Iudæi, qui de eius ſanguine ſe iactare volunt, cuius vitam imitari nolunt. Quid miſeris iſtis, cæcis iſtis, perfidis iſtis hoc prodeſt? Certè nihil aliud quàm id, quod

prodeſt

A prodeſt riuulo ſpurcitia pleno ſi ex nitido, & puro fonte profluat. Sicut enim riuulo ſi ipſe ſit ſpurcitia plenus, corruptus, & omni ex parte contaminatus nihil prodeſt, ſi fluat ex puro, & ſalutari fonte: Eodem modo Iudæis patris Abrahæ nobilitas, & ſanctitas nihil confert, cum ipſi ſint vitijs omnibus imbuti, & veneno flagitiorum infecti. Et ſicut etiam elingui ad dicendum nihil prodeſt paterna, vel auita eloquentia: Et oculis omnino orbato ſuorum maiorum perſpicacitas oculorum nequaquam prodeſt. Et ſicut denique claudo ſuorum, vel extraneorum pernicitas, & velocitas nequaquam vtilis eſt: Ita etiam miſeris, & infidelibus Iudęis elin B guibus ad confeſſionem, quæ ore fit ad ſalutem; cæcis ad videndam lucem, quæ eſt Chriſtus: claudis ad currendum viam mandatorum Domini, ad quam currendam, vt gigas deberent exultare, nihil Abrahę fides, nihil virtus, nihil ſanctitas deniq; prodeſt. Sunt enim ipſi per ſe omnino muti ad Chriſti fidem cōfitendam, ſunt omnino cæci ad veritatem legis euangelicæ videndam, & ſunt denique omnino claudi ad bona opera perficienda.

Simile. Simile. Simile. Simile. Rom. 10. Ioan. 8. Pſal. 18.

Et propter hoc ſane Iudęi per pedem Iacob claudum optime ſignificantur: Chriſtiani vero, qui Chriſti fidem tenent, & profitentur per ipſius Iacob pedem rectum intelliguntur. Nam ſicut C Iacob duos pedes habuit vnum rectum, & alterum claudum, de quo dicitur: Ipſe vero claudicabat pede. Ita Deus duos populos habuit, vnum rectum, & alterum claudum: Vnum bonum, qui eſt populus Gentilis: & alterum malum, qui eſt populus Iudaicus. De populo bono, & recto dicit Dominus ipſe. Populus, quē non cognoui ſeruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi: hoc eſt, populus Gentilis, quem corporali præſentia non viſitaui, in meo ſeruitio recte ſe habuit: & ipſe, qui me proprijs oculis non vidit, meos prædicatores recipiendo in auditu auris obediuit mihi. De populo vero malo, & claudo. Filij, inquit, alieni mentiti ſunt mi- D hi filij alieni inueterati ſunt, & claudicauerūt à ſemitis ſuis. Quaſi diceret: Iudęi filij non mei dicendi, ſed potius alieni mihi mentiti ſunt: & iſti filij alieni, quibus ego vt renouarentur nouum teſtamentum attuli, in veteri homine nihilominus remanſerunt, & tanquam vno pede debiles, quia vetus tenentes, nouum omnino reſpuunt, claudi omnino effecti ſunt, non in cedendo per viam bonorum, nec per ſemitam mandatorum meorum: ſed aberrando ab itineribus meorum pręceptorum.

Simile. Gen. 32. Pſal. 17. Pſal. 17.

E

CAP. IIII.

Carpuntur Iudæi quòd de Abrahæ semine gloriantur, cuius opera non imitantur. Ipsis ostenditur, quòd veri Abrahæ filij solum sunt Christiani.

Sicut locutus est ad Patres nostros Abraham, & semini eius in sęcula. Luc. 1.

F



VAMQVAM erga dominum adeo ingrati, & infideles Iudęi extiterunt, neque ob id tamé de Abrahæ semine gloriari desinunt, cuius opera imitari, tantopere contemnunt. O miseri, & infelices Iudæi, si tales erga dominum estis, quomodo Abrahæ filij, & semen vocari non
Ioan. 8. erubescitis? Quandiu tales estis (mihi credite) non Abrahæ filij estis: Sed sicut de vobis dominus ipse dicebat: Ex patre diabolo estis. Quandiu tales estis non Abrahæ semen estis: Sed (sicut eiusdem domini præcursor de vobis dicebat Ioannes:) viperarum ge- G
Mat. 3. nimina estis. Ioannes enim vos progeniem viperarum vocabat,
Simile. & merito vocabat. Quia sicut vipera quando concipit, masculú interficit: ita vos venientem ad vos Christum, & vos sui verbi semine fœcundantem, sicut venenosa & impia vipera contra eum insurgentes, ipsum interfecistis. Vnde meritò ipsi debitas vestri
Simile. sceleris pœnas eidem domino luistis. Quia sicut vipera postquá concipit, & masculum interficit, ipsa quoque quando parit à filijs occiditur: Ita vos, qui Christum interfecistis, à filijs vestris occisi fuistis. Nam ipsi Iudæi, ipsi filij vestri ad fidem venientes vos dãnant, vos vituperant, vos arguunt, & vos suorum verborum iaculis velut interficiunt. H

Quando ergo ò Iudæi tales estis ne velitis dicere intra vos (sicut ipse Baptista vobis consulebat) ne velitis dicere intra vos: Pa-
Ioan. 8. trem habemus Abrahã. Sed magis erubescite, quia filij eius estis, & eius sanctitatis hæredes non estis. Et si vultis, vt rem istam ego vobis magis aperiam. Audeo vobis dicere ò Iudæi, quod vos Abrahæ filii non estis. Sed nos, qui Christiani sumus. Audite

quare

A quare. Quia maior est natus secundum spiritum, quàm natus secundum carnem. Vos secundum carnem Abrahæ filij estis: nos secundum spiritum: ergo veri Abrahæ filij nos sumus, qui eius fidem imitamur. Credidit Abraham Deo (dicit scriptura) & reputatum est illi ad iustitiam. Quisquis imitatus fuerit Abraham, filius est Abrahæ: quisquis degenerauerit à fide Abrahæ, perdit progeniem Abrahæ. Vos quia degenerastis perdidistis: nos quia imitati sumus, inuenimus. Vultis audire quomodo perdidistis? Audite, quid uobis dixerit Dominus. Vobis, inquam, non tacentibus, sed dicentibus. filii sumus Abrahæ. Ausi estis corã illo vos B ostentare, & ceruicem erigere de nobilitate generis iusti gloriando: Sed quid vobis Dominus tunc respõdit? Si filii inquit, Abrahæ essetis (sic enim legunt multi ex patribus) facta utique Abrahæ fecissetis. Ergo si vos ex Domini sententia perdidistis quod sitis filii Abrahæ, inuenimus nos vt simus filii Abrahæ: credendo quippe inuenimus, quod vos non credendo amisistis. Quia credidit Abraham Deo reputatum est illi ad iustitiam: & semen Abrahæ Christus, & nos in Christo sumus: ergo fili Abrahæ nos sumus, qui per fidẽ Christi, ipsi Christo appropinquauimus: si vos etiam appropinquatis vos etiam filii estis. Gen. 15. Ioan. 8.

C Sed heù quã remoti à Christo, & à Deo estis: licet enim quotidie psalmos, & hymnos Dei cantetis: tamen in persona ipsius Dei, cui cantatis, immo cui non cantatis, quia cantatis ore, & non cantatis corde, de vobis dicit propheta. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me. Longe est cor vestrum, quia non creditis: nostrum proximum est, quia credimus, quia speramus, quia diligimus, quia Christo adiuncti sumus, quia mẽbra ipsius facti sumus. Nunquid membra longè sunt à capite? Si essent longè, & diuersa essent, non diceret: Ecce ego vobiscum D sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi. Si separata essent, non de cœlo clamaret. Saule, Saule quid me persequeris? Si non in nobis esset, non nobis benefacta, sibi ipsi facta reputaret, sic dicens: Quod vni ex minimis meis fecistis mihi fecistis. Isa. 29. Mat. 28. Acto. 9. Mat. 25.

Talibus huc vsque cum miseris & incredulis Iudæis agere libuit, vt vel sic tandem intelligant (si tamen vt bene agant volunt intelligere) quàm falsò de Abrahæ semine glorientur, cuius fidẽ non imitentur. Licet enim de Abrahæ carne originem ducat caro

Iudęorũ, & non caro Christianorũ, qui de aliis gentibus veniunt, E
tamen imitando Abrahæ fidem eius filii facti sunt. Audiamus Apostolum. Qui ex fide, inquit, sunt, ij sunt filij Abrahę.

Ex his omnibus iam patet, quod Christiani facti sunt semen Abrahæ gratia Dei, non de carne Abrahæ fecit illos Deus cohæredes Abrahæ. Iudæos exhæredauit, & istos adoptauit: de arbore illa oliuæ cuius radix est in Patriarchis, ramos naturales superbos amputauit, & humilem oleastrum inseruit, nempe, populum Gentilicum, qui cum sit Christi, & eius fidem teneat, semen Abrahę est secundum promissionem hæres. Sed iam de ipsius
Dei promissione, siue promissionibus non nihil etiam dicamus, F
ipsęque quàm fideles, & verę sint aperiamus, vt sic tandem vniuersam huius Mariani cantici tractationem absoluamus.

CAP. V.

Deus in suis promissionibus quàm fidelis: Ipse solum promittendo hominibus debitor erat. Deus ipse multo maiora facit, quàm promittit: mundus è conuerso.

G

Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham, & semini eius in sæcula. Luc. 1.

Psal. 144.  EI promissiones quàm verę, & quàm certę sint, volens regius propheta ostendere: Fidelis, inquit, Dominus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis. Eiusdem etiam prophetę filius Rex Salomõ cùm ipso Deo loquens, ipsúmque ob suarum promissionum com
2.Paral. 6. plementum laudans: Domine, inquit, Deus Israel, non est similis tui Deus in cœlo, & in terra, qui custodis pactum, & misericordiam cùm seruis tuis, qui ambulant coram te in toto corde suo, H
qui pręstitisti seruo tuo Dauid patri meo quęcunque locutus fueras ei, & quæ ore promiseras opere complesti. Bene quidem Dauid, & eius filius Salomon de diuinarum promissionum obseruatione sunt locuti. Sed quis clarius, aut quis melius quàm nostra Virgo hac ipsa de re locutus est? Volens namque ostẽdere quàm fidelis suarum promissionum obseruator Dominus fuerit erga antiquos

A antiquos illos patres quibus filium suum promiserat: Sicut locutus est, inquit, ad patres nostros Abraham, & semini eius in secula. Quasi diceret in omnibus, & per omnia sicut locutus est, ita fecit, ita adimpleuit, ita obseruauit.

Non est Deus sicut homines: non est sicut mundus, qui parum promittunt, & nihil faciunt. Dominus iste multum promisit, qui filium promisit, & totum fecit, qui filium dedit: Sicut locutus est ad patres nostros Abraham, & semini eius in sęcula.

Sed dices: quid mirum si Deus exhibuit, si fecit, si adimpleuit id, quod promisit? Si debitor erat, quomodo debitum non exhi-
B beret? Fateor, & non nego quod Deus debitor erat: Sed debitor non aliquid ab hominibus accipiendo: sed sicut ei placuit filium suum illis promittendo. Nam inter homines solum ex his duobus modis, promittendo scilicet, & accipiendo, debitum consistit. In Deo vero non ita. Videamus hoc clarius. Aliter inter nos dicimus debes mihi, quia dedi tibi: & aliter dicimus, debes mihi, quia promisisti mihi. Quãdo dicis debes mihi, quia dedi tibi à te processit beneficiũ, sed mutuatum, & nõ donatum. Qñ autẽ dicis debes mihi, quia promisisti mihi, tu nihil dedisti, & tamen exigis. Deo igitur quid dicimus? Dicimus ne illi: redde mihi, quia ego
C dedi tibi? Absit. Quid enim dedimus Deo, qñ totum id, quod sumus, & quidquid boni habemus, ab illo solũ habemus? Cum ergo nihil Deo dederimus, non est cur hoc modo exigamus debitorem Deũ. Maxime dicente nobis Apostolo. Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quibus verbis aperte docet Apostolus Deũ esse omnium bonorum fontem: & quęcunque dat, non veluti recompensationem, vel retributionem debeat, impertiri, sed tantummodo propter propriam bonitatem, & liberalitatem suam. Rom. 11.

Præterea Dominus ipse per Isaiam cùm Iudęis loquens, illisq; ostendere volens, se nulli debitorem esse. Quis est, inquit, credi-
D tor meus, cui vendidi vos? Quasi diceret: Nullus. Quo apertius voluit significare, se nullum creditorẽ habere, cui nihil aliud habens Iudęos vendiderit. Et proinde subiungit: In iniquitatibus vestris venditi estis. Ex dictis ergo aperte constat, quòd Deus nemini debitor factus est, aliquid ab eo accipiendo. Isa. 50. Isa. 50.

Cum ergo isto modo Deus nulli debitor existat: restat vt illo solum modo eum debitorem dicamus, quia promisit. Et hoc solũ modo regius propheta ipsum Deum debitorem agnoscẽs dicebat:

Psal. 118. Memor esto verbi tui seruo tuo, in quo mihi spem dedisti. Habemus itaque quod Deus solum promittendo patribus illis debitor existebat. Misericordia motus illis promiserat filium suum mundi redemptorem: Sed qui ita misericors fuit in promittendo, verax fuit etiam in exhibendo: & qui sine aliquo debito promisit, sine vllo dolo exhibuit: Sicut locutus est ad patres nostros Abraham & semini eius in sæcula. E

Sed in his verbis Virginis est maxime adnotandum, quòd sicut locutus est, dicit: Vbi est maxime ad notanda vis istius vocabuli, sicut, significat enim Deum, eo modo quo promiserat, eo etiam modo exhibuisse. Non enim facit Deus sicut homines, qui vno modo promittunt: & alio modo faciunt. Deus non sic facit, sed sicut promittit ita obseruat. Sicut locutus est ad patres nostros Abraham, & semini eius in secula. F

Sed quid de Deo dico, & solum dico, quod sicut promittit, ita obseruat? Immo plus dico: dico quod Deus sæpissimè multò plus facit, quàm promittit. Posset hoc multis scripturæ sacræ testimonijs ostendi: sed nè multi simus hoc vnum solum adducemus. Promisit Deus olim Moysis, & Aaronis tempore, promisit, inquam, quod Virgam eius, quem in sacerdotem eligeret, germinare faceret: Quem ex his, inquit, elegero, germinabit Virga eius. Hoc est solum quod promisit, nempe, vt Virga eius, quem eligeret, germineret. Sed vbi ad rem venit, non solum illud, quod promisit, effecit: Sed plura alia. Nam cùm de solo germine fuisset promissum, non solum germen virga producit: sed frondes, sed flores: & non tantum frondes, & flores, sed fructus. Turgentibus gemmis (sunt verba scripturæ) eruperant flores, qui folijs dilatatis in amigdalas deformati sunt. Ecce quomodo Deus multo plura facit quàm promittit. G

Num. 17. (beside: re faceret: Quem ex his, inquit, elegero, germinabit Virga eius.)

Num. 17. (beside: flores: & non tantum frondes, & flores, sed fructus.)

Sed videamus: facit nè ita mundus? Minime quidem: sed omnia è contrario facit: Multa mundus promittit: sed cùm ad exhibitionem venitur, nec multa facit, nec sicut promisit facit. Laban libentissimo animo promisit Iacob filiam suam Rachel vxorem: sed completis septem annis, quibus Iacob pro Rachele Laban seruiuit, loco promissæ Rachelis, quę erat decora facie, & venusto aspectu, alterum filiam suam introduxit ad eum, nomine Liam, quę lippis erat oculis. Eodem etiam modo facit mundus per Laban significatus, Laban enim albus, siue de ablatio interpretatur: H

Gen. 29. (beside: sed completis septem annis, quibus Iacob pro Rachele Laban ser-)

A tur: talis est mundus foris albus est, & pulcher, sed inter plenus omni dolo,& omni fallacia. Promittit enim nobis pulchram Rachelem,quæ ouis interpretatur,per quam abundãtia significatur: est enim ouis pecus lanigera valde vtilis, siquidem lana, & pelle homines vestit,& carne eos pascit. Hanc ergo Rachelem, hanc ouem,hanc abundantiam nobis promittit mundus: Sed cùm ad rem acceditur,cùm ad promissi exhibitionem venitur nihil nobis dat nisi Liam,quæ interpretatur laboriosa, siue defatigata. In signum quòd mundus bona omnia nobis promittat, in fine tamen nihil nobis dat nisi labores, nisi inquietudines,& defatigationes,
B & cętera huiusmodi.

Ecce igitur quales sunt fallacis mũdi promissiones; ecce quomodo multum promittit, & tamen non sicut promittit ita facit, quia hoc solius Dei proprium est,de quo dicit nostra Virgo,quod in omnibus,& per omnia ita fecit, ita ad impleuit, ita obseruauit: Sicut locutus est ad patres nostros Abraham, & semini eius in sæcula.

CAP. VI.

C *Deus,qui tam verax, & certus est in promittendo, quare multoties nonnulla bona promittit, aut aliqua mala comminatur, quæ tamen opere non adimplet.*

Sicut locutus est ad patres nostros Abraham, & semini eius in sæcula. Luc. 1.

D EX his,quæ sic à nostra Virgine de Dei promissionibus,& earum certitudine dicta sunt,possumus hoc loco inuestigare, quare Deus, qui tam verax est in exhibendo, vt sicut iam diximus,multa etiã faciat, & maiora faciat, quam promisit,multoties ea promisit, quę opere non cõpleuit. Nam Deus promisit filijs Israel de Ægypto egressis terram ꝓmissionis: & tñ in nullo eorũ,pręterquã in duobus, Caleb scilicet,& Iosue habuit effectum promissio. Promisit per prophetam Isaiã Ezechię Regi ęgrotanti ipsum moriturũ,sub his verbis: Num.13.

Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues: & tamen ipse E
Isa. 38. Ezechias non solum mortuus non est: Sed (sicut ipsa scriptura te-
Ion. 3. statur) Adiecti sunt super dies eius anni quindecim. Promisit per prophetam Ionam post quadraginta dies niniuitarum vrbem esse subuertendam: quæ tamen subuersa non est. Denique vt multa alia his similia ex veteri testamento prætermittamus, & ex nono hoc vnum testimonium etiam afferamus: Christus Dominus in
Mat. 19. hunc modum promisit discipulis suis, inter quos erat Iudas. In regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis, & vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel: Quæ tamen promissio in Iuda traditore impleta non est. F
Quomodo ergo verum est quod de Deo Maria dicit, quod in omnibus facit: Sicut locutus est ad patres nostros Abraham, & semini eius in sæcula?

Ad hęc omnia respōdentes dicimus ex illis minimè colligi Mariam de Deo falsum aliquid dixisse, aut ipsum Deū in aliquo esse
Num. 23. mendacem, aut mutabilē. Non enim est Deus quasi homo vt mētiatur: nec vt filius hominis, vt mutetur. Et sicut iuxta dictū Apo-
Heb. 6. stoli: Impossibile est mentiri Deum: ita etiam impossibile est, ip-
Malac. 3. sum mutari. Ipse enim qui infallibilis veritas est de se ipso dicit: Ego Dn̄s, & non mutor. Et ideo ad primā illam promissionē, quā G fecit filijs Israel de terra promissionis dicendum est, (id, quod etiā de alijs Dei promissionibus dici potest) illam promissionē fuisse conditionalē: si scilicet filij Israel erga Deum promittentē illam fidem haberent, quam habere debebant: quam quia non habuerunt, ideo promissam sibi terram promissionis minime possederunt. Id, quod ipse doctor gentium Paulus testatur cùm dicit. Nō
Heb. 4. profuit illis sermo auditus (de filijs Israel loquitur) non admixtus fidei ex his, quæ audierunt: ac si apertius diceret. Sermo, quē audierunt per Moysem de requie terræ Palestinæ non profuit illis, quia non fuit coniunctus fidei, non fuit contemperatus fide ex ijs H promissionibus, quas audierunt. Tunc enim prodesset eis, si credidissent, quoniam tunc esset contemperatus fide: quoniam vero non crediderunt, non fuit coniunctus fidei. Ideo nihil eis profuit, quod audierunt, quoniam in eam terrā intrare non meruerunt. Quia vero Caleb, & Iosue magnam in Deo spem, & fiduciā habuerunt: & filiorū Israel infidelitatē, & murmurationē ægre fe-
Num. 14. rentes sciderunt vestimēta sua, & pleni fiducia populū adhortati fuerunt,

A fuerunt, sic dicentes: Terra, quam circuiuimus valde bona est: si propitius fuerit Dominus inducet nos in eam: & tradet humum lacte, & melle manantem: nolite rebelles esse contra Dominum, neque timeatis populum terræ huius, quia sicut panem ita eos poterimus deuorare. Quia inquam, isti duo sic fideles erga Dominum extiterunt, ideo terram illam possederunt. Id Deo ipso sic attestante, & dicente: Omnes, qui numerati estis a viginti annis, & supra, & murmurastis contra me non intrabitis in terram super quam leuaui manum meam, vt habitare vos facerem præter Caleb filium Iephone, & Iosue filium Nun. Num. 14.

B Ad secundum, & tertium de Rege Ezechia, & Niniuitis ex D.Thomæ doctrina 1.p.q.19.ar.7.& 2.2.q.171. potest his duobus modis responderi. Primo quod Deus aliquando pronuntiat aliquid futurum secundum quod continetur in ordine causarũ inferiorum, vt puta, secundum dispositionem naturæ, vel meritorũ, quod tamen non fit, quia aliter est in causa superiori diuina. Quomodo prædicta fuit Ezechiæ ægrotanti mors, & peccantibus Niniuitis subuersio, quod tamen non ita euenit, quia ab æterno aliter fuit in sciẽtia, & voluntate diuina, quæ immutabilis est. Et propter hoc dicit Gregorius lib. 20. moralium cap. 23. & allegatur ead. 1. C p.q.19.ar.7.& a glossa ordinaria super 38.cap. Isaiæ: quod Deus immutat sñiam, non tñ immutat consiliũ: quod D. Gregorij dictũ exponens ibidẽ glossa ordinaria: per sñiam, inquit, debemus intelligere sensum verborũ: consiliũ vero ab æterna dispositione est. D.Tho. D. Greg. D. Tho.

Secũdo modo, qui ferè est vnus, & idem cum primo potest responderi quod reuelatio prophetica, qñque est impressa quædam similitudo præscientiæ prout respicit ipsa futura cõtingentia in se ipsis, & talia sic eueniunt, sicut prophetantur, sicut est illud Isaiæ: Ecce Virgo concipiet: Qñque vero prophetica reuelatio est impressa similitudo diuinę præscientiæ prout scilicet cognoscit ordinem causarũ ad effectus, & tũc qñque aliter euenit, quam prophetetur, neq; tamen prophetiæ subest falsum. Nam sensus prophetię est, quod inferiorum causarũ dispositio hoc habet, vt talis effectus eueniat. Et secundũ hoc intelliguntur verba Isaię dicentis. Morieris, & non viues: id est, dispositio corporis tui ad mortem ordinatur. & illud etiam quod dicitur: Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur. hoc est merita eius hoc exigũt, vt subuertatur. Isa. 7. D Isa. 38.

Duobus superioribus respondendi modis potest etiam addi ter tius

tius, qui talis est; Prophetę in libro ipso præsciétiæ Dei, vbi omnia E
scripta sunt legentes, non omnia percipiebant, sed quædam, & eo
modo, quo Deus permittebat. Et secundum hoc dicendum est,
quod legerat Isaias in illo libro, quod Ezechias secundum opera,
quæ fecerat, non merebatur longiorem vitam. Sed tamen non legerat, quod per lachrymas, & orationes eam esset impetraturus.
Legerat similiter Ionas in eodem libro, quod Niniuitarum nequitia secundum hoc, quod agebant, quadragesima die complenda
erat, & sic ciuitas eorum destruenda: Sed non legerat, quod per
suam prædicationem essent acturi pœnitentiam, & ita misericordiam consecuturi. Vterque igitur, quod legerat prædicauit: & F
quantum ad eos pertinebat incommutabilis erat veritas, quia neminem intendebat fallere: Sed Deus in cuius libro ipsi illud legerant, aliud disposuit, quod ipsi non legerant. Et ideo illud, quod
ipsi prædicauerant, non euenit.

Ad quartum de promissione illa omnibus discipulis facta, &
in Iuda traditore non impleta, potest responderi sicut ad primum:
nimirum illam promissionem fuisse conditionalem, si omnes videlicet discipuli taliter se haberent, qualiter opus erat, ad illam obtinendam. Quia vero Iudas ita nequam fuit, vt filium Dei morti
Actor. 1. traderet, ideo fuit tanto bono priuatus: & in eius locum Matthias G
fuit subrogatus, qui acciperet locum ministerij, & apostolatus, de
quo præuaricatus est Iudas, vt abiret in locum suum. Itaque in
Matthia cum vndecim Apostolis connumerato promissio Christi ita adimpleta fuit, sicut in Iuda esset adimplenda, si ipse talis
foret, qualis esse deberet.

Ex his, quæ hactenus dicta sunt, sicut credo, optime constat, autoritates diuinæ scripturæ superius adductas nequaquam colligere Deum esse mendacem, aut mutabilem. Nam ea, quæ in illis
pronuntiata fuerunt, vel ideo non euenerunt, quia sub conditione
promissa fuerunt, vel quia aliter ab æterno erat in voluntate diuina, quæ omnino immutabilis est in se ipsa: licet quoad nos nonnunquaam mutabilis videatur, falso tamen. Nam dùm circa nos H
quædam prospera, & aduersa variãtur, in eo quod nos mutamur:
Simile. quasi Dei circa nos mutatam voluntatem suspicamur. Ipse vero in
se incõmutabilis permanẽs aliter, atq; aliter in nostra cogitatione
sentitur, pro qualitate meritorum: ad modum solis, cuius lux cũ
nequaquam sit sibi ipsi dissimilis, oculis infirmis aspera, sanis au-

A tem lenis uidetur, illorum uidelicet mutatione non sua. Et secundum hunc sensum intelligendum est illud Iob. Mutatus es mihi incrudelem. Volens enim sanctissimus, ac patientissimus vir ostédere crudelitatem sibi potius congruere, quàm Deo, dixit: Mutatus es mihi in crudelem. Ac si apertius diceret: Qui in te ipso crudelitatis nihil habes, mihi quem respirare à persecutione non sinis, videris mutatus in crudelem, sed hęc crudelitas, atque mutatio potius est in me, quam in te, qui omnino immutabilis es. Iob. 30.

Cum igitur, vt ex supradictis constat Deus omnino immutabilis sit, clarum restat, quod ea, quę vult, aut promitiit voluntate non
B conditionata, sed absoluta, & determinata semper adimplet, sicut promittit. Et quia tali Deus voluntate voluit, & patribus promisit filium suum incarnari, ideo dicit nostra Virgo quod fecit: Sicut locutus est ad patres nostros Abrahã, & semini eius in sęcula.

CAP. VII.

Homines quantum teneantur promissa Deo facta fideliter persoluere: Mariæ auxilium imploratur ad promissiones Deo factas fideliter persoluendas.

C

Sicut locutus est ad patres nostros Abraham, & semini eius in sæcula. Luc. 1.



INter multa, quæ in his nostræ Virginis verbis adhuc adnotari possunt, hoc vnum solum hoc loco videre libet, quo huic tractationi finem tandem imponemus, nempe quàm optimò iure, tali, & tam vero Domino omnes non solum confidere debeamus: sed etiam quàm æquum est,
D vt sicut ei promisimus, ita faciamus. O Dominum fidelissimum? Quis tam veraci, & tàm fideli Domino non fidat? Quis se eius fidelitati non committat, qui solus nouit obseruare, & adimplere sicut locutus est? Fidamus ergo tanto, & tàm fideli Domino, fidamus, & non solum fidamus: sed sicut ei promisimus, ita etiam & nos faciamus.

Si ipse cùm erga antiquos patres debitor factus non esset, nisi solùm promittendo, in omnibus fecit: Sicut locutus est ad patres nostros

nostros Abraham, & semini eius in secula: nos, qui promittendo, E
& accipiendo ei debitores facti sumus, quare quæ debemus, ipsi
non exoluemus? & quæ promisimus, sicut promisimus non fa-
Deut. 23. ciemus? Quod autem semel egressum est de labijs tuis (dicit scri-
ptura) obseruabis, & facies sicut promisisti Domino Deo tuo. Et
postea addit? & propria volũtate, & ore locutus es. Ac si diceret:
Nemo te commouit, nemo te impulit ad promittendũ Deo, sed
tu sponte tua, & voluntate tua nemine cogente, aut impellente,
Deo promisisti: & ideo quod voluntariè, & sponteneè illi promi-
sisti, voluntariè, & spõte facere debes, sicut illi promisisti: multo
Eccles. 5. melius enim est nõ vouere, quam post votũ promissa non reddere. F

Sed ò tu Virgo beatissima, tu, quæ optime nosti, quantum di-
splceat Deo infidelis, & stulta promissio, fac vt semper fideles, &
bene placentes illi sint promissiones nostræ: Fac vt quod semel
egreditur de ore nostro, opere compleatur. Scimus Virgo beatis-
sima, & verè scimus, totoque animo cognoscimus tam veracem
esse Deum, vt de omnibus verbis, quæ præstiturum se nobis polli-
cetur, tantum vnum non sinat præterire in cassum: & quod sicut
ipse nobis opere complet, quod promittit: ita etiam nos grauiter
puniet, si quod ore promittimus opere non impleuerimus. Non
indiget Deus noster fatemur, & libentissimè fatemur, non indiget G
Virgo pijssima, non indiget Virgo beatissima bonis nostris: id
Psal. 15. de eo asseuerante propheta, ac dicente: Dixi Domino Deus meus
es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Verum licet bonis
nostris non egeat: tamen sibi adimpleri vult, quod ei promitti-
mus, non ad bonum suum, cui promittimus: Sed ad bonum no-
Simile. strum, qui promisimus. Sicut enim promissa Deo adimplendo, nõ
solum securi conscientia sumus: sed etiam ipsius Dei amicitiam
conseruamus: ita si fidem ei frangimus, non tantùm torquemur,
& pungimur: Sed etiam Deum nobis inimicum reddimus. Neq; H
immerito. Nam si qui hominibus promittit quandiu non exoluit,
quod promittit semper à propria cõscientia mordetur, & pungi-
Prou. 12. tur, teste scriptura, quæ dicit. Est, qui promittit, & quasi gladio
pungitur cõscientiæ? Et si etiam eadem scriptura teste: Qui ami-
Eccl. 20. cis promittit, eos lucratur inimicos, si non exoluit: Est (inquit scri
ptura) qui præ confusione promittit amico, & lucratus est eum
inimicum gratis. Si, inquam, inter homines, & cùm hominibus
hoc fit, quanto magis cùm Deo?

O quan-

A O quantis aculeis, quantis ſtimulis, & quantis veluti gladijs compũgimur dum quod Deo noſtro promiſimus, opere non implemus. O quantum nos tunc inquietat miſera conſcientia noſtra: Siquidem non ſemel, non iterum, non ter, non decies, non centies, non denique millies, ſed ſemper, & vbique nos mordet, in itineribus, in biuijs, in foro, in menſa, in lectulo, & in ſomnis nobis repręſentans promiſſa, quę fecimus. Neque hoc nobis ſufficit: Sed ad hoc aliud malum, & multo grauius malum accedit, quod eſt odium Dei in nos.

O quam odibiles, & quàm abominabiles Deo reddimur, dùm

B ipſi in promiſſis infideles ſumus. An non dicit ſcriptura: Abominatio eſt Domino labia mendacia? An non etiam illa, inter alia, quę odit Dominus linguam mendacem, & proferentem mendacia enumerat? Vt igitur Deo noſtro ſemper vera loquamur, tu noſtro ſemper vera loquamur, tu nobis ab ipſo Virgo impetra, qui omnes pro hac tanta à te obtinenda gratia, & tali gratia, deuotiſsima ſupplicatione tuis ſanctiſsimis pedibus prouoluimur, & pro illa totis cordium noſtrorum medullis, totis pręcordiorum affectibus, & votis omnibus te deprecamur. Sic enim te rogari voluit, qui totum, nos per te habere voluit, quę es maxima fiducia Prou. 12. Prou. 6.

C noſtra, & tota ratio ſpei noſtrę. Et ideo non patiaris Virgo clementiſsima, non patiaris Virgo pijſsima, vt noſtris promiſsionibus Deo odibiles, & abominabiles ſimus: ſed amabiles: non patiaris, vt illis aduerſus nos odium concitemus: ſed amorem prouocemus: & talem amorem, ut vnus quiſque noſtrum, qui pro eius amore in hac vita pauca promiſerit, & pauca adimpleuerit ab ipſo tuo interuentu in alia vita audire mereatur: Euge ſerue Mat. 25. bone, & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui. Vt tali gaudio ibi fruentes te, & vnigenitum filium

D tuum ſine fine laudemus, qui cum patre, & ſpiritu ſancto viuit, & regnat, per infinita ſęculorum ſęcula. Amen.

FINIS LIBRI DECIMI, ET VLTIMI.

INCORRIGENDIS ERRATIS,

Per primum numerum folium. per secundum paginam, & per tertium lineam intellige.

4.1.27.eiam,lege sciam. 4.2.23.minor,lege miror. 4.2.37. angelis, lege angelus. 6.1.14.quod,lege quoad.ibidem 17. & eripere, lege & parere. 6.2.38.sunt Dij,l.sicut dij. 12.2.36.celebritatẽ,lege celeritatẽ. 15.2.1.veniendus,lege vniendus. 23.2.16.nostræ, lege nostra. 30.1.25.possedetur,lege possidetur. 31.1.14.erit,leg.eius. 32.2.4.rei,lege ei. 37.2.37.simus,lege sinus. 33.1.1.finit, leg.fint. 34.1.28.simul,lege semel. 51.1.26.tanta, lege tamen. 51.1.27. restringuit, lege restringit. 52.2.28. ventis, lege ventris. 54.2.28. aduersos, lege aduersus. 54.2.39.laspum, lege lapsum. 65.1.4 quot, lege quod. 70.1.29. ausus, lege ausi. 74.2.1. statuta, lege statua. 77.2.27. præuidit, lege prouidit. 82.1.1.laudis, lege laudes. 94.2.17. suauitatem, lege suauitate. 83.2.7.innumerat,lege innumera. 105.2.37. effectus, l. affectus. 100.1.21.indarnationis,lege incarnationis. 116.2.36. quidem,l. quidam. 117.2.17.adducimus,lege adduximus. 129.1.30. ille,l. illa. 130.2.10.ascẽdere,lege descẽdere. 137.1.20.tuo, lege tuũ. 142.2.37.emituit, lege enituit. 146.2 7. inimicis, lege minimis. 188.1.32. ad, lege at. 202.2.10. nacens, lege nocens. 211.1.1. eos ipsos,lege eas ipsas. 210.1.31.spicuit, lege spreuit. 223.2.17. conditionis,lege conditoris. 228.1.1.dico,lege duo.

